


· BIBLIOTECA ·
· LVCCHESI · PALLI ·

HISTORIA
PRINCIPUM
LANGOBARDORUM

Quae continet antiqua aliquot opuſcula de rebus Langobardorum Beneventanae olim Provinciae quae modo Regnum fere eſt Neapolitanum.

CAMILLUS PEREGRINIUS
ALEX. FIL. CAMPANUS

Recenſuit, atque carptim illuſtravit:

HAC NOVA EDITIONE

Notis, ineditis adhuc opuſculis, variiſque Diſſertationibus, atque Peregrinii vita auxit

FRANCISCUS MARIA PRATILLUS.

TOM. II.



NEAPOLI, Ex Typographia Johannis de Simone, MDCCL.

Superiorum facultate.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. JACOBO DE AQUINO

Principi Caramanici, & Pagorum S. Crucis, S. Victorini, S. Euphemiae, Ricciardi, & S. Jacobi, utili Domino Caſtri Roccettae, &c. intimo Regis noſtri CAROLI BORBONII *Cubiculario, &c.*

FRANCISCUS MARIA PRATILLUS

Felicitatem.



Iretur ſane, Exc. Princeps, quiſquis hujus Univerſi rerum mirabilem varietatem intuetur, quae vel natura duntaxat duce conſtant, aut arte vel ingenio perficiuntur; quaeque Summi Opificis inſcrutabili ordine ac ſapientia providentur. In his profecto unam

prae altera ut plurimum praeſtare cognoſcimus. Ac plane ſi ad florum, plantarum, arborum, lapidum, ac metallorum omnium pulcritudinem praeſtantiamque oculos convertamus, maximam in iis diverſitatem licet advertere. Si coeleſtium corporum, ſtellarum, ac ſiderum elegantiam, certos motus, excurſuſque varios circumſpiciamus, Planetis Aſtra multum antecellere omnino videmus. Verum ſi iis, quae mente conſtant ſubſtantiis, animum intendamus, Conditoris ſui ſapientiam multo magis praedicabimus. Quamvis enim in cunctis hominibus Dei imago reſplendeat, morum tamen ſuavitate, virtutum ornamentis, vel nobilitatis praecellentia ceteris quandoque complures excellere conſpicimus; quorum eximia virtus, vel nobilitatis ornamentum in poſteros ſuos diffuſum, nepotum deinceps dignitatem amplificat, adaugetque: (ut exiguus quandoque rivus leniter unde ſcatet fluens, mox aquarum copiâ tumidus ripas ſupergreditur, ac cito curſu ut torrens praeterlabitur) ac tum maxime illorum ſplendor effulget, cum nova ſemper

maje-

majorum decori virtutum incrementa cumulantur. Et ſane quum Langobardorum Principum Hiſtoriam evolverem, in illa obſcurorum temporum ſerie Aquina familia (e qua Aquinenſes, Alveti, Acerrarum, Caſertae, Cryptae, Belcaſtri, Caſtilionis, Laureti, aliorumque locorum Comites, Marchiones, Principes, necnon Cajetae illuſtres Duces profecto prodiere) ſeſe obtulit; quam ab iis profectam nominis amplitudine, morum praeſtantia, ac continenti ſucceſſione, Aquinenſes omnes poſtmodum felicibus auſpiciis ornarunt. Hoc Opus a viro Cl.Camillo Peregrinio Campano, ſeculo circiter exacto, abſolutum, omnium nunc ubique votis expetitum rurſus prodit, quod novis nondum antehac editis Opuſculis, Additionibuſque locupletatum ad literariae reip. commodum utilitatemque cudendum curavi, ac tuis oculis, Exc. Princeps, dicatum ſubjicio: non quo pro merito tuo ſit, ſed ut animi mei in Te obſervantiam plane teſtatam velim. Nobilitatem generis tui longe petitam, & ex vetuſtiſſimis initiis erutam recognoſces. Heic

 majo-

majorum tuorum monumenta recoles, quo ad illorum sectanda vestigia (immo quandoque superanda) vehementius inflammeris. Quod profecto te lubenter excepturum confido, quippequi ex majorum tuorum contentione factorum, illorum gloriae, cujus te avidissimum plane esse non negabis, aemulando inservies. Brevem heic, sed absolutam profecto avorum tuorum genealogiam habes, armorum insignia, ac decora, suamque item quandoque e regali sanguine ortam progeniem. E Langobardorum itaque Principum semine haud fucatis quidem argumentis, sed perspicuis omnino rationibus ante annos ferme DCCC. tuam familiam propagatam plane intueberis; ac temporum serie partos triumphos, & inter hujus Regni Neapolitani varias vicissitudines tum adversam, tum secundam majorum tuorum fortunam.

Ac profecto quum usque a seculo Aerae Christ. X. e Campanis Dynastis Aquinensium Comitum originem hauriamus; licet Northmannorum, Suevorumque aemulorum in eos semper exarserit in-

vidia,

vidia, ut pene illa extincta quandoque videretur, Dei tamen afflante numine, latos rursus ramos extendit, ut in ea amplificanda illius providentiam omnino cognoscamus. Et quidem quod XV. seculo post Regis Alphonsi obitum e communi principum familiarum naufragio Laureti, & Satriani ramus unus superfuerit, hujus rei praeclarissimum argumentum esse poterit. Quis enim, quum Landulphus Roberti Aquinatis filius, suis bonis omnibus exspoliatus, ut suam vitam tueretur, aufugeret, Lauretanorum, ac Satrianensium Comitum stirpem protinus evellendam crederet, ab Antonella in Avalos Piscariae Marchiones hereditariis opibus, ac insignibus feudis adsportatis? Is vero eo periculo ereptus, ac in regnum tandem revocatus, & ab Avalis ipsis, quibuscum sanguine conjunctus magni fuit habitus, in Tarentinam Sedem exceptus, ibi quum aliquandiu privatus vixisset, mox Caramanici Principatu, Palenaeque Comitatu potitus fuit; adjunctis deinde Francolisii etiam, Casarani, aliorumque feudorum titulis, nobilissi-

mae

mae fobolis; feculi unius fere fpatio, dignitatem jacentem erexit, ac pene ab interitu vindicavit. In dies pofthac magis ac magis reflorefcere coepit, novofque ramos ac palmites protulit, novis honoribus, ac muneribus cumulata; Hierofolymitanorum Equitum fcilicet, militarium Ducum, facrarum Infularum, aliarumque infignia dignitatum adepta. Quid Johannem Paulum de Aquino commemorem, qui ineunte praeterito feculo Melitenfis Ordinis militiam decoravit? Quid Andreae Tricaricenfis, & Thomae Vici Aequenfis Antiftitis facras Infulas, & Aloyfii Camerae Apoftolicae Auditoris gloriam, qui ad Sacrae Purpurae dignitatem meritis fibi viam munierat, certo confecuturus, nifi vitae filum mors intempeftiva praecidiffet? Quid Francifcum Protonotarium Apoftolicum, & utriufquae Signaturae Refenderarium? Humanarum, politiorumque difciplinarum cathedras Romae, Neapoli, aliifque in locis a Jacobo, & Dominico, necnon Carolo, & Aloyfio PP. Societatis Jefu; ac Dominico, & Thoma Theatinenfibus Regularibus exornatas,

quis

quis ignorat ? quorum nomina immortalitatem consecuta vigebunt memoriâ seculorum sempiternâ.

Isthaec vetera, novaque tuae illustris familiae monumenta relegens, Exc. Princeps, quibus Aquinorum progenies titulis, muneribus, ac dignitatibus amplissimis mirifice praefulsit (adjunctis nobilissimis item familiis non modo in Regno Neapolitano, sed in totius Italiae finibus, diffusis usque ad nostram aetatem, *Mormilia* nempe, *Carapbaea*, *de Tufo*, *Piscicellia*, *Guevara*, *de Dura*, aliisque Neapolitanis; ac praecipuis Mediolanensibus *Stampa*, & *del Verme*; Romaeque itidem clarissima *de Mignanellis*; ac *Pignatellorum* demum (quae ad summum sane honoris fastigium evecta, quippe Pontificem Max. Innocentium XII. suumque nepotem Franciscum Pignatellum Romanâ Purpurâ, Neapolitanâque Cathedrâ insignem habuit) haec, inquam, revolvens, Tibi ipse profecto invidebis, ac majorum tuorum stimulos addet aemula virtus, quo posteri tui deinceps ad Togas, ad militiae honores, Infulas, Purpuras, aliaque

que

que id genus ornamenta viam ſibi ſternere avidius appetent ; ſicque Patriciae Neap. Aquinae familiae decus refloreſcet magis ; ac perpetuum vigebit. Vale.

Neapoli, Prid. Kal. Sextileis, MDCCL.

I N

ANONYMI SALERNITANI
HISTORIAM
FRANCISCI MARIÆ PRATILLI
PROLUSIO.



Uum ad illustrandam Anonymi Salernitani Historiam Camillus Peregrinius ipse primum; deinde V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius quamplurima congesserint, ut in eruditissimis cujusque Praefationibus licet animadvertere, ne quae ab ipsismet dicta recoquere videar, illa huc in medium afferenda putavi. Nequid vero, minimum licet hujus antiqui Scriptoris praetermittatur, ac in tenebris jacere sinamus, pauca quidem sunt advertenda, ut legentium desiderio omnino satisfiat.

Ac I. quidem quum ii hujus Anonymi Historiam (fato nescio quo, pessimo scilicet literariae Reip. damno) truncam mutilamque procuderint; eandem ego pleniorem, absolutamque edendam curavi. Quamplurima enim in hoc Chronographo cumulantur, quae vel ab aliis minime sunt tradita, vel fortasse deperdita; aut ibi melius explanantur: paucis tamen duntaxat omissis, quae vel fabulas sonant, vel a verisimili nonnihil abhorrent; de quibus suo loco lectorem monebimus, ne veritatis specie incautus decipiatur. Multa itidem, quae a synchronis Scriptoribus traduntur, hujus Historici diligentiâ illustrantur, ac confirmantur. Quaedam demum nusquam forent inventa, nisi ejusdem Auctoris sollertia accessisset, qui ea accurate prodidit, Erchemperti Auctarium, sive Historiam secularem annorum cursu, quoad potuit, inde persecutus.

II. Veteres hujus Historiae codices, qui adhuc Romae, ac Neapoli extant, ut infra dicendum, singulos pervolutavi, & quibus variantes lectiones retuli, ad legentium commodum, & utilitatem. Ex quo profecto palam omnino fiet, quam male Muratorius suam editionem (quam accurate heic recudendam duxi) confecerit. Hoc enim pacto veram germanamque Anonymi lectionem pro se quisque, nullo adhibito labore, facile intuebitur. Ejusdem etiam nuperi Scriptoris adnotationes quandoque aut augere, aut emendare studui; necnon & ipsius Peregrinii animadversiones suis quibusque locis appositas uberius illustravi. Ac ne nimium prolixae aliquando notae vel necessariae taedium Lectori adferrent, eas, expletâ hujus Anonymi Historiâ, in calce distinctis dissertationibus explicabimus.

III. Varia profecto hujus Historiae Neapoli reperiuntur exempla, haud vero omnia ejusdem antiquitatis, vel accuratâ diligentiâ olim conscripta. Emendatiorem quippe codicem, non omnino tamen incorruptum, suisque paucis, ac brevissimis adnotationibus signatum habebat V. Cl. Comes Matthaeus AEgyptius, Regiae bibliothecae olim praefectus, tum omnigena ejus eruditione, tum morum facilitate ac suavitate omnibus carus, ac nominis famâ celebratus; in cujus morte summopere dolendum fuit, ac perennibus lacrymis deinceps deflebitur. Codex hic nunc penes ejusdem AEgyptii Legatarium, virum praestantissimum, Dominicum Ronchium reperitur, itemque alter a Johanne Baptista Bolvito e Frecciano Codice in breviorem formam redactus, ut ipsemet ibi fatetur, anno Domini MDLXXVIII. exscriptus: post annos nempe XVIII. quo suum Stabiis Marinus Freccia ex autographo a Hieronymo Cardinali Seripando tunc Salerni, ubi adservabatur, Archiepiscopo, ad se misso exscribendum curavit. Alterum hujus Anonymi Salernitani exemplum in bibliotheca Patrum Oratorii Philippinorum habetur; quod cum aliquot aliis MM. SS. codicibus ex insigni celeberrimi Jcti Josephi Valletta bibliotheca Patres ipsi suo aere compararunt.

Aliud

Aliud etiam in Tabulario Cleric. Regul. Theatinorum Patrum, vulgo SS. Apostolorum nuncupatorum adservatum videmus; quod olim P. Eustachius Caracciolus ab altero hujus historiae autographo in Brancaciana bibliotheca, sive S. Angeli ad Nidum dicta adservato, suâ manu exscripserat. Hujus autographi Codicis V. Cl. Camillus Tutinus possessor fuisse perhibetur; quem profecto Nicolaus Carminius Falconius S. Severinae Archiepiscopus, vir omnigena eruditione refertus, & in literaria Rep. benemeritus, exscripserat, & Muratorio transmittendum curavit., mendis licet quamplurimis scatentem, uti a suo Scriptore opus illud primum editum fuerat. Ac ne nihil in hac re diligentiae meae praetermitteretur, quod ad hanc pertinet historiam, duos itidem alios Codices, qui Romae sunt, amicorum operâ consului, ac perlustravi, ut in variantibus lectionibus adnotare licet.

Ceterum in editione hujus Historiae doctis Salernitanae civitatis viris summopere adlaborandum fuerat, & ad eam illustrandam totis viribus adnitendum; uti in suae Praefationis ad hunc Anonymum Salernitanum calce Peregrinius ipse innuit, & illius urbis doctos cives inflammato studio excitat, accenditque. At frustra; exacto enim seculo pene toto, quum haec Camillus scriberet, nunquam ex illorum gente doctus quisque vir animum induxit, ut amplificandae huic historiae vacaret. Immo in re tanti momenti magnopere dolendum fuit, quod vel ipsi Salernitanae civitatis viri monumentum aliquod suppeditare detrectarint, quod ad suae Gentis gloriam decusque summopere conduceret. Verum ne ob hoc ab iis meae diligentiae, ac laudi obtrectatum sentiam, idem haud obtrectationis argumentum esse volo; sed quod haec praeloqui in tanta rerum varietate opus fuit; ut siquid minus aptum dictum videatur, merito excusationem praetendam. Demum quod ego pro viribus suscepi, ipsi ad patriae suae decus, melioribus fortasse auspiciis, conficiant, meque hortatorem potius, quam accusatorem commendent. Haec satis.

CAMILLI PEREGRINII
DE ANONYMO SALERNITANO
Et ejus Hiſtoria.

Fuſior Hiſtoria noſtratium Langobardorum nunquam integre evulgata, adſertaque hactenus eidem illi Erchemperto, a quo altera ejuſdem argumenti edita habetur (brevior illa quidem, ſed an jure Epitome fuerit adpellata, videbitur infra) Anonymum Salernitanum a me agnoſcat auctorem. Cujus modo conditio clarior eſſe incipiet, quando obſcuro, ignotoque, ac prorſus nullo nomine cœperit nuncupari. Sed, Lector, priuſquam ſubnotata perturras, ne hariolare, vanum me effutire ſomnium; nam conſtanter adſero.

(a) I. *Fuſior Hiſtoriae Langobardorum Principum*
II. *Auctorem extitiſſe ignotum civem Salernitanum.*
III. *Virum genere Langobardum, illuſtri loco natum.*
IV. *Vita inſtituto Monachum Benedictinum.*
V. *Ingenio, prudentia, & doctrina puerili praeditum, & excultum.*
VI. *Qui illam adgreſſus aemulatione Hiſtoriae veri Erchemperti.*
VII. *Non uno in eam inſudavit anno.*
VIII. *Quam perduxit ad tempora Principis Capuae Pandulphi Capitferrei.*
IX. *Cui eam dono obtulit,*
X. *Eadem vivens aetate: integro ſaeculo poſterior Erchemperto.*

(b) *Sed rem attende an praeſtem, quam eodem hoc ordine*

(a) *Anonymi Salern. vita, & ſcriptio.*
(b) *Mihi non explicanda, priuſquam ſcriptorum Codd. faciem enarrem, quibus ejus Hiſtoria habetur.*

dine edisseram, postquam scriptorum codicum, in quibus hujus auctoris habetur Historia, imaginem descripsero, sive indiculum fecero Opusculorum, quae in illis continentur; ex quo planiora haud dubie fient, quae postmodum tradam: scripti vero Codices sunt ipsimet illi duo Papyracei a me alio loco indicati, qui ex Frecciano exemplo prodiere, unaque exhibent Erchemperti Historiam nunc iterum typis commissam. De Vaticano autem nil pronuncio, etsi illum ex iisdem plane Opusculis compaginatum scio; namque oculis non inspexi, plenamque ejusdem non adhuc valui obtinere notitiam; quocirca malui de ipso tacere, quam vel incomplete dicere, vel de ignotis aut temere, aut haesitanter testificari. Extare vero in Columnensi Bibliotheca alterum antiquum scriptum Codicem numero signatum 70. *testis est Baronius ad annum* 871. & 957. *Est quoque* & (1) *alter in Bibliotheca Anitiana; sed utrumque mihi pariter non visum praeterire cogor.*

(*a*) *In uno igitur ex Chartaceis mihi inspectis legitur primo loco Titulus libri his verbis conceptus.* Historia Heremperti Viri illustris ex prosapia Principum Langobardorum. *Cui subjicitur Index quidam rerum aliquot insigniorum, quae toto libro continentur, coactarum ad universaliora quaedam capita numero* 18. *Quo pariter Titulo praenotatum extitisse scriptum Codicem, qui usui fuit Baronio, ipse clara adfirmat adsertione ad annum* 787. *num.* 101. *quem dono se accepisse dicit ab Antonio de Aquino Episcopo Sarnensi, sicut testatus est ad annum* 871. *num.* 54. *Ille autem Membranaceus ne fuerit, & antiquus, an vero Chartaceus, & ex Frecciano exemplo itidem exortus, haud certe novi; inferius tamen quid de hoc sentiam, non abscondam. Sed in altero Papyraceo, quod vidi, nil tale est, nec Titulus ille, nec Index, in quo similiter nec Glossae, seu dicas Adnotamenta, insunt ad oram, quae perpetuae*

(1) A Vaticano Codice forte exscriptus nihil aliud novi profert.

(*a*) *Idque hoc Indice praesto.*

quae sunt in Codice praeindicato. Quibus solummodo exceptis discrepantiis, ambo una consentiunt, & in utroque primo occurrit Admonitio quaedam istiusmodi. Incipit liber quarundam Historiarum, Dominorum, diversarum guerrarum Regni Italiae, prout inventum fuit in quodam antiquo libro literarum Langobardarum; cujus libri principium non (a) continebat, & propter hoc sicut incipiebat praedictus liber suas Historias recitare, ita nos incoepimus in praesenti libro ipsius Historiae scribere, & continuare. *Hactenus Admonitio; quam subsequitur Index nominum viginti Regum Langobardorum Italiae, unicuique adscriptis sui Regni annis, sed librariorum vitio aliqua in numeris inducta discrepantia. Post adnumerantur Reges Franciae a Pipino seniore ad Carolum Magnum, a quo producitur series reliquorum Regum Italiae ad Othonem usque III., cui in utroque Codice concorditer adscribuntur anni XII. Mox altera series subjicitur Ducum, & Principum Beneventi a Zotone ad Radelchim: illum nempe, qui ultimus Princeps fuit ex genere Langobardorum, qui Beneventanam urbem inhabitarunt. Post hæc, nullo interjecto sive Titulo, sive notula, nec relicto intersitio, exhibetur Historia ista, de qua modo ago, quae exorditur a monachatu Carolomanni Regis Galliae, his verbis.* Residente in Apostolica Sede Zacharia Papa, qui ob reverentiam Principis (2) continuo inclinatus in universa Italia perpetuo (b) viginti annorum spatio pacem, & concordiam ordinavit, Karolomannus filius Karoli Francorum Regis praesentis vitae relinquens gloriam. *Et cetera ad verbum ex Anastasio Bibliothecario in Zacharia pag. 143. Deficit vero eadem Historia in enarratione obsidionis Salerni, quam Princeps Capuae Pandulfus Caputferreus contra eam firmaverat, sicut erit videre in postrema illius parte, quam typis modo committam. Infra in iisdem Codicibus subest exemplum Carminis*

(2) Deficit *Apostolorum*.

(a) Hoc est *non aderat*. (b) al. *proprio*.

minis olim positi in Sepulchro Dauferandae nobilis feminae. Cui aliud est subscriptum Carmen ex Tumulo pariter exceptum Rofrit Illustris viri. Et huic subjicitur tertium Carmen, quod est post extremam partem hujus Historiae a me adscribendum. His Carminibus, *nullo distinctionis signo intercedente, adseritur brevis illis narratio postremorum quinque Regum Langobardorum Italiae, quam initio hujus libri produxi. Post quam subsequitur Historia Erchemperti bis modo edita, nulla & ipsa Epigraphe praesignata. Subest postmodum brevis Epistola innominati Romani Pontificis ad Imperatorem Constantinopolitanum pariter innominatum, sive ad magnum virum ibidem degentem: Dehinc Capitulare est Principis Sicardi, quod in vulgus emisi. Infra adest Recordatio, quam dixere quoque Memoratorium de Curtibus, sive Fundis cujusdam viri Potonis. Mox additur Carmen Arderici scriptum ad Rofrit Illustrem virum. Inde est Glossariolum vocum Langobardarum numero fere* 120. *coactum, ut res ipsa indicat, ex libris Legum ejusdem gentis, & ex Historia Pauli Diaconi. Postea habentur aliquot collectiones annorum ad Beneventi Dynastas spectantes, quas ad calcem Chronici Ducum, & Principum Beneventi ejus Anonymus Auctor adtexuit, easque una cum eodem Chronico typis suo loco tradam. Sequitur Fragmentum Historiae Langobardorum, Auctore Anonymo Beneventano, una cum his Opusculis modo impressum. Infra adest Capitulare Principis Radelchisi typis & ipsum a me traditum. Tandem librum claudit breve Carmen (ejusdem dicam versu)*

„ Ad Landulfi laudem sublimis Patritii.

cum adposita adtestatione innominati exscriptoris, qua adseritur extitisse in vetustissimo Codice, e quo is exemplum suscepit, Seriem quoque Summorum Pontificum, & Imperatorum Romanorum, quam ille volens praeterierat. Hisque subscribitur hujusmodi altera adtestatio. Exemplata est haec Historia Heremperti fideliter, & cum omni, qua potuit, correctione in hac dulcissima Stabiensi urbe. Die 16. Octobris 1560. Mercodi. *Quam Marini Freccia esse* *stio,*

scio, etsi ille nomen ibi non adscripsit suum, quod libro 1. *de Subfeudis Cap. de Prov. & Civit. Regni num.* 36. *exposuit, ut ad Erchempertum dixi. Haec sunt igitur, quae in praeallegatis insunt Chartaceis Exemplaribus.*

(a) I. *Quo praemisso Indiculo, ut tandem promissa persolvam quam brevissime potero, rem isthinc adgrediar. Et plane non ego inficior editam Erchemperti Historiam perplura nostratium Langobardorum gesta tradere, quae in altera adhuc non edita pariter enarrantur stilo prolixiori; sed illam idcirca bujus Epitomen esse dicendam, nullus, ni fallor, qui locos conferat, adfirmabit unquam. Quis enim dicet Epitomen, quae arcta continet multa omissa in fusiori, istamque adfirmabit fuisse coactam in illam, quae plurima versa vice exhibet, ne verbo quidem tenus ibi indicat? Tandemque quis credet Epitomes auctorem aetate potuisse praeire integros annos centum, & supra, auctorem Historiae prolixioris? Quae omnia tum ex inferius notandis, tum ex solis istis portionibus fusioris Historiae, quas typis tradam, facili conlatione erunt meridiana luce clariora. Inedita igitur Historia fusior plane est illa, quam scripserat jam olim Erchempertus; quippe quae stilo, rebusque prolixior ab auctore fuerit efformata suo, qui, ut paulo post demonstrabo, etsi defectum praecedentis Historiographi aliquibus suppleverit in locis, ad decorem potissimum patriae suae scribendi onus suscepisse videtur.*

(b) II. *At quod is, ut ulterius progrediar, sub ignoto nunc nomine sit demonstrandus auctor, res est communi doctiorum opinioni adversa, ipsaque multis abhinc annis male percepta; quare opus mihi erit paulo diutius in illa remorari. Et plane ex praefixo Scriptis Codicibus Papyraceis Titulo minime Historiam istam tribuendam esse Heremperto, iidem scripti libri verbis non dubiis proclamant; qui in Admonitione, quae est post Titulum, ac post subnotata* 18. *Ca-*

(a) *Redeo modo ad rem; & primo. Anonymi Salern. Historia fusior est Historia Erchemperti,*

(b) *Ejusque auctoris nomen certe ignotum; falsoque creditum* Erchempertum.

18. *Capita rerum memorabiliorum, testantur primum antiquissimum Codicem Langobardicis literis exaratum, ex quo ipsi exscripti fuerant, nulla prorsus Epigraphe praesignatum extitisse, sicut in praemisso Indiculo est dictum. Quocirca necesse est, ut non genuinus, sed superadditus credatur fuisse Titulus ille, illaeque conlectiones ab aliquo nesterico, qui memoriae consulens, illas adjecerit, illumque opinione seductus talem efformaverit. Nec contra est, quod Baronianus Cod. eodem habeatur praenotatus; namque, ut rem non dissimulem, non alter ille mihi censetur, quam vel Papyraceus aliquis e Frecciano, ut alii multi, exortus, vel idem ille Membranaceus, qui Frecciae usui fuerat; quique mutuo forte acceptus e Salernitana Ecclesia, ubi adservabatur, ad polyistorem Cardinalem transmissus, ab eodemque Vaticanae Bibliothecae, cujus summus erat curator, custodiendus traditus fuit; ibique modo habetur numero signatus* 5001. *E qua pariter Ecclesia idem ille acceperat alterum scriptum Chronicon, Romualdo Guarna Salernitano Archiepiscopo Auctore, a se postmodum ejusdem Bibliothecae custodiae pariter commissum. Verum quo ad nostrae Historiae, de qua est sermo, autographum Codicem non divinare me, sed rem velut ob oculos praesentem describere, quisquis legeris adfirmabis, ultroque concedes, Codicem, ex quo Freccia suum exscripsit, ipsum extitisse illum, qui Vaticana in Bibliotheca adest: si modo Glossas, sive Adnotamenta invicem conferes, quae ad illius sunt oram, nec non ad oras Codicum, qui e Frecciano exemplo prodiere, quae plane ad unguem concordant, sicut, facto periculo, comperi, beneficio usus, ut alias iterum dixi, Lucae Holstenii V. C. Quibus sic stantibus, satis, superque constare modo poterit non antiqua fide, nec pluribus in Codicibus Heremperto adtributam fuisse prolixiorem Historiam Langobardorum, sed in uno, eodemque Salernitano: idque recentioris alicujus actum arbitratu.* (a) *Quem in eam ob*

 id

(a) *Cujus hallucinationis fuit occasio, quod utraque Historia uno eodem haberetur in Codice.*

id perveniſſe opinionem cenſeo, quod is in mentem induxerit ſuum, unum illum Codicem unam unius auctoris Hiſtoriam concluſiſſe; videritque in poſtrema fere ejuſdem Codicis parte (in ea ſcilicet, qua veri Erchemperti continebatur Hiſtoria, ut ex producto Indiculo conſtat) auctorem nomen prodidiſſe ſuum, cui nil dubitarit opus omne contradere, adſcribereque; neceſſario alioqui ſeductus paralogiſmo, illumque nomine adpellans Herempertum, ut ſuas demulceret aures nominis ſono mollioris. (a) *Verum quis ille novitius, adeoque peritus fuerit Nomenclator, qui pluriformi Langobardorum Hiſtoriae nomen impoſuerit unius Heremperti, ego divinare non auſim; illud tamen ſilentio minime premam, Frecciae eandem de Hiſtoriae praedictae unitate inſediſſe opinionem, quippe qui ſit illam tripertitus; ſicut in ejus libro de Subfeud.* 1. *Cap. de Prov. & Civit. Regni eſt videre; quo loco paſſim recitat nonnulla, quae ex eodem apud Salernum a ſe reperto Membranaceo Codice adnotaverat, depromtaque illa adfirmat, tum ex prima, tum ex ſecunda, tum ex tertia libri parte. Et quidem pro illis, quae germana in Hiſtoria Erchemperti inerant, perpetuo laudat tertiam partem, quae in poſtremum locum in ſcripto Codice rejecta habebatur; pro illis vero, quae habebantur in hac, quam dico Anonymi Salernitani, partem laudat primam, & ſecundam; utpote loca priori poſitam, moleque duplo fere illâ majorem, niſi quod alicubi, Typographi certe culpâ, numeri, qui indicant hanc, vel illam partem, depravati habentur, quo vitio de reliquo pariter laborat Frecciani illius operis Veneta editio. At ſemel inductam opinionem amplexati quoque ſunt omnes, qui poſtea ſubſecuti fuere magni ſane viri; illaque adeo invaluit, ut ſi qui tandem duplicem Hiſtoriam uno in illo Codice concludi agnovere, uni tamen, eidemque Heremperto utramque conceſſerint, alteram alterius Epitomen reputantes, de quo jam dixi.* (b) *Atqui plurima illa, & varia*

(a) *Exploſa tamen opinio placuit Marino Frecciae.*

(b) *At nomen unum utrique Hiſtoriae olim tributum aliud extitit.*

varia Opuscula an ego, etsi omni alio argumento essem destitutus, consentirem unius auctoris nomini tradi rite, & recte posuisse? Quinimmo crediderim, quod si ipsamet illa priscis quoque temporibus uno similiter in Codice, communi usu colligari consueverunt, sicut in Salernitano actum fuit, talis plane Codex non alio nomine fuerit vulgo dictus, quam hoc. Historia Langobardorum, *namque eorundem Opusculorum libro in uno adgregationem Leo Ostiensis in Prologo sui Chronici eadem demonstravit, ni fallor, nomenclatura; quae mihi adeo adrisit opinio, ut ejusdem Leonis motus auctoritate Analectam hanc meam adpellare quoque elegerim consimili fere nomine, eo quod consimilibus, iisdemque fere Opusculis constet, quibus Ostiensis ille Codex, ut reor, compositus habebatur. Etsi, ut neque hoc taceam, non abnuerim eidem Codici, velut Pergon aliquod, adsutam extitisse Seriem illam Romanorum Pontificum, & Imperatorum, quam idemmet Ostiensis ibidem adserit in condendo suo Chronico sibi deservisse, eaque in Freccelano pariter aderat, ut superius est dictum, ita ut adfirmare quis possit, praenominata omnia Opuscula de more Librarios olim compaginare consuevisse, quod magis probo, quam eundem Salernitanum illum Codicem primum ab Ostiense fuisse possessum; qui utique alterum possedit, & notae oppido melioris, sicut ex adnotatis ad oram Historiae Erchemperti num. 3. observare valebis. (a) At ego vel alia ducor conjectura, adfirmoque quod si compaginata isthaec Opuscula una unquam, simplicique demonstrata fuere Epigraphe, illa quoque, sed alternatim fuerit,* Historia Erchemperti, *quo nomine non Salernitanum Auctorem indicatum dixerim, sed Cassinensem Monachum, cujus Historia, haud dubie antiquior altera, haberetur caeteris Opusculis praefixa, quibus nomen illa suum communicaverit vulgi consuetudine; quandoquidem consimilia Parerga multoties* τοῦ ἔργου *nomine demonstrari consuevisse, manifesta res est; & quidem non alia ductus ratione Leo Ostien.*

(a) *Sique illud fuit* Erchempertus *non eo Salernitanus auctor indicabatur.*

Ostien. lib. 1. cap. 19. adpellatione Historiae Erchemperti hanc Anonymi Salernitani, me arbitro, designavit, quod illum fecisse observabis ad oram partis secundae ejusdem Anonymi. Sed nec valde alienum est credere Librarium Codicis Salernitani, qui patria, sicut paulo post dicam, Salernitanus pariter extitit, in eodem a se scripto Codice, ordine commutato Opusculorum, concivis sui Historiam ceteris aliis praeposuisse; quibus si meis non erit, qui subscribat adsertionibus, neutiquam molestus ero, modo adsurgat, qui dissolvat, non discindat hactenus productos implicatos nodos. Verumtamen si ista non displicebunt, consequens erit, ut Titulus ille Scriptis Codicibus praefixus. Historia Heremperti Viri Illustris ex Prosapia Principum Langobardorum, *fuerit quoque germana (a) Epigraphes Historiae veri Erchemperti, quod non abnuerim, hoc tamen adbibita censura, ut legi deberet*: Historia Erchemperti Viri Illustris de Prosapia Principum Langobardorum, *quod idem sonaret, ac*: De serie Principum Langobardorum, *namque hoc id verbi demonstrabat apud hosce Langobardos Auctores, sicut verbum quoque illud* Genealogia; *ut alibi dicam. Et revera quamvis vel Anonymus Salernitanus, vel Erchempertus e Principibus quibusvis Langobardis originem duxerit, quod non alio adhuc constat indicio, magis decuit Historiae argumentum in libri fronte praesignari, quam hoc praetermisso, genus semel, & iterum explicari auctoris: immo non explicari, consanguineis Principibus non designatis, qui tum Beneventum, tum Salernum non uno, singularique exorti germine obtinuerant. Sed qui judicium hoc meum improbabunt, credent potius eundem Frecciam impositi libro nominis auctorem fuisse, quod passim nulla dubietate creditur etiam auctor Glossarum, sive Adnotationum, quas dixi, ad oram unius Chartacei Codic. adscriptas haberi; quibus, nec non & superposito Titulo, alter Papyraceus, qui meo fuit usui, caret; talis nempe fa-*

(a) *Germanaque antiqui scr. Cod. Epigraphe nec illa erat, quam recentiores repraesentarunt.*

factus a Librario, qui nihil admiscuit, quod neotericus idem Freccia, ut ipse putavit, induxerat adnotator. Sed de Titulo res utcumque se habeat, de Glossis quidem aliter censendum opinor; Glossographus enim ille haud extitit Freccia, sed ignotus alter solido adminus saeculo antiquior, sicut ex Notula, sive Glossa (a), *quae non longe est ab initio Historiae Anonymi Salernitani, eo loco, quo agitur de Rege Aistulfo, & de Cominalio Castro, ubi ad oram adpicta sunt haec verba.* Hodie est Episcopalis Civitas in Valle prope Ferrariam: vocatur Comaclum, & gubernatur a Marchionibus Estensibus. *At Dynastae illi Estenses eo desiere adpellari titulo usque ab anno* 1471. *quando advivens Paulus II. Summus Pontifex Ducatus honore decoravit Borsonem primum Ferrariae adpellatum Ducem, ut legere est in Historia Johannis Baptistae Pignae de Principibus Atestinis lib.* 8. *& apud Abrahamum Bzovium in Annal. Eccles. ad annum praescriptum. Adeoque remotam Adnotatoris aetatem cetera adfixa adnotamenta etsi non adfirmant, certe non infirmant; unumque illud esset expendendum, cui scilicet congrue convenire possit tempori, quod legitur ad locum extremae Historiae ejusdem Anonymi, ubi agitur de Regibus Italiae Berengario, & Adelberto ab Othone Magno e Regno dejectis, ut inde vera, certaque Glossographi hujus aetas agnosci valeret, quo loco insunt ista.* Vereor ne sic quoque contingat modernis temporibus de Regno Siciliae. *Quae sicut Frecciae scripta nullus adfirmabit, ita non sat mihi liquet, quam definite temporum conditionem demonstrent, quae annum praecesserit* 1471. (*) *Et haec de aetate Glossographi, qui innumeris in locis Salernitanum se prodit, dum enixe studet adnotatiunculis suis, laudibusque urbem illam extollere, ceterisque hujus Regni omnibus anteferre.* (b) *Atqui eundem Membranaceum Codicem talibus Glossulis redimitum*

nec

(*) Temporibus in illa fortasse temporum perturbatione sub Regina Johanna II. quibus Regnum utriusque Siciliae intestinis vexabatur dissidiis.

(a) *Ad cujus Codicis oram pleraque adnotavit vir patria Salernitanus.*

(b) *Illumque ex Langobardico autographo excepit.*

nec alia, nisi Glossographi aetate exaratum fuisse credam: immo nec ab alio librario, quam ab ipsomet illo, qui ex antiquiori, vereque Langobarditis literis scripto libro depromserit, admonitionemque praefixerit initio excepti a se exempli de tituli defectu in exemplari reperto. Idque ut credam uno persuadeor argumento, quod acceperim Vaticanum pariter exemplar, nedum Papyraceos Codices, nonnullis scatere mendis, quae in adfixis quoque Glossis inhaeserunt, quod visum est non ab alio potuisse emanare fonte, nisi ab eodemmet Glossographo exceptore, qui Langobardici vetustissimi Codicis interpretationem fuerit quandoque haud bene assecutus, inque textum, & suas Glossas eadem intulerit sphalmata, sicuti, ut complures alios locos omittam, num. 21. *Historiae Erchemperti utrobique offenderat, commutans in.* mare Pabrisatum. *quod erat*. Marepahis Suram. *& adnotans ad oram haec verba*. Locus prope Amalfiam. (a) *At de his etsi satis, superque disserui; hoc tamen adjicere placet, quandoque esse me opinatum Gasparem Muscam in Catalogo Episcoporum, & Archiepiscoporum Salerni germanum hujus Anonymi tradidisse nomen., qui illum non Herempertum, ut ceteri omnes, sed Edimbertum adpellavit; namque reputaveram, quod nisi secretiori aliquo indicio inductus, non deflexisset Musca a vulgata, & communi nomenclatura; sed postmodum res aliter visa est, quando eundem illum expertus sum, suique concives consensere, non admodum diligentem, peritumque, ne in rebus quidem patriis, extitisse scriptorem. Quo circa in re prorsus obscura omnibus cum sim destitutus indiciis, ignoto necesse est, ut censeatur mihi nomine Salernitanus hic noster.*

(b) *II. At si damnosa isthaec mea reputabitur diligentia, qua notum Historiographi deperit nomen, nullo interim altero subrogato, levem sane jacturam majori utilitate rependam, aperiens Anonymum istum patriam habuisse Salernum, urbem amplissimam, aliaque ad ejusdem notitiam con-*

(a) *Sed tandem ignoto nomine censendus est Salernitanus hic noster.*

(b) *Qui certe patria Salernitanus.*

conducentia demonstrant, studiosisque antiquitatis non injucunda. *Et quo ad patriam, non ne illum jure adfirmabo Salernitanum, qui pluries, sive de Salerno urbe, sive de ejusdem Cathedrali Ecclesia scribens, una semper, eademque utitur dicendi forma, qua ibi se incolatum habere demonstrat? Certe ejus per totam Historiam sunt verba.* Hanc civitatem undique communivit. De hac praeclarissima civitate. In hac Salernitana urbe. Ad hanc urbem ad habitandum revertuntur. Res mira in hac Sancta Sede accidit. In hac Sede Salernitana Episcopus. In hac Sede Salernitana Praesulem constituit. Secundum eum in hac urbe constituit. *Quae de se testimonia satis si non fecerint, addam hoc amplius; illum scilicet aperte semel, & iterum dixisse.* stilo proprio, *res Salerni se scribere: tu alterum ex iis locum inspice in postrema Historiae parte, quam typis tradam; ut interim aliud in opportuniorem, nec remotam valde, occasionem differam argumentum, quo ejus patria, & genus omni ablato velamine manifeste declarabitur. Quid autem id verbi:* stilo proprio, *denotet, docent Acta Sancti Germani Episcopi Capuae in antiquo ejusdem urbis Breviario; illo enim commonstratur rem stilo proprio describi, quae ex peculiari proposito describenda fuerit suscepta; sed eadem Acta promtius suppeditat clari vir nominis Michaël Monachus in suo jam olim edito Sanctuario, quo primum, maximumque historiale decus urbi, Ecclesiaeque adcessit Campanae. Et haec de patria hujus Anonymi.*

(a) *III. Ejusdem vero genus e Langobarda gente fuisse exortum, jam clare liquet ex suscepto a se munere conscribendae Historiae Principum Langobardorum, quod nec pudendae, nec infimae sortis fuisse oportet, si rite ejus verba expendo, quo loco scripsit, Abavum suum Radoalt una cum fratre Radolfo, & quadraginta aliis Beneventanis Salernitanisque sub Principe Sicardo Neapolim sponte exules commigrasse; quos omnes Patritios nobilesque extitisse viros,*

(a) *Vir Langobardus, ideoque nobilis,*

ros, res tunc acta, ibidemque enarrata demonstrat. Etsi Langobardi omnes sordidis ab artibus semper abstinuere, dum rebus potiti sunt prosperis, ac primaeva in dignitate permansere; nullusque in tota gente habebatur, qui Sublimis, & Illustris, hoc est Patritius, non censeretur; de quo alibi erit dicendum.

(a) *IV. Anonymus autem noster Ecclesiasticum quoque se non uno aperit indicio: ex usu scilicet Sacrae Scripturae, & Sanctorum Patrum, quorum vel dicta, vel phrasim passim usurpat, ut in sectionibus, quas evulgabo, maximeque in integra scripta Historia quisquis poterit observare. At definite Monachus demonstratur, ni fallor, quo loco agit de his, quae gessit Rex Galliae Carolomannus in Monasterio Casinensi sub regulari Monachorum disciplina degens; ubi exprobratum dicit illum a suo Abbate saepesaepius fuisse*, sicut (*ejusdem Anonymi sunt verba*) mos est Abbatibus, ut per exprobrationem, quae Monachis a foris infertur, de intus, quod animo gerant, cognoscere valeant. *Monachorum enim disciplinam Monachum quoque virum percalluisse oportuit. Sed in D. Benedicti familiam, quae Salerni Coenobia obtinuerat, lateque per omnes Langobardorum, externarumque gentium urbes miro populorum obsequio vigebat, potius quam in alteram alterius instituti, illum adscriptum consensero; numque is cum plu-ries dixisse se brevitati studere, ejusdem tamen Carolomanni in Monachatu res gestas prolixo, immo vaniloquo ditendi genere, sibi plane consueto, prosequi non est fatigatus.*

(b) *V. Et sane hoc vaniloquentiae vitio, adusque nauseam illum laborare, promta experieris lectione, qua pariter comperies non meliori ingenio, prudentiaque praeditum, nec sapientiori doctrina excultum fuisse, quam puerili: adeo levissimis totus incumbit affaniis, seduloque studio Grammatistam agit, cum non est opus, praeclaris interim*

(a) *Monachus Benedictinus.*

(b) *Sed pessimi saeculi culpa parum idoneus Historicus.*

rim rebus, memorandisque factis raptim, & quasi per transcursum leviter, ac quandoque ne leviter quidem libatis. Quam levis animi culpam referendam censuerim, tum ad sui seculi morem, tum ad ejusdem inscitiam linguae Latinae, quibus ille, sicut alii plerique ejusdem aevi scriptores, vel inlectus blanditiis, vel abactus incommodis, non alia voluerit, valueritque adnotare. Sed ne me de viro, cui ceteroqui injurius nil sum, cujusque nobilissimam patriam haud sola Medicorum antiquissima, celeberrima Schola in literis praesignem veneror, primum hanc asperam tulisse censuram credas, en cedo tibi, omissis Angelo Constantino, Antonio Caracciolo, aliisque multis, unum Baronium, qui ad annum 787. *num.* 101. *de illa parte ejus Historiae judicium ferens, quam priorem dabo, habet eandem sibi non in omnibus probari, quod & fabulosa inibi commista habeantur multa. Et quidem fabulosa quamvis illa non fuerint prorsus existimanda, ut ex inibi ad oram adnotatis ex parte constare poterit, indiligenter tamen, ut pleraque alia, descripta fuisse, ac aniles quandoque fabellas sermonibus suis illum immiscuisse, denegari nullo potest modo. Ceterum vero imperitiae vertendum non ipsi puto, quod integras Anastasii Bibliothecarii de rebus Langobardorum Regum Ratchis, Aistulfi, & Desiderii enarrationes ad verbum adposuerit initio suae Historiae; nec quod Erchemperti fere dimidiam ipsissimis verbis suae pariter adtexuerit: namque id consueto tunc more, Zonarae, Cedreno, Theophani, Paulo Diacono, Aimoino, aliisque scriptoribus notae sane melioris usurpato, commisisse potuit, quocirca in his non amplius immorabor.*

VI. (a) *Tali igitur scientia, prudentiaque noster cum haberetur excultus, Historiae se dedit, non alio consilio, ut opinor, nisi, ut decursum jam olim Erchemperto stadium recurreret, & certe non majori intendens bono, quam ut res patrias, vel ab Erchemperto omissas, vel non dum illo superstite, actas, describeret, quod aeque ambitiose, ac ne-*

(a) *Qui Erchempertum aemulatus Historiam conscripsit.*

negligenter est exsequutus. Is (& hoc etiam accedat ad ejus prudentiae experimentum) Pauli Diaconi ejusdem Erchemperti consilium, qui silentio obvelari voluere Langobardici Regni excidium, vel non adsecutus, vel despicatus, nil pene, quod ex Anastasii libro mutuari, & e seniorum relatione expiscari valuit (alios Historicos nusquam inibi agnoscitur adhibuisse) praetereundum sibi duxit; ut sic forte Erchemperti indiligentiam argueret, quem eandem Historiam retexendo aemulandum susceperat; magnumque operae pretium facturum se crediderat, si pleniorem de iisdem Regibus tradidisset descriptionem, quam quae ab Erchemperto suae olim haberetur praefixa; e qua, haud dubie, agnoverat eorundem Regum gesta pleniora haberi in Romano Pontificali, hoc est in Anastasii Bibliothecarii libro de Vitis Romanorum Pontificum sibi, ut monui, ex parte exscripto. Propositum vero tale suum ipse non aperuit, qui initio operis nullo praeloquio usus, postmodum cum longe aberrantem ad se reduceret sermonem, loco praefatur non suo his verbis. Interim nunc generalis Historiae revertamur ad tramitem, & omnimodo de Regibus obmittamus retexere; tantum de Principibus, qui fuerunt in nostris videlicet partibus, partim quae in hoc mundo gesserunt, partim de eorum audaciis, quibusve temporibus perdurarunt, huic compendioso subnecto sermoni. *Ut scilicet in hoc quoque Erchempertum aemularetur, qui peracta pariter Regum descriptione, praefatus fuerat; verumtamen ille id commiserat certe peritius, namque suam Historiam ab descriptione sejunxerat, exordio quoque usus pleno, & probo, nilque antedictis commisto.*

VII. (a) *Anonymus igitur noster Erchemperti vestigia secutus, assecutus tamen neutiquam est parem qualemcumque laudem; qui & in hoc pariter longe ab eodem constitisse comperitur, quod sua in pangenda Historia non unius, alteriusque anni curriculum impendit, sicut conjicere me posse arbitror ex hoc, quod ille eidem insistens, primum Grae-*

(a) *Inque eam pluribus incubuit annis.*

Graeci, postmodum Latini Imperatoris partibus adhaeserit, sectatus scilicet post decursos aliquot annos Salernitani sui Principis, suaeque Patriae commutatos affectus; (a) Princeps enim Gisulfus Orientis Imperatoribus, & signate Nicephoro Phocae, certe favit, contraque Othonem Magnum stetit. Idque tum ex ejusdem Anonymi Historia agnosco, in cujus postrema part. num. 3. habetur Othonem in anno ibi ad oram adnotato 968. millia damna, & oppressiones gessisse in Principatu Salernitano; *tum ex Salernitanis Tabulis illius aevi, in quibus Graecorum Impp. nomina praefigi consueverunt. Sed Principatus ille ad obsequia tandem conversus certe est Othonis II. cum in anno* 974. *sicut ex nota constabit ad eamdem postremam partem hujus Historiae, cessit Principi Capuae Pandulfo Caputferreo, & ejus filio Pandulfo pariter nuncupato, qui, eodem Anonymo adfirmante, Othoni addictissimus fuit. Procul igitur dubio Graecis tunc favens ille, dedit se Historiae, in cujus initio, ut comperies, a Graecis quidem seductus nullum esse Occidentale Imperium pronunciavit, quod postmodum medio in opere, factione abjurata, & Othoni, Pandulfoque obsecundans, refutasse videtur, Apologeticam de hoc producens Epistolam Imperatoris Ludovici ad Imperatorem Basilium, quam ex hocmetipso Auctore reproduxit Baronius ad annum* 871.

VIII. (b) Et quidem ille adusque tempora ejusdem Principis scriptione sua pervenit, quae haud magna parte mutila obsidionis narratione clauditur a Pandulfo in urbem Salernitanam firmatae; isque defectus, sive casu, sive consilio contigerit, non plane didici. Verumtamen, hac opportunitate accepta, Campanos omnes, unaque Salernitanos, ac Beneventanos monitos velim, si modo fas est mihi admonere, quos veneror, ac propenso animo colo, ut meminerint

 se

(a) Hinc est, quod Eugenius Graecus Patritius *pacifice Salernum venit.* &c. ut idem prodit Anon. Salern. p. 7. n. 4. Ibidemque Basilius Imperialis Protospatarius *fecit Chartulam Cassinensibus* &c. Ostiens. lib. 1. c. 59.

(b) *Quae, etsi mutila, perducta habetur ad tempora Principis Capuae Pandulfi Caputferrei.*

se maxima ex parte ex una, eademque Langobardorum gente fuisse progenitos, quae pari virtute amplos Principatus, quos ipsamet instituerat, possederit; sique inter eos acciderit aliquando de primatu contendi, mente ipsi revolvant, animas vere magnas aemulatione non dissociari unquam, sed virtutem, quae ab aliis possidetur, quamque adsequi student, seque in ea minus valere non adsentirent, libero, & veriloquo extollere semper consuevisse sermone. Nec vetustae propriae dignitatis praejudicio vertant vicissim, quod aliquando Capua Benevento, & Salerno: Salernum Capuae: utrique Beneventum imperarit, quod negari nullo potest modo; etenim eorundem jura, quo ad hoc inter se aequata exinde remansisse, explorata res est: oportuitque ut Campanus Principatus omnium novissimus priorum duorum obfuscaret gloriam, naturae ordinem secutus, quae recentius orta indesinenter facit validiora senescentibus. Sed redeo ad Anonymum.

IX. (a) Qui peculiari obsequio novum Principem Pandulfum est veneratur, illi suam nuncupans Historiam; sicut indicat, quod adfixit ad finem ejus, Carmen eo loci exaratum in Scriptis Papp. Codicibus: idque non de altero Principe potest aptius interpretari, nec alteri, nisi eidem Anonymo deferri; siquidem ibi adseritur conscriptam Historiolam cuidam Principi ab Auctore donatam, quem Aristarchi immerito suggillabant; ii scilicet, a quibus idem Anonymus, tum alibi, tum par. 3. 5. & postrema sibi timet. Commonstrari autem eodem in Carmine Principem, quem dico Pandulfum, qui Salerno tunc potiretur, Distichon illud probat:

„ Tempore praeterito tellus divisa maligno
„ Unitur tuo ecce, tuente Deo.

Nullus enim alius Langobardus Princeps divisum olim in partes Principatum Beneventanum solus unquam possedit, nisi Pandulfus, qui dictus est Caputferreus, idemque Capuae primum, mox, defuncto fratre Landulfo, Beneventi

(a) *Cui Auctor illam nuncupavit.*

ti (quod noster Anonymus tradit postrema parte num. 3.) *tandemque Salerni extitit Princeps, cujus Principatus titulo coepit uti in aestate anni* 978. *filio Pandulfo interim ab anno* 974. *non post Octobrem eodem titulo, sed adoptione Principis Gisulfi, condecorato, ut constabit in ejusdem postremae partis nota. Sed horum trium Principatuum possessio ipso in Carmine satis est manifesta, tribus scilicet his urbibus inibi demonstratis; hoc est Capua proprio nomine: Benevento, & Salerno, quadam velut Periphrasi designatis. Mihi enim carmine illo:*

,, Ticinum geminum, eheu, viduata manes.

non aliud sonat, nisi Beneventum, quod plane fuit alterum Ticinum, *sicuti ejus ditio pariter dicta est* Langobardia, *tum aliis, tum Graecis praesertim scriptoribus, Constantino Prophyrogennetae libro de Adm. Imp. cap.* 29. *& Cedreno pluribus in locis; eademque mente Auctor Historiae Miscellae lib.* 23. *Cis Alpinam Galliam* Langobardiam Majorem *dixit, ut scilicet ab hac Minori CisTyberina illam discriminaret. Salerni vero nomen eo continetur versu.*

,, Gemmea nunc iterum exultas urbs cantibus . . . .

quae urbs Opulenta *dici consuevit in Bullis, sive sigillis suorum Principum, quod in idem recurrit.*

X. (a) At si ex dictis inferre quis velit, non ultra Pandulfi Caputferrei aevum Historiam ab Anonymo perductam fuisse, non ego certe agnovi, cur sic quoque rite existimari non possit; ille enim non alio vixit tempore, quam nuper designato; quod tum dicendi quaedam forma in extrema Historia sibi usurpata, qua de rebus agit, tanquam praesentibus, tum quod habet de nece Beneventani Principis Adelchis, qui tertius fuit a Principe Sicardo, manifesto declarat, e qua ad sua tempora centum decurrisse annos adfirmat. Atqui Adelchis ille a suis peremtus fuerat non post annum 879. *Anno igitur advivebat, scriptionique incumbebat* 979. *Quibus adcedit, quod idemmet Anonymus meminit Radoaldi Abavi sui adviventis sub Principe Sicardo,*

(a) *Ejusdem vivens aetate.*

do, a cujus morte ad obitum Pandulfi Caputferrei effluxere anni plus minus 140. quot, vel circiter effluxisse pariter oportuit, juxta Chronologorum ratiocinium subputando, a Radoaldo ad se decursas non plene quinque aetates: Abavi, Proavi, Avi, Patris, & ipsiusmet Anonymi filii. Eruntque forte, qui huc pariter ducent, quod in Elencho Regum Italiae praefixo Scriptis Codicibus hujus Historiae, continens illorum series perducta habeatur ad Imperatorem usque Othonem III. signateque ad illius annum 12. qui incidit in annum Christi 995. atque eousque existimabunt eundem Anonymum, vel vivendo, vel scribendo pervenisse, quippe qui idem vulgo reputetur illius Indicis auctor; verum id ego non certo adfirmabo, qui magis credo, Indices illos omnes, velut quaedam Prolegomena, praefixos fuisse illis Opusculis in unam Langobardorum Historiam coagmentatis ab eodem illo librario, qui talem condiderat Analectam anno plane 12. Othonis III. decurrente; & quidem multoties illis Indicibus non convenit, nec Historia Erchemperti, nec hujus Anonymi Salernitani. De quo satis.

Si quis vero a me petet, cur subscriptas potius, quam alias ejusdem Historiae partes evulgaverim, videat is, quaeso, an petitioni tunc suae satisfecissem, quando non has, sed alias, nec tamen integram Historiam, edidissem; quam sane provinciam ejusdem Anonymi civibus jure merito relinquendam putavi.

IN

IN

ANONYMI SALERNITANI
PARALIPOMENA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MEminerit Lector, fibi ante oculos jam verfatum fuiffe *Anonymum Salernitanum*, in Tomo nempe antecedente II. pag. 281. curâ meâ recufum, & ampla jamdudum Praefatione ornatum a Cl. Viro Camillo Peregrinio, qui eum primus tenebris ereptum in palaeftram Literatorum eduxit. Sed fimul quifque meminerit, non univerfam illius Hiftoriam, fed excerpta tantum, ac frufta fuiffe ab eodem Peregrinio evulgata. Mirabar ego hominis confilium, qui non doctrina minus, quam ingenio fubacto illuftris, in animum induxerit, laceratum potius, quam integrum nobis exhibere vetuftiffimum Scriptorem, Scriptorem nimirum Decimi a Chrifto nato Seculi. Immo, ne quid diffimulem, pene Peregrinio vitio dabam, quod quum Langobardicam veterem Hiftoriam fibi illuftrandam fumfiffet, nihil moratus Italicorum Hiftoricorum per ea tempora penuriam, & contemta Eruditorum fiti, tantam Salernitanae hujufmodi Hiftoriae partem deperire, fciens ac volens, fiviffet, unde inftituto fuo accefsio non levis fieri potuiffet. Et ille quidem, ut vir plane fagax, meas quamquam tûnc nondum nati, immo & ceterorum hac de re querelas praefenfiffe ac praeoccupaffe videtur. Audi quid ille habeat in Praefationis fuea calce ad Anonymum ipfum, de quo nunc agimus, pag. 286. Tom. II. Collectionis hujus: *Si quis vero*, inquit, *a me*

me petet, cur ſubſcriptas potius, quam alias ejuſdem Hiſtoriae partes evulgaverim, videat is, quaeſo, an petitioni tunc ſuae ſatisfeciſſem, quando non has, ſed alias, nec tamen integram Hiſtoriam, edidiſſem; quam ſane provinciam ejuſdem Anonymi civibus jure merito relinquendam putavi. Ita is, & procul dubio ludens, quo interrogationem, ſimulque vota noſtra eluderet.

Itaque mihi in id ſolicite intento, ut quaecumque medii aevi Italica monumenta ſuperſunt, congeram, nihil antiquius fuit, quam ubique magna animi contentione rimari, petere, ac inſtare, quo mihi tamdem, ac univerſae Reipublicae integram *Anonymi Salernitani* Hiſtoriam compararem. Potiſsimum vero Neapolitanos Cives aliquot doctrinae gloria praeſtantes, quorum in me ſtudium ac benevolentiam ſenſerat toties, diu precibus pene in hac re defatigaram; quum ecce mihi opem tulit Clariſsimus Vir *Nicolaus Carminius Falco*, Neapolitanae Urbis illuſtre ornamentum, quem Theologiae, Juriſprudentiae, & Graecarum, Latinarumque literarum eruditio jam celebrem fecit, ac celebriorem etiam effectura eſt, ubi nobilem Dionis Caſsii Hiſtoriam, cujus hucuſque tres poſteriores tantum Libros pene in vitam revocavit, ac edidit, integram nobis ac illuſtratam dabit, pro ut ipſe ſperare nos facit. Is, inquam, vix meam de reperiundo, ſimulque evulgando Anonymo Salernitano ſolicitudinem audivit, quum ſponte, ut eſt non minus diſciplinarum copia, quam humanitate praeſtans, & publicae utilitatis amantiſsimus, mihi antigraphum obtulit, ac deſcribendum permiſit. Erant autem Peregrinio Hiſtoriae hujus exempla duo in Codicibus ex vulgari papyro compactis, neque tamen antiqua, utpote ex altero Frecciano, & ne ipſo quidem vetuſto, expreſſa. Vaticana quoque Bibliotheca, & Columnenſis, & Aniciana in Urbe, ejuſdem Hiſtoriae Codices adſervare dicuntur. Mihi igitur Clariſs. Falco alterum exemplum procuravit, quod eſt penes doctiſsimum ac piiſsimum P. D. Euſtachium Caracciolum Clericorum Regularium, cujus poſtremum decus eſt ex nobi-

nobilissimis Marchionibus Torellae originem traxisse, & cui peculiare studium fuit congerere quidquid antiquitas ministrare potest ad cognoscendam potissimum Neapolitani Regni Historiam. Et quidem in isto quoque exemplo omnia occurrebant, quae Peregrinius se in Frecciano conspexisse fatebatur, nisi quod Amanuensis, quo ego sum usus, antiquis Frecciani exempli sphalmatis sua etiam succenturiavit, ad quae tollenda, quamquam non modicum temporis ac diligentiae adhibuerim, me tamen vadem non praestarem, omnia, quod optabam, a me fuisse sublata. Neque enim mihi eam licentiam tribuere consuevi, ut alienis sensis, quoties ea minime assequor, sive sint ex Auctoribus ipsis profecta, sive ex Librariorum oscitantia procedant, imaginationes meas substituere velim; sed ea tantum expurganda novi, quae legitimus Critices usus adulterina esse in Codicibus satis aperte docet, reliquis subobscuris meliorum judicio dimissis.

Interim mecum Lector intente perscrutetur velim, quae olim ratio Peregrinio suaserit, ut quasdam tantum Anonymi hujus partes, non vero integram Historiam in publicum diem efferret. Duplicem divinare liceat. Altera fuerit, quod Scriptor iste, puerilis sane ingenii, uti post Peregrinium, qui idem jam diu sensit & monuit, unusquisque continuo sentire poterit, aniles quasdam fabulas, praesertim ubi tempora Caroli Magni describit, nimia credulitate hausit, iisque non secus ac gemmis nihil titubans narrationem suam ornavit; has autem in Historici dedecus vergere, atque ex ejusmodi ineptiis reliquam Historiae faciem conspurcari, immo veris ipsis rebus per haec fidem detrahi putarit. Fuerit altera, quod posteaquam *Herchempertum*, jam ab Antonio Caracciolo, & mox ab ipso Peregrinio editum, Salernitanus iste non leviter expilasse deprehendebatur, nullius emolumenti videbatur repetita accipere a posteriore Historico, & quidem minoris pretii viro, ea, quae ex primigenio fonte facile ac purius peti poterant, & petenda rectius jam erant. Mihi vero contraria sententia placuit, atque in

D eam

eam quoque Eruditorum Senatum concessurum confido, simul ac legerint, ac rite perpenderint, quaecumque antea abdita Salernitani nostri scripta, nunc me curante, luce donantur. Quantis enim tenebris Italica Historia Seculi Noni, ac Decimi prematur, jam norunt Literati viri; & ego saepe ac saepius non satis dolui. At quando illustres rerum nostrarum Scriptores per illa tempora proferre non licet, quis non videt, vel triobolares & plebejos, dum ea aetate floruerint, & scripserint, ambabus ulnis nobis excipiendos, & magni etiam faciendos? Utique ea Secula noscere cupientibus praestat habere Historicos, quales possumus, quam nullos. Neque vero adoptatae a Salernitano fabulae nonnullae justam praebere possunt causam, quare illius Commentarios aversari velimus. Enimvero de plerisque rudium Seculorum Historicis actum fuisset, si apud majores nostros obtinuisset tam delicatus rigor. Actum quoque foret de compluribus hactenus luce carentibus, si in animum induceremus, nullos alios amplecti, quam qui a fabulis penitus immunes se produnt. Olim nempe rudes homines, & parum in Critica Arte exculti, quo mirabiliora audiebant, licet ficta, licet popelli somnia (neque enim Impostorum semen umquam exaruit) eo avidius excipiebant, literisque mandabant. Quo vitio quum fere omnes Seculis iis laborarent, nemo tamen mihi succenseat, si dixero, Monachos potissimum nimia hujusmodi credulitate excelluisse, & pronos in fabulas ruisse (*): nimirum quod ex iis non pauci, simplex hominum genus, quum ab imponendo aliis nimis alieni forent, ne ab aliis quidem sibi imponi suspicarentur. At ii ipsi Monachi ita nobis, & veterum monumenta, & illorum temporum vera gesta servarunt, ut si iidem de-

(*) Ipsum Leonem Card. Ostiensem praeclarissimi nominis Historicum testem in medium produco, Erchempertum, Ignotum, Anonymumque Cassinenses, aliosque hac in mea, & Muratorii ejusdem collectione Scriptores allatos, quorum scripta in singulis quibusque fere paginis fabellis scatent, legentesque aliquando stomachum movent.

defuissent, atque si ipsos audire nunc desinamus, exsanguis omnino necesse sit restet plurium Seculorum cognitio. Critici ergo est ab antiquorum fabulis certa secernere, & in iis ipsis fabulis interdum vera exspiscari: nihil vero facile aspernari.

Salernitanus autem noster, ut ut fateri cogamur, fabulis nonnumquam indulsisse, numquam tamen dixeris a se ficta venditasse. Et quod maximi faciendum est, plura minime dubia de antiquis Beneventi, Salerni, & Capuae Principibus in usum nostrum scripsit, quae non aliunde speres, & e quibus Regni nunc Neapolitani, & Seculi IX. & X. Historia plurimum lucis accipiat. Quod si *Herchempertum* is non uno in loco depopulatus est, nemo tamen inficias iverit, quin plerumque ab eo derelicta enarret, aut ab ipso traditis aliquid adjungat. Potissimum vero quae post Erchemperti mortem literis consignata in hoc Libro occurrunt, uni Salernitano nos debemus accepta referre. Quare non solum sine haesitatione, sed ingenti cum gaudio illius *Paralipomena* evulgare constitui, in eam spem ductus, fore ut ceteri faterentur, hinc non parum accedere posse ad Italicae eruditionis promtuarium. *Paralipomena*, inquam, sive quae relicta sunt, & nondum edita a Camillo Peregrinio; neque enim defuere, qui mihi auctores erant, ut illis etiam rursus editis, atque cum hisce conjunctis, integram heic & continuatam Anonymi Salernitani Historiam Lectori sisterem. Sed quoniam tam illa, quam ista unum Opus est complexurum, nulloque negotio Lector, quae heic omittuntur, mutuari potest ex praecedente Tomo II. chartae omnino parcendum duxi (*), & ea dumtaxat, quae hactenus desiderabantur, huic Tomo commendare satius putavi. Et praecipue quod Peregrinius a se edita cum luculenta Praefatione, tum Notis eruditis ornavit, quae sive repetiissem, sive omisissem,

D 2 utrum-

(*) Parcendum potius molestiae erat, quam quidem vitasset Muratorius, si integram ibi historiam retulisset, vel alibi, innuens tantummodo partes, ac notationes, quas illis Peregrinius appinxerat.

utrumque incommodo minime caruisset.

Nunc aliquid de ipso *Anonymo Salernitano* ad memoriam revocandum est, ex iis videlicet, quae jam Peregrinius erudite pro suo more est commentatus. Patria procul dubio ei Salernum fuit: genus Langobardicum, quum gentem illam ubique laudet. Illustri etiam loco natum ea produnt, quae de Abavo suo *Rodoalt* habet num. LIII. auctor enim est, ipsum una cum *Radolfo germano suo* sub Sicardo Principe Beneventano Neapolim se recepisse; addens: *ipse Radoalt abavus meus extitit*. Non consuevere infimae conditionis homines arbores Genealogicas domi habere. Majores etiam suos, si patrem, aut avum excipias, plerique ignorant. Praeterquamquod illic res gesta prodit, de illustribus viris agi. Ecclesiasticae quoque militiae addictum fuisse Anonymum nostrum, sunt quae persuadent: passim quippe Sacrae Scripturae phrasibus atque auctoritate utitur, & in Sanctorum Patrum scriptis minime hospitem se se exhibet, usque adeo, ut non immerito ipsum *Monachis Benedictinis* accensendum Peregrinius opinetur. Quod postremum sententiâ quoque meâ suspicari, affirmare tamen praefracte non liceat; nusquam enim Monasterii sui, suorumque Abbatum meminit: a quo Monachus vix temperasset in tot rerum gestarum, bellorumque narratione contexenda. Idque in causa fortasse fuerit, quod Clarissimus Vir Mabillonius in Annalibus Benedictinis eum inter Scriptores instituti sui minime numerarit. Frustra vero hactenus quaesitum illius nomen, ac proinde ei indita *Anonymi Salernitani* appellatio. Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Gaspar Musca, & post eum Ferdinandus Ughellius in Catalogo Salernitanorum Antistitum, immo & ipse Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis in Chronico Casinensi, quibus Historia haec non nota solum, sed in usu etiam fuit, eamdem sub nomine *Erchemperti*, sive *Heremperti*, laudarunt. Non alia profecto ratione, nisi quia tum antiqui, tum recentes Codices ipsius Herchemperti Historiam huic praefixam complectebantur, ibique unus hic titulus occurrebat; *Historia*

ria Heremperti Viri illustris ex prosapia Principum Langobardorum: scilicet nulla subinde epigraphe addita subsequenti Historiae Salernitani nostri, quae tamen absque dubitatione alia est ab Herchempertina. Liceat mihi nunc meam exerere conjecturam; quam, prout volunt, excipiant, aut despiciant Lectores; mihi enim idem fuerit. *Ardericum* fuisse nomen Auctori huic, facit ut suspicer unum Carmen in calce Historiae hujus legendum, *Rofrit*; sive *Roffrido Comiti* dicatum, cujus laudes Poëta multis prosequitur. Ita se habent priores quatuor versus.

O Comes excelso praefulgens culmine Rofrit,
Pectore Pierium percipe Poema pio.
Mos tuus, & species nam prodit, & actio, quicquid
Ardericus refero, haec ego pauca boans.

Cur enim aliis potius, quam ipsius Historiae Auctori Carmen hoc tribuas? Profecto Salernitanus noster Musis litabat, easque excolebat; versus etiam pangebat, & quidem improbos, uti adhuc testatur illius Carmen heic itidem legendum, quo suum Librum Pandulpho Caputferreo Beneventano ac Salernitano Principi dicat. Par utrobique stilus, eademque Poëticae Charites indicare omnino videntur, *Ardericum Salernitanum* utriusque Carminis, & per consequens Chronici ipsius Auctorem. Et quidni? quum Historia haec complectatur quidem Epitaphia nonnullis Principibus, aut illustribus viris posita, congestaque ab ipso Historico; sed nullum alterius Poëtae Carmen. Quod spectat ad illustrem illum *Roffridum Comitem*, ad quem Ardericus Poëta scribit, ne hoc quidem ab aetate *Anonymi Salernitani* abhorret. Ut infra dicam, floruit iste circiter Annum 980. Adi nunc Vulturnense Chronicon editum part. Tom. I. Rer. Italicar. ubi Charta refertur pag. 493. scripta Anno 1003. nempe donatio facta ab illustri femina *Maria filia bonae memoriae Roffridus Comes*, & *uxore Potefrit*. Ergo vixerit in Capuano, aut Salernitano Principatu circiter Annum 980. *Roffridus* iste *Comes*; atque is facile fuerit ille *Comes Rofrit*, in cujus laudes *Ardericus* se effundit, ita ut congruentibus personis, lo-

cis,

cis, atque temporibus, idem cum isto Arderico fuisse censeri possit, qui hactenus *Anonymus Salernitanus* est nuncupatus (*).

Annum indicavi 980. quo Scriptor iste vixerit; & Historiam suam elucubrarit, quam sententiam rite jam dudum statuit & firmavit Peregrinius. Nimirum ad ea usque tempora constat illius narrationem pertingere. Ad haec Historiam ipsam Pandulfo Caputferreo dicat, qui currente Anno 978. Principatum Salernitanum Beneventano & Capuano conjunxit: idque Anonymus (sive is sit *Ardericus Salernitanus*) populis iis felicitati tribuit. Denique enarrata violenta morte Adelchisi Principis Beneventani, quae circiter Annum 879. contigit, dicere pergit de loco necis: *Ab illo tempore nequaquam ibidem herba orta est, donec usque nunc nostris quoque temporibus centum anni expleti sunt*. Si post expletos a caede illa centum annos scribebat Salernitanus noster, ergo is florebat circiter Annum 980. Ceterum jam Peregrinius animadvertit, Scriptorem hunc Grammaticali eruditione pueriliter distentum fuisse: cujus rei exempla in his quoque Paralipomenis occurrunt. Indulgendum tamen homini, hujusmodi merces tunc venditanti, quippe ignorantia meliorum disciplinarum longe lateque iis temporibus regnante, famam saltem ex hisce minimis studiosi literarum sibi conquirebant. Immutata quidem sunt tempora; sed nobis felicibus nefas foret iis insultare, aut irasci, quod pari scientia ac felicitate minime fruerentur. Atque haec mihi commemoranda erant de pervetusto Scriptore isto, cujus *Parali-*

(*) Rofrit istum sive Roffridum filium Majelfrit Petrae Melariae Castri in Dioecesi Theanensi Comitem fuisse suspicor, qui A. DCCCCLXXXI. Monasterio S. Johannis Puellarum Capuae bona aliquot in eodem Castro sita donat, ut ex charta donationis, quae in eodem Monasterio servatur, apparet. Quae si mea conjectura vera sit, erui posse, credo, Rofrit sanguine conjunctum fuisse Capuanis Principibus, ut ex diplom. Fundationis Monast. Theanensis in fine Tom. I. quod consule.

ralipomena tamdem Lector accipiat: Subjungebantur in calce Codicis Carmina quaedam, inscripta tumulis olim Illustrium Virorum, atque alia nonnulla antiquitatis rudera, e quibus nihil deperditum volui.

Notae numericae Arabicae indicant adnotationes Muratorii in collectam Anonymi Historiam; notae Romanae, vel alia signa Pratilli animadversiones; literae vero variantes Lectiones designant.



Copia

Copia Historiarum (1) *Heremperti Viri illustris ex prosapia Principum Langobardorum.*

De adventu Caroli Magni in Italiam.

De eversione Regni Langobardorum, & captura Desiderii Regis Italiae.

De Coronatione Caroli in Imperatorem.

De Principatu Langobardorum Beneventi, & ejus jurisdictione per Provincias Samnii, Apuliae, Lucaniae, Calabriae, & Campaniae, praeter Neapolim, & alias civitates.

De Principatu Salerni, & quomodo primus Princeps ordinatus est.

De divisione Regionum; ac Provinciarum inter Principes Beneventi, & Salerni.

De finibus Principatuum Beneventi, & Salerni.

De Principe Capuae, quomodo primus creatus est, & de finibus sui Principatus, & de nova Capua dicta Sicopolis, bis loco mutata.

De Duce Magistro-militum, qui Neapolitanis praeerat.

De Duce Surrenti, & de Ducibus, & Comitibus Amalphiae.

De Duce Cajetae.

De bellis Neapolitanorum cum Beneventanis, Salernitanis, & Capuanis.

De foedere, & pace inter Principes praedictos cum Neapolitanis.

De

(1) Hujus Historiam jam supra editam habet Tom. II. Rerum Italic. pag. 238. immo & recusam Tom. V. pag. 15. qualem Antonius Caracciolus Cler. Regular. omnium primus protulerat. Et quidem in Codice eodem, unde Anonymus Salernitanus hausit, legebatur idem Herchemperti Opusculum, atque ita ipsius nomen in titulo occurrebat, ut Baronius putarit, omnia etiam, quae ab Anonymo Salernitano profecta sunt, uni Herchemperto esse tribuenda. Eumdem vide in Annal. Ecclesiastic. ad annum 871.

De Comitibus Compsiae, Capuae, & Acherontiae.
De Castaldatibus Acheruntiae, Capuae, Theani, Avellini, & aliorum.
De eversionibus multarum civitatum, & mutatione locorum, & de aliis, ut in hoc Libello.
De Saracenis, seu Agarenis, Francis, Gallis, & Graecis dominantibus, & de bellis, & expulsione ipsorum.
De origine Romanorum construentium Amalphiam, & alias civitates; & de Comitibus, & Ducibus Amalphitanis.

IN nomine Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Incipit Liber quarumdam Historiarum, Dominorum diversorum, guerrarum Regni Italiae, prout inventum fuit in quodam antiquo Libro literarum Langobardarum; cujus Libri principium non continebatur, & propter hoc sicut incipiebat praedictus Liber suas Historias recitare, ita nos incoepimus in praesenti Libro ipsius Historiam scribere & continuare.

ANno ab Incarnatione Domini Quingentesimo (*a*) Septuagesimo (2) quarto, incoepit Regnum Italiae per Reges Langobardorum. Quorum primus
Alboinus, qui regnavit annos III. (*b*) menses VII.
Cleph regnavit annos V.
Authari (*c*) (3) annos IX.

Agi-

(2) Ut in notis ad Paulum Diaconum, & in Langobardicarum Legum Prologo adnotatum fuit, Langobardi anno Christianae Aerae 568. Italiam ingressi sunt. Quei ergo ad annum 574. exordium Langobardici Regni in Italia protrahatur? Ticinum post triennalem obsidionem in Alboini potestatem cessit: ex quo saltem anno decurrere ei coepit Regiae in Italia potestatis Epocha. Quare haec emendanda; & praecipue quum infra Zottonis Beneventani Ducis ex gente Langobarda exordium referatur ad annum 568. (Prat.) *Vide quae sup. dixi Tom. I. & alibi melius dicenda sunt.*

(3) Ne fidem facile adhibeto Chronologicae huic Tabulae in assignan-

(a) *Sexagesimo octavo.*
(b) al. *IV.*
(c) *Crinutus.*

E

Agilulphus regnavit an. XII. (*a*)
Adebaldus crinutus an. X. (*b*)
Ariobaldus regnavit an. X.
Rothari regnavit an. XIII. m. VI.
Roboaldus regnavit m. IV.
Aripert regnavit an. IX.
Grimoaldus regnavit an. IX.
Bertharit regnavit an. XIV.
Cunipert (*c*) regnavit an. XIV.
Liutpert (*d*) regnavit an. XI. (*e*) m. VII.
Aripert alter regnavit an. XII.
Anſpran regnavit m. III. dies V.
Liupran (*f*) regnavit an. XXXIII.
Hilpran (*g*) regnavit m. VIII.
Rachis regnavit an. V. m. III.
Aiſtolfus regnavit an. VIII. (*h*) m. VI.
Deſiderius regnavit an. XV. m. X. (*i*)

Et ſic complentur an. CXI. (*k*) in quibus praefati XX. Reges regnaverunt in Regno Italiae, prout particulariter ſuperius denotatur. Quo tempore capta fuit Papia, (*l*) Incarnationis Domini eo tempore ibat annus CLXXV.

Poſt vero praedictos XX. Reges, pervênit dominium Regni Italiae ad Carolum Imperatorem ſuccedentem Regi Deſiderio ſupradicto ſecundum quod in antea plenius

ſignandis Regni annis ſingulis Langobardorum Regibus; nam aut Auctoris, aut Librariorum vitio numerus annorum ab auctoritate Pauli Diaconi, aliorumque certiorum monumentorum, interdum deflectit. Ego emendare, aut plura adnotare ſuperfluum duxi.

(a) al. *XXII.*
(b) *Iſte primus calciavit oſam particam.*
(c) al. *Cumperth.*
(d) al. *Lumperth.*
(e) al. *ann. XII.*
(f) al. *Lautpran.*
(g) al. *Hiltpran.*
(h) al. *VII.*
(i) *In Cod. Frecciano: Ipſe Deſiderius fuit ſuperatus, & captus a Karolo Imperatore.*
(k) al. *CCI. & al. CCXX.*
(l) al. *& Incarnatio Domini noſtri Jeſu Chriſti eo tempore ibat anno DCCLXXV.*

nius enarrabimus: Qui Carolus Imperator fuit ex genere Regum Franciae infrascriptorum, qui regnaverunt in Francia ante praefatum Imperatorem Carolum per tempora infrascripta.

Pipinus senior regnavit in Francia an. XXVII.
Carolus regnavit in Francia an. XXII. *(a)*
Pipinus, & Carolus Mannus Reges in Francia an. X.
Pipinus regnavit an. XXVII.
Carolus, & Carolus Magnus regnavit an. IV.
Carolus Imperator, de quo praediximus, regnavit in Italia an. XXXVIII. imperavit an. XIV. *(b)*
Pipinus in Italia imperavit an. XXII. *(c)*
Ludovicus imperavit an. XXV.
Lotharius imperavit an. XXX. *(d)*
Ludovicus imperavit an. XXVIII. *(e)*
Carolus imperavit an. VI. *(f)*
Carolus imperavit an. VIII.
Guido imperavit an. VIII. *(g)*
Lambertus imperavit an. IV.
Ludovicus imperavit an. XII. *(h)*
Berengarius regnavit an. XXII.
Hugo Rex an. XX.
Lotharius an. XI. *(i)*
Verengarius an. XI. *(k)*
Otto Imperator Augustus an. XXI. *(l)*
Otto Imperator an. XII.

ANno ab Incarnatione Domini DLXVIII. Principes coeperunt principari in Principatu Beneventi, quorum primus vocabatur Zoto. *(m)*
Arichis sedit an. L.

Ayo

(a) al. *XXV.*
(b) al. *VII.*
(c) al. *XXIV.*
(d) al. *Lautharius.*
(e) al. *XXXVIII.*
(f) al. *VIII.*
(g) al. *VI.*
(h) al. *XI.*
(i) al. *II.*
(k) al. *Verlengharius.*
(l) al. *ann. XI. Hic fuit primus Imperator Theotonicus: inde iterum: Otto Imp. Aug. ann. XXI.*
(m) al. *Zoto sedit ann. XX.*

Ayo filius ejus ſedit an. I. & m. II.
Radoaldus ſedit an. V. *(a)*
Grimoaldus ſedit an. XXV.
Romoaldus filius ſedit an. XVI.
Grimoaldus ſedit an. III.
Giſulfus filius ejus ſedit an. XIV.
Romoaldus filius ejus ſedit an. XXVI.
Audelajus ſedit an. XI. *(b)*
Gregorius ſedit an. VII.
Godeſcalcus ſedit an. III.
Giſulfus ſedit an. XIV.
Liutprandus an. VIII. m. III.
Arichis ſedit an. XXIX. m. VI.
Grimoaldus filius ejus an. XIX. *(c)*
Grimoaldus alter Storeſays an. XI. m. I. & dies X.
Sico exul de civitate Spoletina an. XII. m. II.
Sicardus filius ejus ſedit an. VI. m. X.
Radelchis ſedit an. XI. *(d)*
Radelgarius filius ejus ſedit an.III. m.III. *(e)* dies XXI. *(f)*
Ayo frater ejuſdem Radelchis an. VI.
Urſus filius ſupradicti Ayonis an. I. *(g)*
Poſtea dominati fuerunt in Principatu Beneventi annos IV. Simbaticus *(h)* Stratigo, & Gregorius Patricius Graeci, qui tunc in tempore *(i)* praeerant in Apulia pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani.
Guido Marchiſis tenuit poſtea praefatum Principatum an. I. m. VIII.
Radelchis Princeps ſedit an. I.

ANO-

(a) al. *Redoaldus*.
(b) al. *Audelayus ann. II.*
(c) al. *XVIII.*
(d) *In Cod. Frecciano additur: Iſte Radelchis incoepit principare an. Dom. 840. & tunc Civitas Capuana de novo conſtructa eſt juxta pontem, in quo nunc eſt. Et tertio anno Principatus ipſius diviſit Principatum Beneventanum a Principatu Salerni cum Sighinulfo filio Siconis Principis, & fratris Sicardi Principis praedicti.*
(e) al. *& dies VI.*
(f) *Adelchis frater ejus ſedit ann. XXIV. men. VI.*
Gayderis filius ſupradicti Redelgarii ann. II. men. VI. dies XIX.
Radelchis filius ſupradicti Adelchis ann. III. men. VIII. dies XXI.
(g) al. *an. V.*
(h) al. *Sabbaticus*. al. *Sabaticius Stratigus*.
(i) al. *qui tunc temporis*.

ANONYMI SALERNITANI CHRONICON INCIPIT.

CAPUT PRIMUM.


Esidente in Apostolica Sede *Zacharia Papa*, qui ob reverentiam Principis *(a)* continuo inclinatus in universo Italiae populo XX. (4) annorum spatio, pacem & concordiam ordinavit, *Carolus* (5) *Mannus* filius *Caroli Francorum Regis*, praesentis vitae relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad Beatum Petrum Apostolorum Principem devotus cum aliquantis suis advênit fidelibus, se seque eidem Dei *(b)* obtulit Apostolo, atque in spirituali habitu se fore spondens permansurum. Clericatus jugum ab eodem sanctissimo Pontifice suscepit, & inter alia multa dona obtulit Beato Petro Apostolo, & ante Confessionem ejus, Arcum *(c)* argenteum majorem pensantem *(d)* libras LXX. Et post aliquid *(e)* temporis ad Beati Benedicti Monasterium, quod in

(4) Corrige scribens XI. annorum: tot enim sedit Zacharias Papa (Pratillus) *Cod. Frecc. habet XII.*

(5) Quae sequuntur totidem verbis legas apud Anastasium Bibliothecarium in Vita Zachariae Papae Tom. III. pag. 164. Rerum Italicarum. Perperam vero scripsit Salernitanus Carlomanni patrem Carolum fuisse *Regem*.

(a) *Deficit* Apostolorum *in editione Murator.*

(b) al. *aedi Apostolorum*.

(c) Arcam *legebat AEgyptius*.

(d) *Def.* pene.

(e) al. *aliquot spatium*.

in Aquinensium finibus situm est, profectus, factus est Monachus (*), in quo suam (a) finire vitam jure professus est jurando. (b) Ipsis itaque temporibus *Rachis Langobardorum Rex* ad capiendam civitatem Perusiam, sicut cetera Pentapoleos oppida vehementi profectus est cum indignatione; quam & circumdans, fortiter oppugnabat. Hoc audiens sanctissimus Papa, continuo spe divina fretus, assumtis aliquantis ex suo Clero, nec non & optimatibus, quanto citius (c) ad eamdem perrexit civitatem, impensisque eidem Regi plurimis muneribus, atque officiose (d) eum deprecans, opitulante Domino adjutore (e), valuit animum ejus ad spirituale studium inclinare. Et post aliquantos dies idem *Rachis Rex* (*) relinquens Regalem dignitatem, devote cum uxore, & filia (f) (6), ad Beati Petri (I) Principis Apostolorum perrexit limina, acceptaque a praefato Sanctissimo Papa oratione, Clericus effectus, Monachi indutus est habitu (g) cum uxore, & filia (h). Regnavit ipse (i) annos IV. menses IX. fuit Langobardis pius atque amabilis, & multa per singulos homines largitus est. CAP.

(6) Vulgatus Anastasius habet: *cum uxore & filiis*. Ego lubentius Salernitani lectionem amplector, quam & Leo Marsicanus in Chronico Casinensi sequutus est. Si enim Ratchisio Regi fuissent liberi masculini sexus, quis tam facile sibi persuadeat, ipsum omnes a successione Regni exclusos voluisse? Consulere etiam non pigeat *brevem Descriptionem postremorum quinque Regum Langobardorum* apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italicar. pag. 229. ubi Ratchisio filia tribuitur *Ratruda* nomine, quae cum Tasia matre, mutato habitu, sanctimonialem vitam elegit, nullis masculis nominatis.

(I) In Codice Frecciano, & Bolvitiano legitur in margine: *Uxor Thesia, filia vero Ratruda vocabatur.*

(*) *A. D. DCCXLVII. Chron. Casin. l. 1. c. 3.*
(a) al. *sanctam*.
(b) *Ipsius AEgypt.*
(c) al. *quantocius*.
(d) al. *oppido*.
(e) al. *ab oppressione ipsius civitatis ipsum amovit, cui salutifere praedicans, Deo adjutore, valuit animum ejus &c.*
(*) *A. 749.*
(f) al. *& filiis.*
(g) *Habitum.*
(h) al. *filiis.*
(i) al. *denique.*

CAP II.

POst hunc in Regnum elevatus est *Aystulfus* vir per omnia astutissimus, & ferox. Per idem tempus *Eutychius* (*a*) *Romanorum Patricius* se Aystulfo tradidit (*); simulque Jaculum (7), atque Ferrariam, seu (*b*) Istriam pugnando obtinuit. Per idem tempus invidia Diaboli inter *Stephanum Papam Romanum*, Langobardos, & gentes Francorum, Alamannorum, Burgundionum superseminavit zizaniam, hoc ordine, quod (*c*) inferius declaratur. Igitur (8) (*d*) dum idem Papa jam fatum Langobardorum Regem iteratis vicibus, innumerabilia tribuens munera ei, precari dignaretur pro gregibus a Deo sibi commissis (*e*), sed & pro universo Exarchatu Ravennae, & ab eo nihil de hac re obtinere cerneret (✠), per quemdam peregrinum misit literas Pipino Regi Francorum, nimio dolore huic (*f*) Provinciae inhaerente, conscriptas. Ad hunc etiam

(*) Eutychium Patricium fugisse Constantinopolim, scribit Rubeus in Historia Ravenn. sed quibus ille tabulis aut testibus haec narret, non video.

(7) Parum attenti Amanuensis error. Scribendum omnino videtur *Comiaclum*, quam civitatem Ferrariensi agro conterminam revera Langobardus Graecis eripuit, eorumque temporum acta apud Anastasium memorant (Prat.) *Cod. Frecc.* Comaclum.

(8) Quae subsequuntur mutuatus est noster, immo iisdem interdum verbis, ab Anastasio Biblioth. in Vita Stephani III. sive II. Vide Tom. III. Rer. Italic. pag. 167. Sed quae apud illum fusius, heic brevius traduntur, & expunctis etiam probrosis iis nominibus, quibus apud eumdem Anastasium Reges Langobardi, Romanis infensi, saepe onerantur.

(✠) Stephanus Pontifex cum nullum a Constantino Copronymo Imperatore subsidium, quod enixe imploraverat, obtinere posset, contra Aystulphi Regis oppressiones, irruptionesque ad Pipinum Regem literas misit, a quo auxilia securius expectabat. Pagius ad ann. 752.

(a) al. *Euticzius*, vel *Eusigius*.
(b) al. *seu & Istriam*.
(c) al. *quem inferius declaramus*.
(d) al. *cum*.
(e) *Deficit*, & perditis ovibus *scilicet pro Exarchatu universo &c.*
(f) *Hujus*.

etiam inter alia verba dicendo misit, ut suos huc Romam (a) mitteret Nuntios (*), per quos ad se eum accedere faceret.

C A P. III.

ET dum valide ab eodem Langobardorum Rege Civitates, & Provinciae Romanorum opprimerentur, subito applicuit Nuntius praefati Regis Francorum nomine (b) *Rodigandus Abbas*; per quem misit in responsis, omnem voluntatem ac petitionem praefati Papae velle adimplere; & postmodum alios familiares nuntios (c) esse subjunxit. Cumque a Langobardis, ut praefatum est, antiqua Romana Urbs, & Castra universa distringerentur, ita etiam, ut Ciccanense (II) Castellum, quod (*) Colonorum Sanctae Dei Ecclesiae existebat, usurparent. Quo peracto, ipse *Papa Stephanus* propter nimium amorem Urbem deserit, ut ad *Aistulfum Regem* properaret; secutique sunt eum plures Romanorum, & ceterorum principalium (d), flentes, ululantesque, & nequaquam eum penitus ambulare sinebant. Qui videlicet Sanctissimus Vir se se in Dei virtute & protectione Beatorum Principum Apostolorum confidens, laboriosum (e) aggressus est iter, assumens secum Sacerdotes, Proceres etiam, & ceteros Clericorum ordines, nec non & ex militia optimates. Igitur appropinquante eo fere per quadragesimum milliarium Langobardorum fines, in una nocte signum in Coelo magnum apparuit, quasi globus igneus, a parte Australi decli-

(II) Ceccanum Castrum in Campania Romana situm, cujus Domini, sive Comites Ceccanenses appellati, jam inde a priscis temporibus illius ditionem a Romana Ecclesia accepere. Ex his Ceccani Comitibus, Signini, Anagnini, & Tusculani, seu Tuscanellae Comites, haud obscurâ conjecturâ prodiere, qui deinceps *de Comitibus* vocati, tam illustri, veterique *Comitum* familiae adpellationem peperere, ex qua complures illustres viri ad Romanam cathedram postmodum evecti.

(a) *Ipse Francorum Rex*.
(*) *A. D.* 752.
(b) al. *Radigardus*.
(c) Ei *corrig*.
(*) *A.* 753.
(d) al. *populi*, *qui*. al. *ceterarum civitatum populi*.
(e) al. *indeptus*.

clinans, a Galliae finibus in Langobardorum partes. Itaque unus ex eisdem Francorum Missis, scilicet Authcarius Dux quantocius praecedens (a) Ticino eum praestolatus est. Cum vero jam appropinquasset praefatus Papa civitatem Papiam, direxit ad eum (b) fatus Rex Aystulphus missos suos, obtestans (c), quod nulla penitus ratione auderet verbum illud (d) dicere petendi Ravennatium (e) Civitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipublicae locis, quae ipse, vel Praedecessores Langobardorum Reges invaserant. Ille vero ita ei misit in responsis, asserens, quod per nullius trepidationis terrorem sileret. Conjungente vero eo Papiam in civitatem, & (f) Regi praesentato, plura illi tribuit munera, & nimis eum obsecratus est, atque lacrymis profusis ei petiit, ut Dominicas, quas abstulerat, redderet oves, & propria propriis restitueret, sed nullo modo apud eum impetrare valuit. Praedicti vero Francorum Missi imminebant fortiter apud eumdem Regem Aystulphum, ut praefatum Papa pergentem in Franciam relaxaret. Ad haec convocans dictum Papam, interrogavit, si in Franciam properandi esset voluntas: quod videlicet ille nequaquam siluit, sed suam illi probavit (g) voluntatem. Unde ipse Rex, ut leo dentibus fremebat; pro quo etiam diversis vicibus suos satellites ad eum clam misit, ut illuc minime pergeret. Quod dum ille fortiter restitisset, absolutus est ab eo; & de Papia movens, suum in Franciam profectus est iter. Et post ejus absolutionem adhuc nitebatur Langobardorum Rex a praedicto itinere eum deviare: quod minime ipsi Papae placuit.

CAP.

(a) al. *procedens*.
(b) al. *saepe praefatur*.
(c) al. *obtestantes*.
(d) al. *illi*.
(e) al. *Ravennensium*.
(f) al. *& praedicto*.
(g) al. *propalavit*.

F

C A P. IV.

UNde & cum nimia celeritate, Deo praevio, ad Francorum conjunxit Clausas (III), quas ingressus cum iis, qui cum eo erant, confestim laudes Deo omnipotenti (a) reddidit; & coeptum gradiens iter, ad venerabile Monasterium Sancti Christi Martyris Mauritii pervênit; in quo & constitutum erat pariter secum (b) Francorum Regem convenire, in quo & (c) aliquantis demoratus diebus, ubi (9) Ambrosius Primicerius febre correptus defunctus est. Audiens vero idem *Pipinus Rex* Pontificis adventum, nimis festinanter in ejus advênit occursum, una cum conjuge, filiis, & Primatibus. Pro quo, & non per pauca millia (d), filium suum *Carolum* in occursum ipsius Papae direxit cum aliquibus suis Optimatibus; ipseque in Palatio suo, quod vocatur Pontiana, ad fere trium millium spatium descendens (IV) de equo, cum magna humilitate (e) terrae prostratus, una cum (f) suis filiis, & Optimatibus eumdem praefatum Papam suscepit; cui & vice (V) stratoris usque ad aliquantum locum juxta ejus sellam (g) properavit. Tunc praedictus Pontifex cum omni-

(9) Primicerium hunc comitem Stephano II. Papae fuisse, auctor est Anastasius, sive qui illius Vitam scripsit apud Anastasium. Sed ne gry quidem habet idem Anastasius de ejus morte.

(III) *Clausas*: hic Anonymus noster Arctas illas Alpium vias proculdubio intelligit, per quas in Galliam itur: sic fortasse nuncupatas, ut quae angustis itineribus praeruptorum montium haud facilem transitum praebeant, sicque Gallorum limites ab hostium incursionibus tutiores reddant. De his superius dictum.

(IV) Videsis Pipini Regis, uxoris, filiorumque suorum in Romanum Pontificem officium, pietatemque! Ad pedes quippe Stephani Papae provoluti, illos deosculari minime dedignantur; secundum illud Davidis vaticinium: *Adorabunt eum omnes Reges terrae* (Ps. 71.)

(V) Stratores, qui Imperatoris, vel supremi Principis Sellae inserviebant, ut alibi.

(a) al. *dedit*.
(b) al. *Se cum Francorum Rege*.
(c) al. *est*.
(d) al. *milliaria*.
(e) al. *in terram*.
(f) al. *cum sua uxore, filiis &c.*
(g) al. *revera properavit*.

omnibus suis extensa voce, gloriosas & excelsas laudes omnipotenti Deo ferens, usque ad praefatum Palatium pariter cum jam dicto Rege omnes profecti sunt. Mox ibidem Beatissimus Papa praefatum Christianissimum Regem lacrymabiliter deprecatus est, ut per pacis foedera caussam Beati Petri, & Reipublicae Romanorum disponeret; qui de praesenti jurejurando eidem Beatissimo Papae satisfecit, omnibus ejus mandatis & admonitionibus se se totis nixibus obedire (a), & uti placitum fuerat, Exarchatum Ravennae, & Reipublicae jura, seu loca reddere modis omnibus.

CAP. V.

Pipinus jam dictus Rex cum admonitione, gratia, & oratione ipsius Pontificis (*) absolutus, in loco, qui dicitur Carisiaco (VI), pergens, ibique Proceres cunctos Regiae suae potestatis congregans, & eos, tanti Patris sancta admonitione imbutus, statuit cum eis, ut quae semel, Christo favente, una cum eodem Beatissimo Papa decreverat, perficeret. (✠) Interea *Rex Aystulphus Carolo Manno* fratri benignissimi *Pipini Regis*, a Monasterio Sancti Benedicti, quod est inter Montem Casinum, & Sanctum

(VI) Pipinus Rex una cum Pontifice Parisios pergit. Unde ad Aystulphum Legati missi sunt, ut loca Ecclesiae Romanae ab eo occupata restitueret, veniamque pacifice a Pontifice imploraret. Sed frustra; Rex enim nihili hortationes, minasque habens, eos irridere coepit. Quare illum vi, armisque coegerunt, Concilio apud Carisiacum (seu *Chiersy*) habito, secus Cresiacum, ut credidit Marcellus; quod vide apud Mabillonium lib. 4. de Re Diplomat.

(✠) Hoc tempore (defuncto jam Childerico Francorum Rege, in quo Merovingiorum stirps extincta fuerat) Pipinus iterum cum filiis Carolo, & Carolomanno, Reges Francorum a Stephano PP. inuncti fuerunt sacro Chrismate, magnaque solemnitate Patricius inauguratus, cujus rei Theophanes quamvis Graecus Scriptor meminit. At non recte Baronius credidit, ex hoc anno Pipini Regis imperium numerandum; jam enim antea regnare coeperat, ut advertit Pagius ad ann. 754. num. 6.

(a) al. *exaudire*.

(*) *A.* 754.

ctum Germanum in Terra-Laboris (10), in quo devote per evolutum temporis ſpatium Monachice degebat, diabolicis (a) ſuaſionibus ſuadens, in Franciae Provinciam ad objiciendum, atque adverſandum (b) cauſam redemtionis Sanctae Dei Eccleſiae, & Reipublicae Romanorum direxit. Dumque illuc conjunxiſſet, nitebatur omnino, & vehementer decertabat Sanctae Dei Eccleſiae (c) cauſam ſubvertere, juxta quod a praefato Rege Ayſtulpho fuerat directus. Sed propitiante (d) Deo minime valuit ſui germani Chriſtianiſſimi *Pipini Regis Francorum* in hoc firmiſſimum cor inclinare; potius autem compertâ *Ayſtulphi Regis* verſutiâ, tota virtute idem Pipinus Rex profeſſus eſt decertare, ſicut (e) pridem jamfato ſpoponderat Pontifici. Tunc (f) pari conſilio inito, juxta id, quod praefatus Carolus Mannus Deo ſe voverat Monaſticam degere vitam, in Monaſterium eum illuc in Franciam collocaverunt, ubi & poſt aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit. Porro *Pipinus Rex* direxit ſuos Miſſos *Ayſtulpho Langobardorum Regi* pro pacis foedere, & proprietate Sanctae Dei Eccleſiae reſtituenda; atque bis & tertio juxta ſaepefati Papae admonitionem eum deprecatus eſt, & plura ei pollicitus eſt munera, ut tantummodo propria reſtitueret Eccleſiae. Sed ille peccato imminente obedire diſtulit. Ad haec (g) cernens idem Francorum Rex, quod aſtutiſſimi Ayſtulphi nequaquam valeret

(10) Niſi hoc ſit additamentum recentioris alicujus, ſive adnotatio e margine in textum illata, animadvertendum eſt heic, veluti res rara apud Auctorem plane vetuſtum, nomen *Terrae Laboris* pro Campania, quippe ejuſmodi nomine Provincia illa ſero, hoc eſt circiter annum 1090. donata creditur. Vide Campaniam Peregrinii. (Prat.) *& nos infra in Diſſertatione de Liburia.*

(a) *Deeſt ei.*
(b) *Cauſae.*
(c) al. *cauſas.*
(d) al. *Domino.*
(e) al. *ut praefato.*
(f) *Tum pari conſilio idem Papa cum denominato Rege conſilio inito.*
(g) *Ad haec dum idem Francorum Rex aſtutiſſimum Ayſtulphi nequaquam valeret quoquomodo ſaxeum mollire cor.*

ret quoquo modo saxeum mollire cor, generalem contra eum decrevit facere motionem (a). Et dum jam fere medium itineris spatium Francorum exercitus graderentur cunei, rursum ipse Pipinus Rex Missos saevissimo Aystulpho Regi direxit (b), ut si aliquo modo potuisset, vel sero tamdem, ejus sedare saevitiam (c), propria propriis redderet absque humani sanguinis effusione. Sed ipse Rex Aystulphus animose (d) fortiter resistebat. Interea erat Pipinus Rex simul cum Pontifice jam dicto, qui direxit literas eidem Aystulpho, per omnia divina mysteria, & futuri examinis diem conjurans atque obtestans, ut pacifice sine ulla sanguinis effusione propria sanctae Dei Ecclesiae, & Reipublicae Romanorum redderet. Sed sublimitate ejus obsistente, nequaquam acquiescere voluit. (e) Potius e contrario minas & indignationes praefato Pontifici, & Pipino Regi; & cunctis Francis direxit. Tunc fisus in omnipotentis Dei misericordia antefatus Pipinus Rex, iter suum profectus est, praemittens ante suum occursum validissimos ex suis Proceribus, & cum eis exercitales viros ad custodiendum proprias Francorum Clusas; ibique conjungentes remoti residebant, proprii Regis praestolantes adventum. Audiens itaque audax ille Aystulphus, paucos fuisse Francos illos, qui ad custodiam propriarum advenerant Clusarum, confidens in sua ferocitate subito aperiens (VII) Clusas, super eos diluculo cum pluribus irruit exercitibus. Sed justus Judex Dominus victoriam paucissimis illis tribuit, & multitudinem illam Langobardorum superantes, trucidaverunt, ita ut ipse *Aystulphus Rex* fugà arreptà, vix ab eorum manibus evadere potuisset; & usque Papiam civitatem absque armis fu-

(VII) Heic *Aperiens Clusas*, fortasse munimenta, sive aggeres irrumpendo confringens, ac dissolvens, ut propius accederet, & ad deditionem hostes cogeret, ut vulgo *Spianar le trincee*.

(a) al. *monitionem*.
(b) al. *dirigit, dicendo si aliquo &c.*
(c) al. *ut*.
(d) al. *omnimodo*.
(e) Deest: *Sed &c.*

fugam arripuit, in qua prae timore Francorum cum aliquantis ſe (*a*) retinuit. Ipſi vero Franci introëuntes Cluſas, (*b*) ſpolia multa abſtulerunt. Conjungens vero Francorum Rex Pipinus, & ſequipes (VIII) etiam ejus antefatus Papa, uſque ad muros civitatis Papiae utrique venêre: quam & obſidentes per aliquot dies viriliter, eam (*c*) Francorum exercitus conſtrinxit. Tunc praefatus Papa Pipinum ſaepefatum (*d*) deprecatus eſt, ut jam (*e*) amplius malum non proveniret, neque ſanguis effunderetur Chriſtianorum. Ad haec Pipinus Francorum Rex ejuſdem audiens (*f*) admonitionem adimplevit; ſicque Deo dilectam pacem ineuntes (*g*) inter Romanos, Francos, & Langobardos, obſides Langobardorum idem Francorum Rex abſtulit (*h*). Spopondit ipſe Ayſtulphus cum univerſis ſuis Judicibus ſub terribili, & fortiſſimo ſacramento, atque ejuſdem pacis foedera per ſcriptam paginam affirmavit, ſe illico redditurum Ravennatium (*i*) Civitatem cum univerſis Civitatibus. Et poſt hoc ad invicem ſegregati fuerunt. Sed ille Langobardorum Rex incidens (*k*) quod jurejurando promiſerat, reddere diſtulit.

C A P. VI.

Cum (*l*) ipſe *Papa Stephanus* Romam cum ſuis perveniſſet, univerſus ſexus, & aetas Deo gratias agentes, clamabant, & dicebant: *Venit Pater noſter, & poſt Deum ſalus noſtra*. Poſt aliquanta temporum ſpatia furore vehementi repletus Rex ille Langobardorum Ayſtulphus,

(VIII) *Sequipes*, ideſt pedes, ſeu greſſus ſequens, idem ac *ſequax*.

(a) al. *retruſit*, al. *recluſit*.
(b) Deeſt: *cuncta foſſata Langobardorum poſt peractam caedem abſtulerunt, ſpolia multa auferentes*.
(c) al. *cum Francorum exercitu Rex conſtrinxit*.
(d) al. *ſuprafatum*.
(e) al. *etiam*.
(f) al. *adimplens monitionem quievit*.
(g) al. *inientes, atque ſcripto foedere pactum affirmantes*.
(h) al. *obtulit*.
(i) al. *Ravennatem*.
(k) al. *infringens*.
(l) al. *cumque*.

phus, non solum ea, quae promiserat, minime adimplevit; sed cum universo Regni sui Langobardorum populo Romam advênit Urbem, quam & per trium mensium spatia obsidens, atque ex omni circumdans parte, quotidie fortiter oppugnabat, & omnia extra Urbem ferro & igne devastans, atque funditus demoliens consumsit, ut Romanam capere potuissent (a) Urbem. Nam & multa corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria (11) abstulit (IX). Castrum itaque illud Narniense, quod pridem reddiderat, a jure Beati Petri abstulit. Haec dum gesta fuissent, *Stephanus Papa* per marinum iter suos ordinans, & in Franciam dirigens Missos (b) cum quodam religioso viro Guarnerio (c) nomine (d), per ordinem omnia (e) retulit (*) *Pipino Regi Francorum*. Ad hoc vero Pipinus Rex, de quo diximus, fervore Fidei motus, iterum cum Dei virtute generalem faciens motionem, in Langobardorum partes conjunxit, & Clausas funditus eorumdem evertit Langobardorum. Conjunxerunt itaque (f) Imperiales Missi, Georgius scilicet & Johannes directi ad praedictum Francorum Regem, quos suscipiens jam fatus Papa, eisdem motionem Francorum, & praefati Regis nuntiavit: quod quidem illi dubium habuerunt credendi. Et

(11) Ac Ticinum advecta in sacra ibi Templa collocavit, uti infra additur. Quanta autem Ticini foret olim & adhuc sit sacrorum corporum copia, te docebit *Aulicus Ticinensis* suo loco in Collectione hac edendus. In hoc eodem argumento suse versatus est Romualdus a Sancta Maria Auctor *Papiae Sacrae*.

(IX) *Sacra Mysteria auferre*. Altarium, rerumque sacrarum demolitionem significari ex sententia Anonymi, haud difficilis conjectura. Cum enim supra Sanctorum Martyrum Corpora altaria erigerentur: sublatis inde eorum reliquiis, sacra deinceps ibi non peragebantur: quare ablatis Sanctorum Corporibus, sacra etiam Mysteria illinc auferri dicebantur.

(a) *Potuisset*.
(b) *Deest* una cum.
(c) *Guarnerius*.
(d) Et per ordinem.
(e) al. *referens adiit*.
(*) *A. D.* 755.
(f) al. *in Romana urbe*.

Et adhaerens eis Miſſus Apoſtolicae Sedis, iter arripuerunt; & pergentes marino itinere, quanto (a) citius Marſiliam venerunt; in quam ingredientes didicere, jam praefatum Francorum Regem Langobardorum fines fuiſſe ingreſſum. Itaque unus ex ipſis Georgius nomine praenominatum Francorum aſſecutus eſt Regem, quem & in finibus Langobardorum non procul a Papia reperit civitate, & nimis eum deprecans, atque plura ſpondens tribuit Imperialia munera, ut Ravennatium urbem & ceteras ejuſdem Exarchatus Civitates, & Caſtra (b) ad Imperialem tribuens concederet ditionem. Sed ille Rex Francorum taliter dedit reſponſum: *Quomodo talia alienare potero, cum non pro alia re, quam pro Sancto Petro certamen geſſerim?* aſſerens & hoc, quod eum nulla theſauri copia ſuadere valeret. Praedictum vero Imperialem Miſſum, ut ad propria remearet, direxit, qui ſine effectu Romam conjunxit.

C A P. VII.

DUm vero Francorum Rex Papiam obſidens conſtringeret civitatem, tunc *Ayſtulphus Rex* ferociſsimus Langobardorum, ut veniam illi tribueret, & quas prius contemſerat conſcriptas in pacti foedere reddere Civitates, ſe modis omnibus profeſſus eſt redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto, quod per lapſam VIII. Indictionem inter partes provenerat: reſtituit ipſas praefatas civitates, addens & caſtrum, quod cognominatur (X) Comiaclum (c): de quibus omnibus receptis civitatibus per donationem in ſcriptis Apoſtolicae Sedi commiſit poſſiden-

(X) In margine Codicis Bolvitiani legitur: *hodie Epiſcopalis eſt Civitas in Valle prope Ferrariam, & vocatur Comaclum, Comachio, Urbs ſubjecta Marchionibus Eſtenſibus de Ferraria.*

(a) *Quantocius.*
(b) *Imperiali tribuens concederet ditioni.* Frecc.
(c) *Comaclum.*

fidendas. (12) Ayſtulphus Rex, de quo praemiſimus, regnavit annos VII. menſes V. Fuit audax, & ferox, & ablata multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit. Conſtruxit eorum (*a*) Oracula, ubi & Monaſterium Virginum, & ſuas filias dedicavit. Idemque (*b*) etiam fecit Monaſterium in finibus Æmiliae, ubi dicitur Mutina, loco qui nuncupatur (13) *Nonantula*; nam (*c*) pro ejus cognato *Abbate* (*d*) *Arſenio* (14) ibi Virorum Coenobium fundatum eſt; nec non ſibi (*e*) ad ſacra Monachorum Coenobia (15), per certas Provincias multa eſt dona largitus. Sed (*f*) valde dilexit Monachos, & in eorum eſt mortuus manibus.

CAP.

(12) Hactenus Stephani II. Papae Vita, qualis eſt in Collectione Anaſtaſii. Quae ſequuntur de Ayſtulpho, debemus Salernitano noſtro, ſuntque addenda Langobardicae Hiſtoriae Pauli Diaconi. Vide etiam Romualdi Salernitani Chronicon Tom. VI. Collectionis hujus, qui paria narrat, & Anonymum noſtrum prae oculis habuiſſe non eſt tamen dicendus, uti reliqua ejus narratio evincit.

(13) Celeberrimi hujus Monaſterii, quod adhuc in Mutinenſi agro exiſtit, ampliſſimiſque reditibus, & juriſdictione Epiſcopali, ac lata Dioeceſi fruitur, originem & Hiſtoriam habes Par.II. Tom.I. Collectionis hujus. Vide in hoc eodem Tomo, quam magnifice de eo ſenſerint Farfenſis Monaſterii Chronographus, & Ugo Abbas.

(14) Scribendum *Anſelmo* ex ſupralaudato Chronico *de fundatione Monaſterii Nonantulani*: idque extra omnem dubitationem, quum in ſententiam hanc antiqua monumenta, & Monaſterii continuata traditio omnino conveniant.

(15) Deſiderari cenſeo *fundanda*. Conveniunt haec cum iis, quae Nonantulanus Monachus Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 193. habet de fundatis a Sancto Anſelmo primo Nonantulae Abbate Monaſteriis & Xenodochiis, & immani Monachorum copia eidem ſubjecta.

(a) *Oratoria*.
(b) al. *idem quoque*.
(c) al. *pro cujus cognato*.
(d) al. *Anſenio*, & *Anſelmo*.
(e) al. *ſibi per certas Provincias Monachorum Sacris Cenobiis multa eſt &c.*
(f) al. *ſed & valde*.

CAP. VIII.

TUnc *Desiderius* (16) quidam Langobardorum, qui ab eodem Aystulpho Rege in partes (17) Thusciae erat directus, audiens obiisse praefatum Aystulphum, illico aggregans ipsius Thusciae universi exercitus multitudinem, Regni Langobardorum nisus est arripere fastigium. Hujus personam despectui habens *Ratchis* dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus praefati Aystulphi, sed & alii plures Langobardorum Optimates cum (a) eo, eumdem *Desiderium* spernentes, plurimam Transalpinae, vel ceterorum (b) Langobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Ut haec praefatus *Desiderius* audivisset, praedictum *Papam Stephanum* deprecatus est, ut sibi auxilium ferret, quatenus ipsam Regalem dignitatem valeret assumere, spondens jurejurando, omnem praedicti Pontificis adimplere voluntatem; insuper & Reipublicae propria se redditurum professus est. Tunc idem Pontifex, inito cum suis consilio, Paulum suum germanum (c) cum aliis Missis in partes Thusciae ad praedictum *Desiderium* misit, cum quo loquentes, per scriptam paginam hoc, quod spoponderat, Desiderius, terribili juramento firmavit. Hoc vero (d) pacto, statim suum Missum praedictus *Papa*

(16) Haec desumta, immo descripta, ex Vita Stephani II. Papae apud Anastasium. Vide Tom. III. Rer. Italic. pag. 171.

(17) Cujus Provinciae Dux etiam fuisse creditur, sed paucis fortasse mensibus. Si Tuscorum exercitum Desiderius congregavit, cur non & arbitremur, eumdem Tusciae praefuisse? Attamen Romualdus Salernitanus Tom. VI. Collectionis hujus, eum tantummodo *Aystulphi Comestabulum* appellat; ac proinde alio titulo, & ob alia negotia, is fortasse in Tusciam fuerit missus.

(a) al. *cum quo eumdem.*

(b) al. *vel ceterarum Langobardorum urbium exercitus multitudinem.*

(c) *Germanum fratrem, atque Christophorum* (al. *Chrysogonum*) *consiliarios suos cum aliis.*

(d) *Peracto.*

pa Stephanus (a) exhortatoriis literis praefato Ratchisio, & cunctae genti Langobardorum direxit, properans & *Fulradus* (✠) venerabilis *Abbas* cum aliquantis Francis in (b) auxilio ipsius Desiderii. Sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exegerit, in ejus disposuit occurri (c) adjutorium. Et suffragantibus praedicti Pontificis Deo receptis precibus, ita omnes Deus disposuit, ut sine ulla animarum periclitatione antefatus Desiderius per jam dicti coangelici (d) Papae concursum eamdem, quam ambiebat, assumere Regalem dignitatem. Dum vero hoc (e) ageretur, direxit Missum suum praefatus Pontifex, & (f) abstulit ipsas Civitates (*), quas se praedictus Desiderius Rex reddere (18) promiserat.

C A P. IX.

Cumque per (19) XX. & VIII. annos placide Langobardos rexisset, omnis tunc Italiae finis valde quievit. Tantum (g) in initio sui Regni Spoletini, & Beneven-

(18) Hactenus Anastasiana Vita Stephani II. Papae. Nunc suis verbis reliqua enarrare pergit Salernitanus.

(19) Corrige amanuensis, ut censeo, errorem, & scribe *per X. & VIII. annos*. In fragmento Historico apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italic. Desiderius regnasse dicitur *XIX. annos*, sublatus e medio, sive in captivitatem adductus anno 774. Ego lubentius annos tantum XVIII. Regni illi tribuerem. Nam ut cetera mittam, habetur in ditissimo Episcopii Lucensis Archivio Cartha, eaque autographa, scripta *anno Regni ejus quinto decimo, & filio ejus idem Domino nostro Adelchis Rege anno Regni eorum duodecimo, sexto Calendas Julias, per Indictione nona*: hoc est anno 771. Ab hoc anno computa nunc usque ad 774.

(✠) Fulradus erat Abbas Monasterii S. Dionysii Parisiensis. Mabillon & Natal. Alex. Sec. VIII. art. V. & VI.

(a) *Misit*.
(b) *In auxilium*.
(c) al. *Occurrere*.
(d) al. *evangelici*.
(e) *Haec agerentur*.
(f) *Et optinuit*.
(*) *A*. 756.
(g) al. *tamen*.

ventani rebelles fuerunt. Qui hyemis tempore cum suo exercitu pergens, per pugnam ad suum reduxit servicium. In praefati (a) Desiderii temporibus floruit in Arte Grammatica *Diaconus Paulus*, qui fuit ortus ex Forojuliensis (b) civitatis parentibus, secundum seculi dignitatem non infimis; & ille praecelsus, atque carus (c) ipsi Regi, & omnibus erat in tantum, ut ipse Rex in omni arcano verbo Consiliarium eum haberet. Per idem tempus Pipini filius Carolus suam (20) filiam sibi in matrimonio sociavit. Et aliam praefatus Rex habuit filiam, cui nomen *Adelperga* fuit, quam nuptui tradidit *Arichi (d) Beneventanorum Duci*. Sed de praedicto *Paulo*, unde fecimus mentionem, licet inculto sermone, aliquid de gestis ejus huic Historiae intexere cupio. Et, ut praedictum est, ab omnibus erat dilectus, & merito proinde ei concessit gratias (e) Christi, ut ab omnibus amaretur. Et quomodo homo eum exosum habere poterat, qui erat a Christo dilectus? Sed dum iniqua cupiditate Langobardi inter se consurgerent, quidam ex Proceribus Langobardis talem (f) legationem mittunt *Carolo Francorum Regi*, quatenus veniret cum valido exercitu, & Regnum Italiae sub

(20) Idest Desiderii Regis filiam, *quam* tamen, *incertum qua de causa, post annum repudiavit*: sunt verba Eginharti in Caroli M. Vita. Ac proinde nescio, quam recte scripserit Monachus Sangallensis (NotKerum nonnulli appellant) Lib. II. de reb. gest. Caroli M. apud Du-Chesnium Tom. 2. rer. Francic. *Filiam Desiderii Longobardorum Principis duxit uxorem, qua non post multum temporis, quia esset clinica, & ad propagandam prolem inhabilis, judicio sanctissimorum Sacerdotum relicta &c.* Quei iste tam sero novit, quod ignotum Eginharto fuit, in Caroli M. aula enutrito? Illud quidem constat, Stephanum III. Papam adeo moleste hujusmodi conjugium tulisse, ut ad Carolum ipsum, ejusque fratrem, acerbissimas scripserit literas, quas habes in Cod. Carol. num. XLV. & apud Baronium ad annum 770.

(a) *Deest* Regis.
(b) al. *Forojulianensi civitate.*
(c) al. *ab ipso Rege, & ab omnibus erat habitus.*
(d) al. *Arechi Beneventano Duci.*
(e) *Gratiam Christus.*
(f) *Clam.*

ſub ſua ditione obtineret, aſſerentes, quia iſtum Deſiderium tyrannum ſub poteſtate ejus traderent vinctum, & opes multas cum variis indumentis, auro, argentoque intextis, in ſuum committerent dominium. Quod ille praedictus Rex Carolus cognoſcens, cum Francis, Alemannis, Burgundionibus, nec non & Saxonibus, cum ingenti multitudine Italiam properavit. Poſtquam in Italiam *Rex Carolus* vênit, *Rex Italiae Deſiderius*, a ſuis quippe, ut (a) diximus, fidelibus callide eſt ei traditus; quem ille vinctum ſuis militibus tradidit; & ferunt alii, ut lumine eum privaſſet. Atque ipſe *Carolus Rex* firmatus eſt totius Italiae. Solus *Dux Arichis* Beneventi remanſit, juſſa ejus contemnens, pro eo quod capiti ſuo precioſam deportaret Coronam. Ut cognovit (b) talia Rex Carolus, valde eſt iratus, atque nimirum per jusjurandum aſſeruit dicens: *Niſi ſceptrum, quod in mea manu geſto, Arichis percutiam pectus, vivere nolo* (XI). Ipſe, de quo praediximus, Paulus bis denique Regi Carolo mortem (21) molitus eſt pro ſui Regis Deſiderii fide. Cumque talia Regi Carolo relata a ſuis fidelibus fuiſſent, (c) toleravit propter nimium

(21) Eadem de Paulo Diacono refert Leo Marſicanus Lib. I. Cap. XV. Hiſtor. Caſin. Tom. IV. Rer. Italic. uti veriſimile eſt, ab Anonymo noſtro mutuatus. Verum jamdiu Clariſs. Mabillonius in Annal. Benedictin. narrationem hanc ad fabulas amandavit. (Prat.) *Neſcio tamen, an validis illud rationibus everterit Mabillonius! Alii viderint.*

(XI) Haec de Caroli jurejurando, quae Anonymus noſter enarrat, quamvis fabuloſum aliquid oleant; verum tamen ex hominum fortaſſe traditione in poſteros deinde demandatum Salernitanus credidit. Ac profecto haud a veriſimilitudine abhorret, a Carolo Rege, primo furoris impetu correpto, quod ſe a Beneventi Duce, Principis titulo uſurpato, ſpretum putabat, ea prolata verba; quae fortaſſe ab iis, qui aderant, relata, ac viciſſim poſteris Langobardis tradita ut plena animi deliberatione confirmata deinceps crederentur. Itaque non omnino incredibile putandum videtur, quod ab Hiſtorico noſtro refertur, aut gratis obtruſum, & inventum, ut aliqui adfirmant.

(a) al. *ut dudum.*
(b) al. *comperit.*
(c) *Deeſt* Diu.

mium amorem, quo eum diligebat. Sed dum tertio (a) perpetrasset, talibus eum Rex allocutus est verbis: *Dic mihi*, inquiens, *Diacone Paule*, *pro qua re bis terque* (b) *nostrae reverentiae mortem molitus es*? Ille, ut erat magna nimis audacia, ei responsum reddidit: *Fac*, *quod facturus es*; *quia veritatem dico*; *& falsum ex ore meo nil* (c) *profero*. *Fui quippe fidelis quondam Desiderii Regis*, *& ipsa fides apud nos hactenus manet*. Cumque in patulo, omnibus assistentibus Proceribus, talia protulisset verba cum jurgiis, suis praecepit militibus, qualiter eum sine mora privarent manibus. Sed dum Ministri talia implere vellent, ipse piissimus Rex prae nimio amore, quo eum diligebat, & propter ejus sagacitatem alta trahens suspiria, has in voces (d) erupit: *Heu proh dolor*! inquit, *quomodo manus ejus abscindimus*, *ubi tam elegantem Scriptorem reperire* (e) *valemus*? Assistentes denique, ut praediximus, Proceres, nec non & Optimates, qui eum exosum habebant, propter quondam, ut diximus, Desiderii Regis fidem, in hunc modum responsum dederunt: quia *si hunc Diaconum*, *o Rex*, *illaesum sinis abire*, *Regnum tuum stabilitum minime habebis*. At Rex talia depromit verba; *Mihi*, inquit, *dicite*, *quid exinde vobis comparet*? Et illi dolosa voce dixerunt: *Illico evellantur ejus oculi*, *ut nec cedulas*, *nec literas contra vestram Dignitatem*, *nec contra vestrum Imperium hactenus peragat*. Cumque severitatem simul, & duritiam in suis militibus cerneret, se se valide perturbavit, cogitans, qualiter eum de dicta poena liberaret, adjiciens: *Ubi tam industrissimum* (f), *atque praeclarissimum Poetam*, *nec non & Historiographum invenire queamus*? Hiis dictis, Optimates ejus siluerunt, & ipsius praeceptis (g) missus est in exilium, ut illic crucia-

cia-

(a) *Talia pertractasset*.
(b) *Inferre*.
(c) *Nihil penitus*.
(d) al. *prorupit: En proh*.
(e) al. *valebimus*.

(f) *Industriosissimum*.
(g) *Obedire maluerunt*, advertentes (in Cod. Vaticano leg. *adnectentes*) *ut in Insulam quandam missus in exilium esset*, *&* (al. *ut*) *illic*.

ciaretur: quod factum eſt. Dumque vinctus, ut diximus, in (XII) Inſulam (*a*) deveniret in exilium, diu illic nempe cruciatus eſt. Sed ipſum Paulum, veritatem, quae Chriſtus eſt (*b*), veritas ipſa per magnam ſuam potentiam mirabiliter liberavit. Nam quidam homo, qui ſaepiſſime ejus famulatui inerat, clam de dicta Inſula eum (*c*) expediit, & cum eo Beneventum repedavit. Cumque nuntiatum eſſet Principi Arichiſo, magno gaudio eſt repletus, eo quod multis ante temporibus formam ejus cernere optaret. Atque ex ore ejus dulcia verba in arcano ſui pectoris (*d*) cum equitibus in ejus miſit occurſum. Cumque Beneventum introiſſet, ſuper collum ejus ipſe piiſſimus Princeps ruens, flebat plane prae gaudio, & eum oſculabatur. Ipſe, de quo jam diximus, Paulus ad quondam ſui Domini filiam vênit, atque uxorem praſati Principis *Adelpergam* nomine, de qua jam ſupra diximus, & (*e*) humiliter ſubdidit adjiciens: *Sum fraudatus a genitore tuo piiſſimo; non me fraudavit Dominus de ſuis natis; inſuper & oſtendit mihi* (*f*) *ſuam ſublimiſſimam prolem*. Ipſa Principiſſa piiſſima inter dicta verba dolenter flebat.

CAP.

(XII) Inſulam, in quam Paulus fuit deportatus: Diomedis olim dicebatur, in mari Adriatico ſita, parum a Sipontinae regionis continenti abeſt; nunc vulgo *Tremiti* vocatur, quae Caſtrum antiquum habet: & Canonicorum Regularium Lateranenſium ditioni ſubeſt.

Quae abſolute narrat Anonymus de proditione Pauli Diaconi, ex invidia dicta fuiſſe probat Nucaeus in notis ad Oſtienſ. lib I. c. 15. quem conſule; ubi fuſe etiam de ejus operibus, & carminibus, quibus ille Salernitanam Eccleſiam exornavit; quae invenies apud Ughellium Italiae Sacrae tom. VII.

(a) *Deveniſſet*.
(b) *Secutum*.
(c) *Expulit*.
(d) *Informaret* (in Cod. Vat. *intimaret*) *illico non paucos e ſuis Proceribus cum equitibus in ejus miſit occurſum*. Ita etiam C. Vet.
(e) *Se*.
(f) *Tuam*.

C A P. X.

I. ARichis (a), de quo praediximus, piissimus Princeps familiae copiam, & equorum, varia indumenta, dapesque ei abundanter tribuit, atque in ejus Palatio commorari jussit, & crebrissime de liberalibus disciplinis cum eo sermonizabatur. Cumque de talibus, & Divinis scripturis invicem colloquerentur, insatiabili pectore ipse Princeps quaeque gerebat. Et dum de fato Karolo sermo fuisset exortus, ipse Paulus inter alia verba talem sermonem nempe protulit. *Idem, de quo nunc praediximus, Karolus, quantum illic conjicere valui, cum ingenti exercitu est super te venturus*. Quod ille quidem audiens, Beneventum, simulque & ejus filias (*) muniens, secessit Salernum, quae est valde munitissima, atque praeclarissima, & opibus, dapibusque sufficienter abundat, & proinde eam ipse Princeps mirabiliter ampliavit, propter ejus tuitionem. Rex, de quo praediximus, Karolus Gallorum, Saxonum, Alemannorum, simulque & Langobardorum, Burgundionumque validum movens exercitum, cum ingenti ira civitates Arichis subjectas invadere est conatus. Quod dudum Arichis audiens, nimis extremuit; in tantum ut muros jam dictae civitatis in altum mirabiliter elevaret; & per fines Beneventanos suos Missos mittit, quatenus ad eum accersirent omnes praeclarissimos Antistites. Qui cum ad praedictum Principem Antistites properarent, eos in Sacro Palatio introduci jussit, & per semetipsum illuc gradiens, sicut mos erat ipsius, submisso vultu ab eis poposcit benedictionem. Qua peracta benedictione, ipse Princeps taliter prorupit in vocem: *Eja, Beatissimi Patres, ineamus consilium, qualiter e nostris finibus nefandum Karolum evellamus*. Et consilium fecerunt, quatenus iram suam

(a) Praedixerat de Paulo Diacono Notario olim Regis Italiae Desiderii, qui post sui Regis captivitatem a Carolo Magno ad Insulas Diomedeas relegatus, custodes elusit, & ad Princip. Arichim Desiderii generum se recepit.

(*) Scil. alias Ducatus Urbes.

fuam faevifsimam blandirentur. Tunc finguli Epifcopi *(a)* ciliciis funt induti, humilibufque vehiculis, & *(b)* Afellis funt fuperpofiti, profecti funt obviam ei. Cumque fimul carperent iter, nihil aliud, nifi orationibus, vacabant. Dum Capuam properant ipfi jam fati Antiftites, & ftatim Vulturnum flumen celeriter tranfmearent, quidam homo eis dixit: *Bene veniant Domini mei, ubi pergitis?* At illi refponfum reddiderunt, dicentes. *Ad magnum Regem Karolum cupimus properare*. Ipfe homo eis dixit: *Videte, quia ipfe cum fuo exercitu in locum, qui Garilianus dicitur, applicuerat*. Illi quippe cum ingenti curfu illuc pervenire malebant *(c)*. Sed jam eum in hac parte fere XII. milliaria cum fuo exercitu applicantem reperierant, & non procul ab ejus Caftris de Afinis fe ejecerunt, & fingulis Clericis ante fe, unufquifque cum *(d)* ferulis, incedere jufferunt. Quod cum a longe ipfe Rex talia cerneret, admiratus eft valde. Cumque a fuis relatum fuiffet, quod Beneventani Epifcopi effent, ipfe Rex dixit: *Pro qua re adveniunt Beneventani Antiftites, cum ipfi fuo Principi Coronam in capite jam detulerint?* Inter dicta verba Praefules ei approximavere, atque in faciem fuper terram fe proftrarunt. Rex itaque, ut erat pius, bis, terque ut furgerent, dixit. Cumque cum pavore furrexiffent, Rex taliter eos eft allocutus. *Video Paftores fine ovibus*. At illi, accepta fiducia, talia verba praedixerunt: *Lupus venit (e), & difperfit oves*. Ipfe Rex cum jurgio ait: *Quis eft Lupus?* Illi nihil metuentes refponderunt, dicentes: *Tu es ipfe*. Piifsimus Rex ut eorum vidit audaciam, dulcia verba eis depromit. *Licet infelix, ex Sacra unda renatus fum, & a Chrifti nomine Chriftianus vocor, & fi-*

gno

(a) *Vili nempe, & abjecto amictu*.

(b) *Utinam & etiamnum incederent Epifcopi ad gregis fui aedificationem!*

(c) *Ob diftantiam mill. circ. XXII.*

(d) *Ferulae* funt *Baculi Epifcopales*, ut apud Reginonem lib. 2. ann. 964. aliofque. *Peregrinius*.

(e) *Refponfum ex Anonymi cerebro nimis ofcitanter prolatum: ficuti & alia, quae fubdit, fabulofum quid olent*.

gno Crucis saepissime meum munio corpus: & vos pro qua re appellatis Lupum? Unus ei ex dictis Episcopis David (*a*) nomine, qui erat ex Beneventana urbe, sagaci relatione in hunc modum respondit: *Ne indigneris, Domine Imperator, si loquar: Non inferimus vestrae dignitati injuriam, si bestiae vos comparemus, quia sicut Lupus discerpit praedam, quam arripit, sic nimirum si fores venturus Dominus noster in Samnium, similiter ad instar Lupi discerperes Christianorum corpora.* In quo Tractatu (*b*) introduxit plane personam Domini loquentis Imperatori: *Ego te ex ultimis Imperatorem feci: ego tibi exercitum inimici tui tradidi: ego tibi copias, quas ille adversus te exercitu suo praeparaverat, dedi: ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi: ego de semine tuo super solium Regni tui constitui: ego te triumphatorem sine labore feci: & tu de meis fidelibus, quos olim de meo sanguine acquisivi, triumphare cupis?*

C A P. XI.

II. IMperator (*c*) interea, cum se sagaci ratione superatum cerneret, & aditum evadendi minime inveniret, excusationem ei inferre molitus est, annectens: *Coeptum iter linquere quomodo valeo, qui jusjurandum nuper asserui: Nisi sceptro, quod manu gesto, Arichis percutiam pectus, vivere nolo?* Quidam Episcopus Salernitanus, cui nomen Rodopertus fuit: *Audi me, benignissime Imperator: ipse Tetrarcha Herodes, qui tunc Judaico populo praeerat, quando ad mensam ebriosus cum suis Satellitibus recumbebat, introducta sua privigna saltando ei complacuit. Die itaque illa per jusjurandum pollicitus fuerat*

(a) al. *Daus*, *Dans*, corrupte. Vide ad finem Tumuli Romualdi filii Principis Arichis.

(b) An Episcopi Tractatus, sive Sermo ad Carolum tunc extabat, ex quo ista Anonymus excerpsit?

(c) Carolus coronatus est Imperator anno 800. Anachronismus est annorum 13. Salernitano tamen imposuit Erchemper. num. 2. qui hujus adventus tempore Carolum dixit *Caesarem*.

rat Herodes dare eidem puellae quidquid postulasset: numquid non fuerat melius juramentum spernere, quam ut caput Sancti Joannis abscinderet? Adhaec Imperator. *Nempe melius*. Idem Episcopus: *Et si melius, quomodo eum imitari malis, Rex?* Imperator tranquillo animo: *Quid faciam exinde evidentius, scriatimque mihi celerius pande*. Cui omnes Episcopi dixerunt: *Faciemus, ut ipsum sacramentum perficias sine ulla damnificatione, & Arichim vestrae Ditioni sistere faciemus, ut quae Deo vovisti, in ipso perficias*. Nec dum verba ipsi Antistites adhuc expleverant, ipse Rex obvius quippe, & cum magna alacritate eis effatus est: *Ut dixistis, perficiam; quia dum nunc ex ore vestro sermo processit, ita gaudio sum repletus, ut præsente* (a) *me* * *subito renovatum*. His dictis, statim exinde sunt moti, atque simul gradientes pervenerunt ad quandam Ecclesiam, quae non procul a Capua urbe sita erat (b). At ipsi Episcopi: *Hac quidem nocte, Domine Imperator, hic quiescamus, & crastina die, quod diximus dudum Vestrae Ditioni, adimplebimus*. Tunc magis, magisque est laetatus, putans adipiscere, quod concupierat. His dictis, diei jam fuerat cursus expletus. Postera namque die surgens idem Rex, ad se jussit Antistites vocari; cumque vocati venissent, benigne accipiens, blandis eos sermonibus alloquens, ait: *Quod usqe nunc quippe spondistis, celerius ad finem usque perducite*. Statim illi dixerunt: *Sequetur nos Dominus noster, & nunc, quod desiderat, ostendemus*. Confidenter illico de Throno, in quo residebat, exiliens, cum ipsis pariter properabat. Ipsi denique jam saepe fati Episcopi in quadam Ecclesia sub vocabulo *Sancti Protomartyris Stephani* (c) eum perduxerunt, atque ut

(a) Bolv. & Ægypt. legunt: *ut ad praesens me sentiam subito renovatum*.

(b) An ad Ecclesiam, quae a nomine pagi dicta est *S. Maria Suricorum*? Certe tunc erat, & dicebatur, *Capuae corpus*, exigua pars antiquae urbis ab Ecclesia seposita: post enim Wandalorum incendia haud continentibus domicilius ejus amplitudo fuit frequentata. *Peregrinius*. De hac re inferius verba faciemus in Dissert. de Basilicis Capuae veteris. *Pratill.*

(c) De quo infra in Dissert. cit. de Basilicis Capuae. *Pratill.*

ut illuc introgrederetur, efflagitabant. Cumque Ecclesiam cum ipsis pariter ipse cum suis Proceribus aliquantis ingressi fuissent, veniam, ut mos erat, ei a Domino poscebant. Oratione completa, conversus ad Episcopos dixit: *Quod jam plane praedictae Eminentiae nostrae promisistis, nunc demonstrate*; asserens, quod Arichis, de quo nuper diximus, *inter omnes meos Optimates Magnatem illum habebo, & honorem a parte nostrae potestatis obtinendum tribuo: Unum est, quod quaero, ut armiger meus unus miliarius fiat*. Denique ipsi Episcopi cum magno pavore ingentem effigiem Arichis in angulo ipsius Ecclesiae depictam ostenderunt. Itaque aversa facie Rex cum ingenti ira taliter prorupit in vocem: *Vos ne estis, qui usque nunc illusionem, simulque & ironiam de me gessistis? jam non finam facere: tantum quod dixistis perficite; sin autem in exilium vos in Galliam mittam*. At illi perterriti, sed tamen fisi in Domino, dixerunt: *Quod Dignitati Vestrae nuper promisimus, simulque nimirum implevimus. Minas tuas non pavemus: fac quod facturus es. Non dicimus in Galliam, sed si velis, nos mitte in Africam*. Isdem Rex dixit: *Lutum mihi spondistis ostendere, aut formam hominis? aut colores varios?* Ad quod responderunt: *Ne irascaris, (a) Domine Imperator*; nam sic eum vocitabant omnes, qui aderant & famuli sui, qui preciosam coronam in suo prorsus capite gerebat. Imperator quippe omni modo non dici potest, nisi qui in Regno Romano praeest: hoc est Constantinopolitano: Reges Gallorum nunc usurparunt sibi tale nomen, nam antiquitus omnimodo sic non vocitabantur. Interim ad Historiae ordinem redeamus: ad verbum, quod supra quippe inchoavimus. *Arichis non est lutum? Numquid non dicitur in Genesi (b)? Creavit Deus hominem de limo terrae. Numquid non est venturus post carnem vermis? post vermem pulvis? Tamen, si placet, ut* *dixi-*

(a) Tace nugator: Tu autem, lector, vide Baron. ad ann. 800. Bellarm. de Translat. Imperii. Et judicium meum de hoc Auct. num. 7.

(b) *Genes. c. 2.*

diximus, in formam ejus, hoc est in picturam ejus, quod Deo vovisti adimple; nam propriam ejus effigiem omnimodo non videbis, nisi in examinis die. Cumque Rex ex omni parte se superatum cerneret, cum ingenti ira super illam imaginem venit, & sceptro, quod manu gerebat, illius imaginem percutiens, pectus, & coronam, quam in capite depictam gerebat, disrumpere fecit; addens: *Hoc, si eveniat homini, qui super se ponit, quod ei licitum non est*. Tunc prostrati Episcopi in faciem super terram, eum adoraverunt, adjicientes, ut pacem inibi pariter firmarent. Ipse Rex benignissimus audiens admonitionem tantorum Patrum, firmavit, pacem iniens, atque in scripto foederis Pactum (a) affirmans inter Beneventanos, & Francos; & obsides Beneventanorum, simulque & Grimoalt Arichis filium idem Rex Francorum fecit auferri. Cumque talia patrassent, ad invicem sunt sequestrati. Episcopi arva repedaverunt sua, & ipse Rex cum suo exercitu reversus est itinere, quo venerat. Tamen unum eminentissimum ex suis Proceribus Salernum misit, quatenus foedera pacis firmarent, & obsides, ut jam diximus, ab ipso Arichis Principe acciperet.

CAP. XII.

Qui dum properasset Salernum, cum suis non paucis fidelibus ipse, de quo jam diximus, Arichis cum magno apparatu eum suscepit, sicuti nunc sermo subsequens declarat. Tunc Arichis exercitus copiam adunari fecit, quatenus ipsum Missum honorifice cum magna sublimitate reciperet, & diverso habitu variisque instructus armis ante oculos Legatorum, appareret. Nam in sca-

(a) *Arichis imperata facturum Carolo pollicetur, praeter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur*. Eginh. in V. Caroli M. ad verbum. Talem vero imaginem is miserat, suscepto Principatu, ex more Impp. quae post solemnes adclamationes in Eccles. actas fuerat ibidem locata. Confer S. Gregor. Magn. in Ep. lib. 11. init. & Paul. Diac. lib. 6. cap. 11. sive 33.

ſcalis ipſius Palatii adoleſcentes hinc inde aſtare fecit (*a*), deinde ſenes undique circumſtantes cum baculis in manibus, inter quos ipſe Princeps in throno aureo, in eorum reſidens medium. Cumque urbem ipſe Legatus cum ſuis appropinquaſſet, non paucos ex ſuis Proceribus in eorum miſit occurſum; ſed dum eis appropinquaſſent (22) putaverunt, ut ipſe Princeps inter eos eſſet, & inter ſe ſe ſciſcitabant, qualis eſſet forma ipſius, ut eum penitus adorarent. Sed dum eis reſponſum eſt; quod illic minime eſſet, gradierunt ſimul, & dum ſunt Urbem ingreſſi ſtatim Palatium adierunt. Cumque ad ſcalas jam fati Palatii perveniſſent, reperierunt adoleſcentes, quos dudum diximus, hinc inde accinctos aſtare. Quod dum talia Legati cernerent, putaverunt, ut illic ipſum Principem invenirent; ſed reſponſum eſt: *in* (*b*) *aurea perambulate*. Dum pauliſper alium in locum devenirent, cum aliis indumentis juvenes floridas aetates habentes reperierunt hinc inde aſtare, (*c*) omnino eum putantes, ut inibi eſſet. Reſponſum eſt: *in aurea* (*d*) *pergite*. Cumque admirati, in (*e*) aurea paululum properarent, invenerunt jam fatos (*f*) canos cum variis indumentis, jam pro certo

(22) Parem quaeſo animadverte (dicamne Hiſtoriam, an Fabellam?) Tom. II. pag. 124. Scriptor. Francicor. Du Cheſnii, ubi Monachus Sangallenſis, quem NotKerum quidam appellant, Lib. II. de Reb. bellic. Carol. M. narrat, Legatum quemdam Graeci Imperatoris ad Carolum inviſendum veniſſe, atque non ſemel deceptum, quum ante deductus fuerit ad Proceres Palatii ſplendido apparatu variis in locis diſpoſitos, quam ad Carolum perveniret. Rumores vulgi, ſua quaeque magnificantis, ambabus olim ulnis excipiebantur, atque imperterrite in chartam illati, ad alias gentes tranſmeabant, & ad nos uſque tranſierunt. (Prat.) *Fabuloſam, atque inſulſam enarrationem norunt omnes.*

(a) *Qui gerebant ſpraverios in manibus ſuis, & ceteras hujuſmodi aves; deinde juvenes aſtare fecit floridam aetatem habentes, & ipſi alios accipitres, & hujuſmodi aves manibus gerebant: Quidam autem ex iis ad tabulam ludebant, hinc inde canes* (Cod. Vat. *cavos*) *ſpargentes aſtare fecit: Deinde &c.*

(b) al. *in antea* (*& Area, & Aula.*

(c) *Jam omnimodo putantes.*

(d) *In antea* (*in Area.*

(e) *In Area.*

(f) *Juvenes.* (al. *cavos ſpargentes.*

to existimantes, intentisque oculis imaginem illius videre cupientes. Sed responsum est: *ite in* (a) *aurea*. Dum properassent in aulam, in qua ipse Princeps erat, cernerant ibidem astare senes venustam formam habentes, & ipsum Arichis in throno aureo, in medium eorum residentem. Mox quippe ipse Princeps de aureo, in quo residebat, throno resiliit, cumque, ut invicem se adorare (b) adjungerent tunc Arichis eos delusit, sceptrum, quod manu gerebat, projecit. (c) Protinus ipse Legatus ut vidit, mox submisso vultu eum elevavit, atque ipsi Principi detulit, eumque protinus (d) adoravit, asserens: *non sicut audivimus, vidimus; sed plus plane vidimus, quam* (e) *audivimus*. Cui denique ipse Princeps Arichis ad vesperam diversos cibos, vini (f) quoque praecipua, variaque potionum genera transmisit, atque in regia aula eum cum suis fidelibus morari jussit.

CAP. XIII.

Alia nempe die ipse Princeps, visitandi causa ad eum vênit, eumque percontari coepit de ejus sospitate, cui ille: *Melius numqam aliquando memini me esse, quam nunc* (g). Et videns omnem sapientiam Arichis, & Palatium, quod aedificaverat, & cibos mensae ejus, & habitacula servorum, & ordinem ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, miratus est valde adjiciens: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea* (h) *super sapientia tua, & super gloria tua. Non credebam narrantibus mihi, donec per me metipsum veni, & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars nuntiata non fuerit*. Hiis dictis, ipse Arichis suum filium, ut diximus, *Grimoalt* cum aliis obsides dedit, atque dona ei plurima largitus est. At illi vale

(a) al. *Area* (*& antea*.
(b) *Statim Arichis*.
(c) *Protinus. Ut ipse Legatus hoc vidit, mox*.
(d) *Pronus*.
(e) *Nuper*.
(f) *Vina*.
(g) *Sim*.
(h) al. *In arva mea*.

vale facientes Principi laboriosum iter arripuerunt. Ferunt (XIII) plane nonnulli, quod ipse saepe dictus Carolus in Legati formam se transformasset, ut auditam Arichis magnitudinem cernere posset, & quod ipse Legatus, quem supra diximus, Carolus fuisset.

C A P. XIV.

IGitur *Grimoalt*, dum devenisset cum suis Papiam, cum gaudio ab ipso Rege acceptus est, moratusque est apud eum temporibus multis. Ipse saepe dictus Arichis erga Dei praecepta se se cooptabat (*a*), atque creberrime pauperibus eleemosynam condonabat. Factum est, ut una die ex more quemdam Presbyterum proprio ore clamaret, quatenus pro suis delictis (XIV) mitissimum Agnum mactaret. At ille, postposità verecundià, mox ingressus est Ecclesiam, Missamque, quamvis foedatus, canere coepit: (*b*) altitonus Dominus suum Angelum e (*c*) Coelo cum spongiis misit, eumque abluit; & nullus nisi Arichis cernere potuit. (*d*) Sacrificio ex more peracto, sordes, quas Angelus diluerat, super eum injecit, & Princeps Presbyterum jam fatum ante suum obtutum venire jussit, eumque delicatius percontatus est videlicet de re, quae acciderat. At ille seriatim, licet clam, omnia enodavit, qualiter cujusdam viri foeminam stuprasset, & non lotus sacrificium, licet non (*e*) dignus, Deo obtulisset. At ille contestans eum, ut nullo modo hujus (*f*) rei assensum daret. Vir ille, cujus mulier foedata fuerat, omni nisu decertabat, quatenus Presbyterum illum extingueret: unde

(XIII) Quod in medium heic Anonymus adfert, incredibile sane videtur. Nil mirum jactantis Principis sui genio indulget.

(XIV) Idest, pro remissione suorum peccatorum Sacrificium incruentum, seu Missam offerebat.

(a) al. *coartabat.*
(b) al. *mox Altissimus Dominus.*
(c) *E celis,*
(d) *Post Sacrificium ex more peractum,*
(e) al. *indignus.*
(f) al. *huic.*

unde non modice ab ipso Principe est objurgatus, inferens minas, occisurus (a) fore illum, & domum suam (b) cremandam. Quid multa dicam? Quadam die super eum clam vênit, fortique ictu percussit, & in terra mortuum stravit. At Princeps ex (XV) improviso virum illum cum uxore, & liberis clausa domo (licet non recte gessisset) igne cremari fecit. Uxor illius praegnans erat, & vicina partui dedit sine (23) ossibus filium, ut patenter daretur intelligi, quod misericordiam sine discretione haberet; sicut enim suus natus carnem habebat, & tamen fortitudinem amiserat (c), unde (d) . . . sine mora poposcit; & quemadmodum misericordia sine discretione nihil valet, sic ille infantulus sine ossibus nihil valebat.

CAP. XV.

Quaedam mulier virum proprium habebat, & cum alio viro se commiscebat. Factum est, ut una nocte, una cum adultero (e), virum proprium strangularet; & dum ipse ingentem vocem emitteret, inquit ad suos: *Surgite, quia meus vir apoplexia est penitus extinctus*. Dum ex more vicini & consanguinei circumquaque altrinsecus flerent, cum magno obsequio ad sepulcrum usque perduxerunt, eumque humarunt. Dum ad aures

(23) Vide quot aniles fabulas heic nobis propinet Salernitanus noster. Haec, aliaque ejusmodi Camillum Peregrininm deterruisse reor, ne integrum ejus Chronicon evulgaret. Nemo inficias ierit, quin egregios Scriptores, ac Libros veterum Monachorum Respublica dederit; sed multos etiam ex iis novimus nimia credulitate laborantes, & prodigia, ultra quam par erat, somniasse, aut ab aliis lubentissime accepta literis commendasse.

(XV) Hoc etiam inter fabellas adnumerandum.

(a) *Occisurum*.
(b) *Esse cremandam*. In Cod. Vat. legitur: *interminans si occisurus foret illum & domum suam igne esse cremandos*.
(c) al. *obmiserat*.
(d) *Penitentiam*.
(e) Cod. Frecc. *in dolo suum*.

aures Principis pervenisset, quod non propria morte fuisset extinctus, statim comprehendi virum illum, qui mulierem defuncti foedaverat, jussit; & verba talia promit: *Nisi extemplo, quod clam gessisti, nobis enodaveris, illico nimirum morieris*. At ille quod nequiter gessit, per omnia popolavit. Princeps idem alta trahens suspiria, tamdem in voces erumpens, inquit ad suos: *Virum istum comprehendite, eumque super mortuum facie ad faciem districtum colligate (a); & quid exinde Redemtor humani generis judicaverit, intimate*. Quo peracto, tertio die indagari jussit, quid exinde fuisset factum. Tunc reperierunt virum illum, qui fuerat strangulatus, desuper stratum, os naresque sui peremtoris corrosisse. Proinde huic Historiae haec conscripsimus, ut fideles a muliere aliena (*b*) sibi omnino caveant, & ultionem divinam (*c*) metuant (XVI).

C A P. XVI.

QUidam illo in tempore Patriarcha Constantinopoli erat vir bonus & justus, sed carnali amore nimium foedatus in tantum, ut neptem suam quasi Eunuchum in domo propria haberet, & eam undique insignibus vestimentis fulciret. Ille Patriarcha morti approximavit, atque omnibus suum nepotem, qui videbatur, commendavit. Dum obiisset, una omnes illam, quae erat femina, cunctis (*d*) irascentibus, (24) Praesulem elegerunt. Prae-

(24) Palmaris haec fabula de Patriarchissa Constantinopolitana, & de Arichisi Principis visione attente consideranda: hinc enim ab aemulis, aut hostibus Sanctae Romanae Ecclesiae desumta videtur ridenda plane, atque ab ipsis Heterodoxis jam ejurata fabella Johannae Papissae. Quod in Graeca Ecclesia olim factum confinxere nugivenduli, Romanae quoque Cathedrae accidisse alii commenti sunt, & qui-

(XVI) Concionatoris officio heic fungitur, ut fideles a viis suis pessimis avertantur.

(a) *Distendite*.
(b) *Sibi omnimodo contineant*.
(c) *Acerbissimam*.
(d) *Nescientibus*.

Praefuit illis ferme unum & femis annum. Intempesta nocte, quando sopore corpora fessa premuntur, malignus spiritus ante stratum, ubi Arichis dormiebat, se se obduxit, & vocem emisit asserens: *Quid agis Arichis*? At ille insolito (a) clamori dum aures innecteret, idem Diabolus: *Propalabo tibi quid feci*. *Constantinopolitani non virum, sed feminam habent pro suo Patriarcha, ideoque terra illa sui Redemtoris detinetur ira*; & haec dicens abscessit. Idem Princeps statim suos Constantinopolim Apocrisarios direxit; & cuncta, quae ei Diabolus propalaverat, aperuit. Illi vero curiosius indagarunt, & qualiter per Arichisum promulgatum fuerat, reperierunt: & tunc pestis ipsa quievit.

C A P. XVII.

INterim protelata verba (b) omittamus, & stilum ad propositam rem revocemus. Ipse, de quo praemisimus, Arichis cum regnasset annos (25) XXVII. (c), & men-

quidem serius. Nunc audi Leonem IX. Papam anno 1053. in haec verba scribentem ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum: *Absit autem, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanae Ecclesiae contigisse, ut Eunuchos contra primum Sancti Nicaeni Concilii capitulum passim promovendo, Feminam in Sedem Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere &c.* Sed longe ante Leonem IX. calumniam hanc venditabat bonus Salernitanus noster. Johannae vero Papissae scena post annum tantummodo 1250. erupit atque invaluit. Ipsa vero Leonis IX. Epistola evincere potest, tantam abominationem in Cathedra Petri nunquam fuisse invectam, & ne rumorem quidem temporibus Leonis IX. ejusce flagitii fuisse. Quei enim tanta confidentia Graecis haec objecisset Romanus Praesul, si in Romana Sede illud idem antea contigisset, aut saltem contigisse fama, licet in hoc mendax, tulisset?

(25) Parum attentum & heic amanuensem deprehendo; etenim scri-

(a) *In somnis dum insolito.*
(b) al. *omnimodo mittamus.*
(c) *XXVIII.*

menses sex, jam aetate maturus, apud Salernum placida morte quievit, atque juxta Ecclesiam Dei Genitricis Sedis ipsius (a) humatus. Per idem tempus, ut diximus, Sanctae ipsi Ecclesiae (26) *Robertus Episcopus* praeerat, qui ob amorem tanti viri super tumulum ejus, ejusque uxoris, & filii, cameram instruere fecit. Fuit autem vir mitis, audaxque, & apprime liberalibus disciplinis imbutus, &, ut jam diximus, hanc civitatem undique munivit, atque in ea mirae magnitudinis, immo & pulchritudinis Palatium construxit, & ibidem in Aquilonis parte Ecclesiam in honorem Beatorum Petri & Pauli instituit, quae (b), ut ajunt, dum olim asylum Principis fuisset, & ipse Princeps Idolum jacens illuc (c) invenisset ex auro fabrefactum, inde ipsam Ecclesiam deauravit. Sufficiant quae de *Arichis*, ejusque prole essavimus; nam saepe dictus Paulus in locum, ubi eorum corpora requieverunt, plenissime ea versibus illustravit, quos nos huic Historiae inseri fecimus.

C A P. XVIII.

Ut retro traham stilum, aliquid inter plura, qualiter dictus Princeps se gerebat, fidelibus innuam, ut Praelati saepissime exemplum teneant, & subjecti omnimodo gaudeant. Ipse, de quo praemisimus, Arichis erga Dei culturam se se crebrissime coarctabat, & undique

scribendum *annos XXVII. & menses VI.* In Catalogo Ducum Beneventanorum praefixo huic Libro, *anni XXIX. & menses V.* Arichisio tribuuntur. Alii *annos XXX.* nempe incompletos eum regnasse tradunt. Vide infra ejus Epitaphium, ubi *ter binis lustris* rotundo numero, versus causâ, patriam rexisse dicitur.

(26) Sive *Rodepertus* Episcopus Salernitanus. Haec eadem Anonymi nostri verba adfert Ughellius in Catalogo Episcopor. Salernitan. *sub nomine Heremperti*. (Prat.) *Ita quidem legit Cod. Freccian. & Bolvit. scil.* Rodipertus.

(a) *Est.*
(b) al. *quam.*
(c) *al. illic.*

que prospera illi Dominus condonabat: Nam Argivos potenti dextera superavit, & in fugam nimirum compulit ire; qua peracta victoria, in elationem non est ductus, sicut tyranni assolent facere, & ad deteriora perveniunt; sed Creatori (a), qui conterit bella, immensas gratias exhibebat. Ipse inopes & debiles diverso habitu induebat, cibariaque abundanter nimium tribuebat; & Redemtor (b) mitissimus vices, nec non & gloriam (c) illi largiebatur, & sua arva illaesa obtinebat, & omnes sub sua ditione laetabantur & exultabant.

CAP. XIX

ENodare autem fidelibus volo, qualiter omnipotens Deus antequam *Arichis* ad dignitatem perveniret Principalem, ei ostendit, qualiter honorem, vigoremque ei redderet; nam quadam die dum cum suo Principe *Liutprando* in Ecclesia B. Protomartyris Stephani, quae sita est in veterrima urbe Capuae ab Imperatore, Helenae filio, Constantino, (A) eamque in honorem omnium (B) Apo-

(A) *Anonymus noster hoc postremo numero videtur adfirmare, Constantinum Magnum dicare voluisse omnibus Apostolis Basilicam a se Capuae constructam; sed propositum non perfecisse suum: illam vero S. Germanum ejusdem urbis Episcopum reliquiis consecrasse S. Protomartyris Stephani, conlatis sibi ab eodemmet Imperatore. Quas adsertiones a comperta horum gestorum veritate valde alienas brevissimis Notatiunculis, ac sub ipso festinante prelo refellere est visum; sciasque, Lector, Anonymi narrationem in scriptis Papp. Codd. haberi, qualem repraesentavit: etsi aliter ab aliis edita fuerit.*

(B) In honorem omnium Apostolorum) *Communis hac etiam aetate ea est opinio; sed magis placet (do verba Anastasii Bibl. in Silvestro primo)* Constantinum fecisse intra urbem Capuam Basilicam Apostolorum: *hoc est Apostolis Petro, & Paulo illam exstruxisse, quibus singulis Romae amplissima exaedificaverat idem Imperator templa. Sane indefinito Apostolorum nomine non omnes semper venire consuevere duodecim Christi Salvatoris Principes ministri. Exemplum*

(a) *Suo.*
(b) al. *mitissimus vires.*
(c) *Libenter.*

Apostolorum dedicari decrevit, (C) licet postea a Beatissimo Germano ejusdem Episcopo urbis (*a*) collatur (D) ab Imperatore reliquias B. Protomartyris Stephani, nec non

plum succurrit apud Ennodium Dictione 2. aliis Oratione 6. quae recitata est, ut Titulus antiquus manifestat, in Dedicatione Basilicae Apostolorum, ubi Templum fuit Idolorum. *De cujus sanctificatione Auctor sic habet*. Christus ingressus est, respiciamus quibus fultus auxiliis. Venerunt cum eo Coelorum radii, Apostolorum diademata, Petrus, & Paulus, qui *&c. En Basilica Apostolorum consecrata non omnium est adventu, sed Petri, & Pauli dumtaxat*.

(C) Dedicari decrevit) *Ex te, mens fuit Constantino eam dicare Apostolis, qui re non complevit. At Ecclesiam Imperator a se denominavit* Constantinianam, *multiplicique supellectili ad usus sacros, ac* Massis, & Possessionibus, *hoc est Fundis, large donavit, si praedicto est fides Anastasio. Quid igitur dicatio mox non est secuta; quam differre nefas erat, more ne dum Ethnicorum, quem observo apud Plinium lib. 4. Epist. 1. sed Christianorum, si rite verba S. Paulini Nolani capio?* Propterea (*ait ille Epist. 12.*) & horum versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandae Basilicae paravimus; nam adhuc in opere est; sed, propitio Deo, dedicationi propinqua. *Perfectionem operis, & dicationem una conjunxit vir sanctus*.

(D) Collatur ab Imperatore reliquias) *Sic unus Papyraceus Codex notae melioris. Alter*: Collatas ab Imperatore reliquias. *Selige quamvis lectionem, dicet ab Imperatore, quem praedixerat, donatas reliquias S. Germano. Hem quam foedum, nec unum erratum. Sanctus ille Episcopus D. Benedicto notus, & coaevus, duobus integris seculis posterior fuit Magno Constantino; quo vivente, dispertitae reliquiae S. Protomartyris in Italia nullae: immo nullibi, corpore non dum revelato. Accepit (consentiam) Germanus illas ab Imperatore, sed Justino seniore, ad quem missus fuit Princeps clarae legationis a Romano Pontifice Hormisda; tunc S. Protomartyris nomen, clarescentibus signis ex uno ejus passionis lapide apud Anconitanos exculto, religiosissime apud Italos venerabatur; quam reliquiarum donationem cum Anonymus noster ex minus proba vulgi relatione accepisset, vel mente sua perturbasset, nil curavit, sive alienam, sive suam desipientiam ad Lydium authenticorum scriptorum lapidem probare, qua negligentia pluries eum laborasse satis superque constat. Sed esto voluerit ille non ab Constantino, sed ab innominato ibi Imperatore S. Germanum reliquiis donatum; ejus tamen*

(a) al. *collatas*.

non & B. Agathae Virginis, proinde eam in honorem (E) Protomartyris Stephani vocari jussit; & ut diximus, dum in eadem Ecclesia, Langobardorum sicuti mos est, cum pugionibus accincti altrinsecus introissent, & unusquisque dum indesinenter oraret, sic ille adolescens Arichis. (*a*) *Miserere mei Deus*, labiis impressis canere coepit: dum venisset, ubi dicitur: *Spiritu principali confirma me*; illico spata illius contremuit, ac si quilibet illam concuteret (*b*). Ille vero, oratione completa, cum pavo-

men dicto adsentiar ne ego, Ecclesiamque a Magno illo constructam, ac large donatam, indedicatam remansisse credam ad S. Episcopi tempora: hoc est ad integros annos biscentum? Certe mens Anonymi, nisi illa prior, haud alia ab hac fuit.

(E) Proinde eam in honorem Protomartyris Stephani vocari jussit) *Idem jussit Constantinus, de quo dixerat.* Dedicari decrevit. *Sed his non amplius fisto. Verba illa observo.* Proinde eam &c. *quae indicant mihi priscum sacrum morem dicandi Ecclesias, adhibitis eorundem Sanctorum reliquiis, quorum nominibus adpellandae fuissent, iisdemque curatis ab eodem auctore constructionis, qui cetera quoque omnia solemnitatem condecentia suppeditabat; de quibus alibi est mibi dictum. Idque institutum, ut reor, sive Anonymum nostrum, sive enarratae fabellae impostorem in opinionem induxit, ut alteruter putaverit Constantinianam Capuae Ecclesiam non adsecutam decretum nomen Apostolorum; quoniam scilicet Apostolorum omnium reliquias crediderit haud praesto fuisse Constantino, qui earum vice tradiderit alias* S. Protomartyris Stephani, & PROINDE eam in illius honorem vocari JUSSIT. *At Apostolorum indefinito nomine, jam dictum est, soles quandoque venire Apostolorum Principes, quorum Sacris Lipsanis certe Constantiniana illa sub ipso Constantino est dicata. Anonymi igitur adsertiones ablegentur, qui anilibus fabellis fidem incautus praestans, veritus quoque non est adserere, desumtum fuisse vaticinium de Principatu Arichis ex verbis Psalmi* 50. *pessime interpretatis, tum quo ad Psaltae mentem, tum quo ad dignitatem Dynastarum Beneventanae Provinciae; qui tunc Titulo Principatus non adhuc uti coeperant, cum Liutprandus imperabat. Verumtamen si me audis, Constantiniana Capuae Ecclesia nulla fuit alia, nisi quam modo dicunt.* Divi Petri ad Corpus, *in locis situm vetustae Capuae. Sed de his alibi.* (Prat.) *Nosque in fine bujus scriptoris Dissertationem dabimus, ut alibi praemonitum.*

(a) Psal. 50. (b) al. *connecteret.*

pavore seriatim suis collectaneis enodavit. (a) Unus ex his, qui erat sapientior ceteris, talem sermonem erupit. *De hac instabili vita minime es, quantum mihi videtur, processurus, antequam ad dignitatem Principalem Dominus te perducat*. Quod postea, annuente Deo, ad tutelam Langobardorum probavit eventus. Dum Dux nomine Liutprandus fuisset extinctus, una omnes Arichisium Principem acclamabant; quapropter in Principalem dignitatem honorifice illum asciverunt; nam non, ut assolent plurimi, per pecuniam, & per pollicitationes opprimere in mirum (b) honorem, sed cunctis uno agmine coacti, licet non a se, sed ab illo, qui dixit: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum* (c): illum Principem sublimarunt.

C A P. XX.

HAec de (d) pluribus pauca dixisse sufficiat. Nunc quae a *Diacono Paulo* eleganti viro prolata sunt, minime obmittamus; sed huic Historiae (e) enucleatius inserere faciamus.

Lugentum (*f*) (27) *lachrymis populorum roscida tellus*
Principis haec magni nobile corpus habet.
Hic namque in cunctis recubans celeberrimus Heros
Praepollens Arichis, o decus, atque dolor.
Tullius ore potens, (*g*) *cujus vix pangere laudes,*

Ut

(27) Epitaphium Arichisii Beneventani Principis, Auctore Paulo Diacono, si huic nostro fides. Jam illud habebamus cura Camilli Peregrinii, & recusum habemus supra Tom. II. pag. 310. hujus Collectionis. Sed illud repetere juvat, quum Codex, unde haec fuere descripta, nonnullas variantes Lectiones exhibeat minime contemnendas.

(a) *Nugas hic etiam pueriles educit Anonym.*
(b) al. *nimirum.*
(c) Matth. c. 18.
(d) al. *plurimis.*
(e) al. *enucleatim.*
(f) al. *Lugenti.*
(g) al. *Ejus.*

Ut dignum est, posset vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum, Regumque satus, ascenderat ipse
Nobilior generis culmina celsa sui.
Formosus, validus, suavis, moderatus, & acer,
Facundus, sapiens, luxque decorque fuit.
Quod Logos (a) effinxit, moderansque quod Ethica pangit,
Omnia condiderat (b) mitis in arce sua.
Strenuus, eloquii divini cultor, & index,
Pervigil in lacbrymis tempora noctis agens.
Anteibat juvenes venatu, viribus, armis:
Flaminibusque (28) *ipsis flamina sancta dabat.*
Ter binis lustris patriae sic rexit habenas;
Fluctibus ut luntrem (29) *navita doctus agit.*
Sollicite gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus, atque sagax.
Cum natis proprium nil ducens tradere (30) *censum,*
Insuper & patriae promtus amore mori.
Moestorum solamen erat, solamen egentum,
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, moenibus altis.
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu (31) *requiesque tuis, portusque, salusque fuisti,*
Gloria, deliciae, tu generalis amor.
Heu mihi quam subito perierunt omnia tecum
Gaudia, prosperitas, paxque, quiesque simul!
Planctus ubique sonat; te luget sexus, & aetas
Omnis, & ante omnes, tu Benevente, doles.

Nec

(28) Hoc est, ut conjicio, Sacerdotibus ipsis, aliisque religiosis viris, consilia sancta, ac Religionis cultum & amorem inspirabat:
(29) Pro *lintrem*, sive naviculam.
(30) Nempe Carolo Magno, cui *geminam sobolem*, Erchemperto teste, *vice pignoris tradidit, hoc est Grimoaldum, & Adelgisam, simulque cunctum thesaurum suum*, ut ditionem ac libertatem sibi servaret.
(31) Rectius heic, quam apud Peregrinium.

(a) al. & *phisis.* (b) *Mentis.*

Nec minus excelsis nuper (32) *quae condita muris*
Structorem Orbe tuum, clara Salerne gemis.
Appulus, & Calaber, (a) Vulgar (33), *Campanus, & (b) Afer.*
Quosque Siler potat, Romuleusque Tibris. (XVII)
Quique bibunt Ararim, te flent, Histrumque, Padumque.
Aestimet adfinis, seu peregrina phalanx.
Tam felix olim, nunc namque miserrima conjux.
Regali in thalamo quam tibi junxit amor.
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone
Languida membra trahens, te moribunda dolet!
Viderat unius heu nuper funera nati!
Ast alium extorrem Gallia dura (c) tenet. (XVIII)
Huic geminae natae vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, sollicitusque timor.
Has cernens, reddi vultus sibi credit amatos.
Heu trepidam faciunt! fluctuabunda pavet.
Solatur tantos spes haec utcumque dolores,
Quod te pro meritis nunc Paradisus habet.
O Regina potens, Virgo, Genitrixque Creantis,
Prosit ei huc sacro membra dedisse Lari.

Vixit autem quinquaginta tres annos. Obiit VII. Kal. Septembris Anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVII. Indi-

(32) Peregrinius legebat, *nuperque condite clare Salerne*. Melius heic: nempe *clara urbs Salerne*.

(33) Hoc est *Bulgarus*. Regnum tunc Bulgariae florebat. V consonans pro B; & contra B pro V olim, ac praecipue apud Apulos & Siculos in usu.

(XVII) Fluvios *Silarum*, ac *Tyberim* pro terminis fortasse illius Dynastiae designat Vates. Vide Peregrinium in Campan. disc. 1. ubi de Campaniae limitibus sub Langobardis agit. Inde Ararim, Istrum, & Padum, qui etiam Langobardis & olim, & tunc temporis subjecti erant: verbis usus *adfinis*, & *peregrini*.

(XVIII) Scilicet, Grimoaldum apud Regem Carolum obsidem, jam extincto Romoaldo altero Arechis filio.

(a) al. *Bulgar.*
(b) *Umber.*
(c) al. *tenes.*

Indictione (34) IX. Donna Adelperga Principissa filios Romoald, Grimoald, (a) Egisiphum, Theoraldam, & Adelcisam (b).

CAP. XXI.

Item alii versus, quos super tumulum Romoald filii Arichis reperivimus.

Alta ruit subito Beneventi gloria tristis,
Quam tenet hic tumulus: vae tibi Barda cohors!
Hic Arichis dormit magni pulcherrima proles,
Unica spes patriae, murus, & arma suis.
Cujus fessa patris bene jam virtute senectus
Tuta regebatur, tutio matris erat.
Hic novus a multis Arichis vocabatur herilis,
Moribus, & forma, consilioque vigens.
Grammate (35) praepollens, mundana lege togatus,
Divina instructus nec minus ille fuit.
Relligione patrem aequiparans, matremque pudore,
Illius, heu, tristes quos male flamma creat.
Subditus ad mortem, dulcisque parentibus asque
Nullus plus voluit amplius, aut potuit.
Ceu Abraham genitor, Isaac, sic iste peregit:
Oblatus tacuit jussa parentis agens.
Traditus ob patriae, populi cunctique salutem
Se opponens voluit pro pietate mori.

Ob-

(34) Ita quoque in aliis exemplaribus. Sed scribendum *Indictione* X. quae illo anno ante Kalendas Septembris decurrebat. Et quidem ante eum, sed eodem anno Romualdus filius e vivis excesserat *Indictione X.* ut infra illius Epitaphium praefert.

(35) Peregrinius legit *Gromati pollens*. Num hic Princeps Agrimensoriae Arti operam dedit? Apage. Recte Codex noster. In *Grammatica*, sive eruditione peritissimus fuit Romualdus; Legum quoque scientiam, ac Theologiam sibi pararat. En Distichi hujus sensum.

(a) *Et Gisisum.* (b) al. *Algisam.*

Obvius occurrit Regi, immunesque phalangi
Munivit fines, o Benevente, tuos.
Tu placida Regis sedasti mente furorem
Obruta Gallorum (36) *te ira loquente fuit.*
O Romuald mitis Ductor, sine felle suavis,
Terrea liquisti Regna, superna tenes.
Terreno verbis placuisti quam bene Regi!
Coelesti melius (a) *nunc sine fine places.*
Hoc lachrymans cecini David (37) *ego flebile carmen,*
Praesul, cui semper te sine velle mori est.

Vixit An. XXV. Depositus est XII. Kal. Augusti Principante patre Anno XXX. Indictione percurrente X.

C A P. XXII.

FErtur a multis, quod properante Rege Carolo in Campaniae finibus, statim, ut diximus, ipse Arichis obviam ei Praesules misit, & cum ipsis Romoalt, qui fastigium cum patre Principatus habebat; sed valde nimium ab ipsius Praesulibus ipse Rex fuerat exoratus, ut ipsum Romoald suo patri transmitteret, & Grimoald (b) filium suum libenter acciperet: quod ille, ut ferunt, audita admonitione tantorum Patrum, talia fieri dixit. Sic denique illo redeunte, & Grimoald, ut diximus, illuc properante, sicuti jam quippe (c) declaravimus.

Cumque talia peracta fuissent, Beneventanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis extitit, nuntiandum protinus *Carolo Regi* mittunt, ut citius *Grimoald* Beneventum mitteret, ut Principatum, quem suus pater amiserat, ipse nempe (d) occuparet. His auditis Rex statim,

(36) Haec plane apud Peregrinium vitiata, qui habet *& ira loqui fecit.*
(37) Beneventanus Episcopus.

(a) *Huic.*
(b) *Alium.*
(c) *Superius.*
(d) *Exciperet.*

tim, ut ad se citius *Grimoald* veniret, jussit (*a*). Cum vero venisset, & ante suum conspectum astaret, ipse Rex, ut erat benevolus, cum magna moestitia ei dixit humili voce: *ut mihi relatum est: Tuus pater mortuus est*. Ille ut erat sagax (*b*), strenusque, in hunc modum Regi responsum dedit: *Domine, piissimeque Imperator, quantum prorsus conjicere valeo, sospes est pater meus, & gloria ejus viget, & opto, ut vigeat per secula cuncta*.

His auditis, Rex taliter quippe est eum allocutus: *Vere tuus genitor ex hac luce subtractus est*. Tunc idem Grimoald: *A die, Domine Imperator, qua huc sub vestra ditione allatus sum, nec genitorem, nec genitricem, nec ullum quippe ex nostris stigmatibus* (38) *habui, nisi te, Rex*. Proceres quippe, qui ante ejus sistebant obtutum, nimium collaudabant strenuitatem ejus, asserentes: *Dignum* (39) *est, ut Samnitum Ducatum* (*c*) *Beneventanum ad istius Grimoald ditionem perveniat*. Cumque Rex aures innecteret in sermones, quos audiebat (*d*) a suis fidelibus, conversus ad Grimoald: *Vis arva tua repedare?* Qui ait: *Domine, volo*. Item Rex: *Et si malis, unum, quod a te quaero* (*e*), *nostrae eminentiae per jusjurandum promitte, ut statim dum Salernum fueris ingressus, muros ejus a fundamento diruas, & ad solum usque perducas. Sic facies & Consiae, simulque &* (*f*) *Aggerentiae*. Quod

(38) Scilicet ex nostris affinibus, sive ex nostra cognatione. Eo sensu usitata vox Auctori nostro *Stigma*, ut arbitror, pro *Stemma*.

(39) Non ob istud callidum tantummodo responsum Carolus Grimoaldum dimisisse mihi creditur, sed quia post Arichisi obitum Graeci multa minabantur, immo cum Beneventanis consilia miscebant; & ad rebellionem proni erant populi, si Grimoaldum Carolus eis negasset. Et profecto Graeci cum Adelgiso Desiderii olim Regis filio arma parabant. Rex ergo, ut majora pericula averteret, satius duxit sinere, Grimoaldum abire: Vide Epistolas 73. 86. & 90. Codicis Carolini.

(a) *Dixit*.
(b) *Nempe*.
(c) *Deest* Beneventanum.
(d) *Quos affaverat suis*.
(e) *Est*.
(f) *Accrentiae*.

Quod ille nimirum per jusjurandum ſpopondit omnia eſſe facturum.

Ipſe ſaepe dictus Rex equos, familiamque, atque dona plurima eſt ei largitus, eumque (*a*) Dominum Beneventum miſit, admonens, ut ei quam ſpoponderat fidem ſervaret. At ille valefaciens Regi, cum ſuis fidelibus (*b*) iter arripuerunt. Sed ipſe Rex e ſuis fidelibus duos praeclariſſimos cum ipſo Grimoald miſit, Autharim videlicet, & Paulipert, ut quemadmodum ſuae dignitati, ſic per omnia illi fidem ſervarent. Et idem Grimoald, ut eminentiores, atque cum honore eos in ſua patria obtineret, & domos, & praedia plurima eorum ditioni tradidit, & ex nobili genere eis puellas copulavit.

C A P. XXIII.

DUm ſimul, ut diximus, caperent iter, pervenerunt in Beneventanis finibus non (XIX) procul a Capuana urbe; ſed antequam Vulturnum fluvium tranſmearent, immenſa Langobardorum plebs in occurſum ejus venit, atque cum gaudio eſt ab eis exceptus. Qui dum catervatim Beneventum properaſſent, promiſcui ſexus fere milliarium unum ab urbe exierant, cum hymnis & canticis Deo gratias referentes, id ipſum annectentes: *Veni* (*c*) *pater noſter, & poſt Deum ſalus noſtra*. Dum urbem fuiſſet ingreſſus, ſtatim Dei Genitricis Eccleſiam adiit, atque in faciem in pavimento ſe extenſum proſtravit, & veniam ab ipſa Dei Genitrice efflagitabat.

Cum.

(XIX) Male heic Anonymus Beneventani Ducatus fines deſignat: cum hi multum ultra Capuam protenderentur, non prope Capuam urbem, ut alibi in notis ad Ignotum Caſs. advertimus.

(a) *Deeſt* Dominum.

(b) *Duos praeclariſſimos cum ipſo Grimoald miſit, Autharim videlicet & Paulipert, ut quemadmodum ſuae dignitati, ſic per omnia illi fidem ſervarent, & ei Grimoald, ut eminentiores, atque cum honore eos in ſua patria obtineret, & domos, praedia plurima eorum ditioni traderent, & ex nobili genere eis puellas copularet. Dum ſimul &c.*

(c) al. *Paſtor*.

Cumque per paucos dies a Beneventanis illic detineretur, Salernum vênit. Sed dum Salernitanis fuisset cognitum, repente ex urbe egressi sunt, tam virorum, quam feminarum omnis sexus, omnisque aetas ei obviam, & magna multitudo fere per milliarium unum cum hymnis, & canticis dicens: *Veni Domine, veni, qui* (XX) *proprium tuum corpus non es veritus pro tuis ovibus tradere*. Atque in hunc modum simul reiterabant voces. Cumque urbem Salernitanam fuisset ingressus, illico Dei Genitricis Ecclesiam adiit, atque ab ipsa, ejusque prole veniam poposcebat; & super sepulcrum veniens patris ac fratris, multum illic flevit. Cum veniret vero ad Palatium cum suis Proceribus, illic cum magno gaudio simul sunt epulati. Dum vero talia patrata fuissent, ipse, de quo jam diximus, Princeps cunctos suos Optimates accersiri fecit, quatenus prorsus quod dudum Regi spoponderat, panderet. Sed dum Optimates talia nimirum cognovissent conturbati sunt valde, adjicientes: *Quomodo tam praeclarissimam civitatem ad solum usque prosternes, sicut tu Domine asseris, quam ut melius scis; tuus nuper piissimus genitor ampliavit mirabiliter*? His auditis, Princeps ad instar sui genitoris blanditer alloquens eos: *Aliter* (a) *facere nequeo, quia per jusjurandum Regi asserui omni modo talia adimplere*. Dum Optimates illius voluntati obtemperare mallent, taliter proruperunt in verba: *Dominus noster es: quod bonum* (b) *& utile tuis comparet oculis, facito*. At ille: *Eamus*, inquit, *in locum, qui Veteri* (XXI) *nuncupatur, & plus tutissimam civitatem, quam ista est, ibi construamus*.

CAP.

(XX) Non insolens Langobardorum Scriptorum mos, immo frequentissimus, qui parum religiose verbis Sacrae Scripturae in rebus profanis utebantur. Ii enim cum plerumque Monachi fuerint, sacrorum Librorum notitiâ pollebant; inepte tamen saepissime, & sine debita pietate illorum sanctitatem venditabant

(XXI) An locus *Veteri*, nunc *Vietri*, ab Veteris Salerni ruinis cognominatus fuerit, Salernitanis Cl. Viris rem illustrandam relinquo; cum ab iisdem haec opinio prodierit.

(a) al. *aliud*.

(b) al. *quippe & utiliter*.

CAP. XXIV.

Cumque cum suis Proceribus illuc, ut diximus, carperet iter, locum, quem ipse circumspexerat, famulis suis praecepit hinc inde muris aedificari. Et statim reversus Salernum, & electa manu cum valido exercitu Consiam pergit; & loci, qui erat tutissimus sine muris, muros illic inventos disrupit, ut civitas omnino diruta esse videretur. Deinde Aggerentiam vênit, eamque funditus diruit, & ad solum usque prostravit; & eam plus melius, quam ipsa vetustissima fuit, in locum alium aedificavit. Nam non procul ab ipsa civitate mons ingens erat, in quo ascendens, eum vehementer lustravit; cumque oculis ipsius placuisset, ibidem construere civitatem dixit, quam mox inchoaverunt. Atque ipse Princeps ibidem, & per Apuliae fines est demoratus, donec ipsa civitas ad culmen usque (a) perducitur. Deinde Calabriae fines perambulavit, cui dona, simulque & magna exenia sunt oblata (XXII).

CAP. XXV.

His itaque gestis, callem nimirum, quem reliquerat, (b) repedavit; cumque venisset Salernum, dum portam ipsius cum suis ingrederetur; ipse Princeps alta trahens suspiria tamdem in vocem prorupit: *Civitatem hanc praeclaram quomodo (c) inquirimus? Per quantum conjicere valeo, illa, quae coepta est, usque ad callem ipsius scopulis plena est, nec oneratum vehiculum, nec plaustrum illuc ducere valemus; & quod exinde peragam, nescio, utrum*

(XXII) Videsis nunc extensionem Ducatus Beneventani, qui Campaniae, Lucaniae, Apuliae, Calabriaeque Regiones includebat. Atque quod ad Calabriae fines attinet, urbes designantur Graecis conterminae Tarentum versus, quae urbs Provinciae quidem caput erat. De hoc plenius in dissertationibus agendum erit.

(a) *Perduceretur*. Fr.
(b) *Iterum*.
(c) *Linquimus? qui per.*

utrum illam perficiam, an istam, in qua nunc degimus, diruam. Cui unus ex Langobardis ad haec ita respondit: *Quod das donum mihi, Domine mi, si sic faciam, ut ista civitas semper illaesa permaneat, & quod Regi spopondisti, adimpleas?* Ad haec Princeps: *Pete quod vis*. At ille: *Nihil aliud peto, nisi ut protinus des mihi* (40) *varium indumentum, quo olim* (a) *vester genitor in Paschali festivitate utebatur*. Item (b) Princeps: *Difficilem postulasti rem: attamen si perficis, quod promisisti, ego te induam ipsum*. Tunc nimirum ipse, ut erat consilio sagax, tale prorsus dedit responsum, & ait: *Ipsum murum ab Oriente, qui est situs juxta Faustini rivum, protinus diruamus; quia nempe machina, quam nos* (c) *Patriam nuncupamus, ibidem valde videtur esse contraria, eo quod ipsa terra ultra Faustini rivum eminet muro. Ex hac parte paululum murum ipsum construamus, & omnimodo jam ab hostibus ex hac parte metus nihil habemus. Ipsum alium murum, qui est ex Occidentis parte, ultra ipsum priorem statim murum aedificemus, & est tutamentum contra marinos hostes: & tunc denique quod dudum Regi promisisti, omnimodo videtur esse completum*. Tunc omnes, qui aderant, mirati sunt valde, quod tam salubre consilium citius potuisset reperiri; & protinus idem Princeps indumentum deferri jussit. Cumque illud detulissent ante suum obtutum quidam ejus famuli, illico ipse Princeps eum tulit, atque, sicut promiserat, eum induit; nam quod ex ejus ore procedebat semel, nullatenus retrorsum rediebat, praemia non captans, sermone immobili exstans.

CAP.

(40) Pellis albae ac pretiosae genus: *Vajo* dicitur Italis. Pluribus ex hisce coagmentatis vestes aut fiebant, aut subsuebantur.

(a) al. *tuus*.
(b) al. *idem*.
(c) *Petrariam*.

CAP. XXVI.

CUmque fuissent patrata talia, ipsa, quae (*a*) inchoavit, operari desierunt; & de hac praeclarissima civitate, quod vir ille magnificus dixerat, omnimodo adimplere studuerunt; & Deo tuente illaesa usque nunc hactenus manet. Ipse, ut diximus, Grimoald ad instar sui genitoris undique murare istam civitatem coepit, atque a parte Australi antemurale fecit. Fuit vir mirae fortitudinis, consilio cautus, cor denique capax. Et quid multa referam? erat promtus ad omne bonum. Sufficiant de Grimoald pauca, quae diximus; nam quidam illorum cognitus & per omnia probabilis Amicus, plenissime acta, quae in hoc Mundo gesserat, versibus illustravit, quos nos huic Historiae scribere curavimus.

Magnus erat Princeps Arichis, *lux*, *nostraque salus*,
Restituenda Deo hîc sua membra dedit.
Nec non hic Romoald, *ipsius maxima proles*,
Sub patre jam Princeps, *hîc requiescit humo*.
Vir quoque magnificus Grimoald, (*b*) *formosior illis*
(*c*) *Urbs*, *situs est Princeps inter utroque loco*.
Sensus, *& eloquiis formam describere laudis*
(*d*) *Hujus non posset plenius ulla manus*.
Gloria (*e*) *magnificis de Largo maxime Bardis*
Praecelsa ex (*f*) *horum stirpe superstes erat*.
Regalis genere (*g*) *existens ab utroque parente*
Cras (*h*) *cedit*, *gesta* (*i*) *sub dota genus*.
In terris pollens nimium pulcherrimus annis
Spes jam Samnitis certa salutis erat.
Mirandus specie, *sed plus mirabilis actis*,
A puero micuit, *promtus ad omne bonum*.

O do-

(a) *Inchoaverunt*.
(b) al. *Famosior*.
(c) *Adscitus est: & Ubscitus*.
(d) *Cujus*.
(e) *Magnificus*.
(f) *Quorum*.
(g) *Satus*.
(h) *Trascendit*.
(i) *Gestum subdita in urbe genus*.

O dolor immensus, proh (a) ultima damna ruinae!
Quam gens Bardorum fraude sub alta tulit.
A patre pro patria directus Regius obses
Placavit patriam funus ad usque patris.
Cum (41) Danais bellum felici sorte peregit,
Finibus & (b) pellit belliger ipse suis.
Extera Regna sibi (c) terenda (42) pace subegit:
Dilectus cunctis terribilisque fuit.
Pertulit adversas Francorum (43) saepe phalangas;
Salvavit patriam sed, Benevente, tuam.
Sed quid plura feram? Gallorum fortia Regna
Non valuere hujus subdere colla sibi.
O quam longinquo fuerat dignissimus aevo;
De quo tantus erit tempus in omne dolor!
Post casum infaustum, qui Regna Latina ruentis
Iste suae gentis spes, requiesque fuit.
Terrenas gazas numquam servavit amando,
Sed mox captivis, indigenisque dedit.
Itala, Romana, Illyrica, Hebraea, Afra, Pelasga
Morte tua, Princeps, gens sine fine dolet.
Mors tibi non nocuit; sed nos linquendo peremit,
Dulcis alumne, suo quod tenet atra die.

Vixi-

(41) Contigit hoc eodem anno, quo is e Gallis Beneventum regressus est. Poëta Saxonicus apud Du-Chesnium ad annum 788. testis est, Graecos in Calabria forti cum classe contra Beneventanos processisse: quare

„ *Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri*
„ *Cura fuit loca praecipue Grimoaldus, in ipso*
„ *Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso, &c.*
„ *Cedit Achiva cohors, Dannum dant terga phalanges, &c.*

(42) Num *terrenda*? ut sit pace, quae terrebat; quia is in pace armatus. An potius *subegit*, idest coëgit, extera Regna sibi pacem tenere;

(43) Vide Erchempertum num. VI. supra Tom. II. Collectionis hujus.

(a) *Penultima.*
(b) *Expellit.*
(c) *Tremenda.* Bolv.

Vixisti septem (a) . . . .
Sed cunctis seclis laude perennis eris.
Sint satis haec breviter de te prolata legenti,
Plenus laude tua, qua (b) . . . . . mundus adest.

C A P. XXVII.

IGitur *Grimoald* (*), postquam tenuit Principatum Samnitum annos videlicet XIX. & menses VI. vocante eum (XXIII) divina providentia, de hac luce extinctus est, atque reconditus in jam dicta Ecclesia Sedis Salernitanae juxta sepulchrum patris; fratrisque, de quo praediximus.

Carolus (44) cum jam evolutis multis quippe temporibus regnasset, Pipino suo filio Regnum tradidit, praesentisque vitae relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad Beatum Benedictum devotus cum aliquantis suis advenit fidelibus, seque eidem Dei contulit Confessori, atque in spirituali habitu (c) spondens permansurum, & ibidem professus est Monachus, & in quo sanctam finire vitam jure professus est jurando. Igitur dum venisset Monasterium, quod praediximus, quod est situm in Casinum Castrum, cum omni humilitate Abbati, qui tempore

(44) Sed quis iste Carolus? Utique *Carlomannus* Pippini Francorum Regis frater, qui numquam Rex fuit. Noster vero supine nimis heic nobis exhibet Carolum ipsum Magnum Augustum, seculo renunciantem, & Monachum in Casinensi Coenobio agentem; simulque etiam confundit Pippinum ejusdem Caroli M. patrem cum Pippino Caroli M. filio, Italiae Rege, oblitus nempe quae recte supra attulerat ex Anastasio Bibliothecario.

(XXIII) In adsignando annorum spatio, quibus Grimoaldus regnavit, dissident Chronologi. Chronicon Cavense annos XX. designat. S. Sophiae annos XIX. menses VI. ut adserit Anonymus noster. Chronicon Principum Salerni habet annos XVIII. Alifanum, seu Cinglense, annos XX. menses V. At de hoc aptius alibi.

(a) *Bis ultra vicesimus anno.*
(b) *Juge.*
(*) *A. 807.*
(c) *Fore spondens.*

re illo ipsi Ecclesiae praeerat, se subdidit, atque cum omni mansuetudine saepissime Monachis exhibebat obsequium. Quid multa referam? Qui ante purpuratus, contextisque ex auro, gemmisque vestibus indui solitus erat, postquam vili tectus est tegmine, pauper ipse pauperibus ministrabat, & juxta dicta Apostoli, qui ait: *Non tantum coram Deo, sed coram omnibus hominibus, caritatem servantes* (a), sic idem non tantum Domino exhibebat servitium spirituale (b), sed membris ejus, idest iisdem Monachis, sedulum cum omni humilitate sine querela exhibebat obsequium.

CAP. XXVIII.

Mihi de ejusdem Caroli humilitate pauca huic Historiae inserere placuit, ut possit liquidius agnosci, quam humilis iste fuerit, quantaeque innocentiae, & sanctitatis. Dum denique (45) Abbas, qui (c) tempore ipsi Monasterio, ut diximus, praeerat, cujus nomen memoriae non retinemus, eum exprobraret, sicuti Abbatum (d) mos est, ut per exprobrationem, quae Monachis a foris infertur, de intus, quod animo gerant, cognoscere valeant: sic idem Abbas in multis argumentis dura loquendo, irascendo, minando, praesentabat. Sed ille nimirum omnia tolerabat. Quid multa referam? paucas oviculas ei ad pascendum (e) commisit. At ille cum omni, ut diximus, humilitate sui Abbatis obtemperans mandatis omnimodo se se respondit esse facturum. Cumque ad pastum per multos dies portaret, ac reduceret, una die denique in latro-

(45) Ex Anonymo nostro, quae sequuntur, mutuatus plane fuisse videtur Leo Marsicanus Lib. I. Cap. VII. Chronic. Casinens. Vide Tom. IV. Collectionis hujus pag. 269.

(a) *Servarent.*
(b) al. *Speciale.*
(c) *Eo tempore.*
(d) al. *Abbatibus.*
(e) al. *pascendum jure.*

latronem (46) incidit. Sed cum super eum irruit, ille nequaquam est ei superbe allocutus, adjiciens: *Fac quippe quod vis. Tantum ne oviculas tollas: de meis plane indumentis, quod velis, accipe*. At ille nimirum funditus eum spoliavit. Cumque se denudatum cerneret, (47) parvipendens quod tegumentum femoris perdidisset, non valens ferre verecundiam, celeriter super eum irruit, eumque in terra protinus prostravit, tantum (*a*) femoralia ei violenter eripiens; & cetera nolens contendere patienter illa auferre permisit. Quippe quae acciderant, fama pandente ordinem rei ipsius, nempe quidam illico occurrerunt nuntiare Abbati. Ipse Abbas, cum rem inusitatam audisset, statim ad eum vênit, eumque vehementer increpavit, qualiter, ut jam diximus, de (*b*) intus mores ejus cognoscere valeret; sed ille nihil aliud, nisi *Pater peccavi*, respondebat: quo dum Abbas talia cerneret, eum praecipua vestimenta induere fecit.

C A P. XXIX.

ET alia nempe die rursum praecipiens, ut solitâ obedientiâ illico perageret. Sed ille statim claustra relinquens, oviculas ad pastum deduxit. Dum vero ad horam, qua solitus erat, nitebatur quippe reverti, una ex ovibus valde claudicabat pede: quod ille dum cognosceret, quod ad Monasterii claustra solitâ horâ venire nequi-

(46) Leo Marsicanus, sive Ostiensis, habet *quidam latrunculi*. Sed rectius haec procedunt, si Carolomanno Monacho cum uno tantum homine pugna fuit.

(47) Excidisse videtur *reliqua, sed aegre ferens, quod &c.* Infra tamen eodem verbo utitur Anonymus, atque in significatione *magni faciendi*. Ego utrobique restituerem *perpendens*.

(a) al. *quippe tegumentum femoralium per vim ab eodem abstulit, reliqua illi reliquit, addens: hoc non propter vires suas, sed propter Dei omnipotentis, ejusque Confessoris Benedicti amorem talia tibi committo. Dum vero nudus veniret Monasterium, Fratres ei ocius eucurrerunt, atque percontari eum vehementer coeperunt de re, quae acciderat. Ipse quippe quae acciderant pandens ordinem &c.* Frecc.

(b) al. *penitus*.

quiret, eam super humero proprio longius deportavit. Cumque longo itinere eam detulisset, coinquinatus est nempe (*a*) locatione (48) ejus. Ad haec ipse taliter fertur dedisse responsum: *Non propter te haec quippe patior, sed propter Dei jussa, & Abbatis mei. Meis peccatis merentibus talia perago; nam propter te, non dico proprio humero portare, sed etiam despectui habere (b) vellem de tuo contingere*. Quid multa dicam? usque Coenobii claustra eam plane perduxit. Sed dum Fratres Monasterii talia cernerent, cum ingenti cursu id ipsum nuntiare studuerunt Abbati: quod ille audiens celeri cursu nimirum ad eum vênit, & in verba talia prorupit: *Dic mihi*, inquit, *Carole frater, pro qua re solitâ horâ huc nequisti venire?* At ille: *Una ex oviculis minime valebat gradere: proinde, mi Pater, solitâ horâ huc properare nequivi*. Cumque Abbas crebrissime eum tentaret, & omni parte se superatum cerneret, aliquantis e suis Monachis Fratribus se sociavit, atque simul cum eis (*c*) sermonizabat de exemplo tantae humilitatis, tantaeque tentationis, quod ille, qui dudum fuerat Rex, talia tolerabat; nam decreverunt omnimodo in jam dicta obedientia minime iret: tantum ibidem excoleret hortulum. Ecce quantae humilitatis vir iste fuit, qui, cum fuisset praecelsus Rex, oves ei commissas pascebat. Et quid multa dicam? uni homunculo se ad spoliandum tradidit. Quod non pro re alia huic Historiae inseruimus, nisi ut (*d*) nunc (49) Monachi radicem omnium bonorum humilitatem habeant, atque cum omni nixu & alacritate unusquisque inter se plane obedientiam peragant, & jussa Abbatis, quasi Dei, me-

(48) Amanuensis error. Scribe *lotio*, vel *lotione*. Marsicanus habet *perfundi eum lutio contigit*.

(49) Hinc elucere potest, uti Peregrinius adnotavit, haec a Monacho literis consignata fuisse.

(a) *Lotione* Fr.

(b) Cod. Vat. *haberem de vellere tuo*.

(c) *Sermocinabatur de examine*.

(d) *Hanc*.

metuant, & crebrissime sane Caroli obedientiam ante oculos ducant. Nam si ait: *Radix omnium malorum superbia est*, sic nimirum omnium bonorum radix comprobatur esse humilitas.

C A P. XXX.

DEnuo de ejusdem Caroli humilitate dicere cupio: Ipse jam dictus, ut nuper diximus, dum ab eo, ejusque exercitu mensis unius die Martis capta esset Papia, Romam vênit, & ibidem introivit; & ab Adriano Papa in capite ejus (ut retro redeam) pretiosa imposita est Corona (50). Ipso denique tempore Imperator, qui praeerat, eidem Carolo hujusmodi Epistolam (51) misit.

Imperator Augustus Patricio (a) Carolo salutem.

„ SCias, quia tibi dirigo aureorum centum millia. „ Rursus si ad me veneris, do tibi mille millia, & „ totam ex topaciis Coronam; insuper & sex mille mil- „ liaria de terra Asiae; quin etiam & super omnes Pa- „ tricios meos te collocabo, Legionem Bulgarorum unam, „ & Per-

(50) Uti rursus vides, Carolum Magnum cum Carolomanno ejus patruo noster confundit. Minime vero contemnendum, quod ille addit de *Corona* ab Hadriano I. Carolo Magno imposita anno 774. quum nempe is primum Romam profectus est. Corona haec fuisse videtur *Diadema Patriciatus*; Patriciis enim, ac praecipue Romanorum, *aureus circulus* deferri consuevit. Consule Du-Cangium in Glossario Latino ad vocem *Patriciatus*.

(51) Et quidem commentitiam, immo plane ridendam, uti & subsequens Caroli responsum. Parce, Camille Peregrini, si quas tu nugas prodere religioni tibi duxisti, ego nullo amore, neque odio ductus, facile evulgo. Ad Veritatis regnum, atque ad Historiae antiquae integritatem pertinet nosse etiam, quam male composita forent olim ingenia, & quam latus esset fabulis aditus vel inter eos, qui prae ceteris operam literis dabant.

(a) al. *Patricius*.

„ & Persarum alteram, Armeniarumque tertiam, quae „ ejiciat Normannos de Europa, subjiciant tibi Asiae o- „ mnia Regna. Vale mi prime Consul.

Item Epistola, quae est transmissa ab Imperatore, Augusto Imperatori.

CAROLUS.

„ GRatias referimus multas vobis de tot muneribus, „ quae mihi promisisti; sed honorem nullum mihi „ fecisti, quando Consulem me scripsisti, quia licet ho- „ norem, & terram habes majorem centupliciter, quia „ tantum est Asia, quantum Europa, & Africa, tamen „ caput Mundi Roma est, quam teneo. De meo autem „ adventu sciatis, quoniam ad vos non veniam, nisi quan- „ do resurgent mortui in die Judicii; quia sicut Roma- „ norum Regnum est sicut fuit, meis vero temporibus „ volo, si placet Domino, ut consistat. Valete. Et scias, „ quoniam dirigo tibi centum canes.

Quod nos huic Historiae proinde inseruimus, ut per omnia ejus humilitatem nimirum ostenderemus. Numquid non poterat illum vocitare, sicut ipse Imperator potuit ipsum? Sed humilitatem, ut diximus, quae omnium bonorum radix est, secutus, ad optimum namque fructum pervenit. Igitur cum in praedicto Monasterio aliquo tempore perdurasset, tamdem longaeva aetate, divina vocante potentia, placida morte quievit, atque ibidem digno tumulo est humatus. Iterum ad Historiae retexendum ordinem redeamus.

CAP. XXXI.

IGitur *Paulus*, de quo superius mentionem fecimus, cum (52) funus vidisset *Principis Arichis*, ejusque proles regnaret, praesentis vitae relinquens gloriam, ad Beati Benedicti pergens nimirum Coenobium, ibidem Sanctae Religionis indutus est habitum, atque spopondit usque ad suae vitae exitum omnimodo esse ibi mansurum. Dum vero per aliquot dies percurrentes illic moraretur, tantae innocentiae, tantaeque humilitatis (a) simulque silentium deferebat ultra humanum usum. Sed dum ab Abbate, simulque etiam a fratribus de tali re coërceretur, quod non esset bonum uti immoderato silentio, & secundum dicta Sanctorum Patrum valde nimirum videtur esse contrarium; ipse vero ut erat sagax prorsus, atque strenuissimus; deliquisse se respondebat, & simul ajebat: *Inania verba multa quippe jam olim nimium loquutus sum; justum est, ut nunc ab illicitis nimium (b) me subtraham, dicente quippe Beato Papa Gregorio: qui non commisit illicita, licitis utatur; & qui commisit illicita, ab illicitis subtrahat se. Proinde, mi Pater, a licitis nimirum, quae mihi praecipis, me subtrahere cupio*. Ad haec ipse Abbas: *Sufficiant quae Pater noster Benedictus in sua Regula edidit*. Ipse vero talia audiens, a nexu, quo se districtius ligaverat, solvit, atque se nempe regulans cum aliis fratribus quiescebat.

CAP.

(52) Non post mortem Arichisi Principis Beneventani, sed longe antea, hoc est, vix Langobardorum Regno exciso, Paulum mundanis rebus valedixisse, Clariss. Mabillonius in Annalib. Benedictin. veri similius putat.

(a) *Fuit* Cod. Vat. (b) *Nimirum*.

CAP. XXXII.

SEd dum valde fuisset oratus a Patre ipsius Monasterii, simulque & a Fratribus, (a) in praedicta Regula quidquid obscurius ibidem reperire potuit, mirabili relatione in patulo protulit (b), Codicemque illum (53) *super Regulam* appellari praecepit. Scripsit etenim & nonnulla alia Opuscula sermone luculento. Cumque diu illuc in sancta conversatione moraretur, jam aetate maturus hujus vitae cursum explevit, atque ibi in praedicto Monasterio, quod Aquinensium finibus situm est, ubi ipse Beatus Benedictus decubuit, digno tumulo est humatus, atque super ejus tumulum partim quae in hoc Mundo gesit, partim de ejus prudentia (c), quae in tempore produxisset de sacris literis, exaratum (54) invenimus. Fuit vir per omnia sagax, divinaeque legis disertus, & apprime liberalibus disciplinis imbutus. Patriarchae Aquilegiae Civitatis fuit Diaconus. (d) Ipsum Palatium, quod Prin-

(53) Atqui supra laudatus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 840. contendit, falso hunc Librum Paulo Diacono fuisse tributum, ejusque Auctorem fuisse *Hildemarum* Monachum, qui circiter annum 850. floruit. Codices antiquos *Hildemarum* praeferentes in hanc rem laudat. Verum non parvi hoc in loco facienda est auctoritas Anonymi nostri, nempe ut videtur, Monachi, & quidem vetustissimi, Paulum Diaconum interpretem Regulae Benedictinae testantis. Hunc non satis novit Mabillonius. Hugo etiam Menardus *Ruthardo Monacho* Rhabani auditori expositionem hanc olim tribuebat. Ego nihil statuo. Adeat Lector, si lubet, quae adnotavit Angelus de Nuce ad Lib. I. Cap. XV. Leonis Ostiensis Tom. IV. pag. 285. Rer. Italicar.

(54) Carmen Hilderici innuere videtur, quod habes ante Paulli Historiam de reb. gest. Langob. Tom. I. hujus Collectionis, & in Notis Mari ad Petrum Diaconum, Tom. VI.

(a) *Ut in.*

(b) *Proderet. Ipse vero obedienter se se talia adimplere respondit, atque quid obscurius ibi reperire potuit, mirabili relatione in patulo protulit, Codicemque, &c.*

(c) *Prudentiis, quove tempore perdurasset.* Cod. Vat.

(d) *Intantum quod ipsum.*

Princeps Arichis struxit in memorata Salernitana Urbe, undique ipsum versibus illustravit. Sed quia propter longum tempus fuerunt vetustate attriti, numerare, legereque illos non potuimus. Nam si (a) unam quippe paginam fuissemus nacti, comparare illos profecto potuissemus Maroni in voluminibus, Catonique, sive profecto aliis Sophistis (b).

Interim nunc generalis Historiae revertamur ad tramitem, & omnimodo de Regibus obmittamus retexere. Tantum de Principibus, qui fuerunt in nostris videlicet partibus, partim quae in hoc Mundo gesserunt, partim de eorum audacia, quibusve temporibus durarunt, huic compendioso subnecto sermoni: Hac denique tempestate jam fatus *Rodopertus*, cum jam perevolutis aliquot annis Salernitanam Sedem rexisset, longaeva aetate hujus vitae cursum explevit.

C A P. XXXIII.

DEfuncto itaque (c) *Grimoald*, Ildrici filius *Grimoald* (qui lingua Teodisca, qua olim Langobardi utebantur, *Storesayz* fuit appellatus; & nos in nostro eloquio, *qui ante obtutum Principum & (d) Regum milites hinc inde sedendo praeordinat*, possumus vocitare) in Principali dignitate est elevatus. Cum vero ad Principale, ut diximus, pervenisset fastigium, non sicut Antecessores ejus Principes se gerebat, sed elationes, atque avaritias, simulque & discordias inter Langobardos fortiter inferebat, & per mendaciosa eloquia per omnia cunctis cernentibus se ostendebat: unde saepissime Principibus, sive Regibus, sive Praelatis aliis solent de hac re exinde evenire

(a) *In una quippe pagina fuissent nexi.*
(b) *In consideratione.*
(c) al. *ut diximus.*
(d) al. *seu.*

nire clades. Per idem tempus Francorum (55) exercitus Beneventanis finibus adiit, & quidquid reperire potuit, incendiis, rapinisque demoliti sunt, ut talia Grimoald audiens haesitare (a) quasi coeperit, quatenus nempe castra eorum expiare valeret. Unde unus e Beneventanis in hunc modum Principi est effatus: *Si Domini nostri prorsus comparet voluntas, ego illuc pergo, & omnia castra illorum lustro*. Erat denique audax ille, nobilissimusque vir: cui Princeps illico: *Stabulum nostrum pete, & qualem volueris equum exinde tolle*. At ille (b) ad Comitem Stabuli properavit; sed antequam patefierent fores illius, baculo, quem in manu gestabat, liminare nempe percussit. Equi vero sunt perterriti; sed tantum qui prius caput levavit, comprehendi jussit; atque ipse, equo ascenso, per devia silvasque tamdem phalanges Francorum properavit, qui dum explorasset omnia castra eorum, sine mora ad Dominum suum est reversus. Cumque in patulo omnibus assistentibus, Principi omnia, quae vidisset, panderet: ipse Princeps talia verba depromit: *Validusne est, super quem equitasti, equus?* Ipse ei nempe protinus manus ostendit; habebat denique eas obduratas propter equi virtutem, At Princeps: *Sit tibi concessus*. At ille eum protinus adoravit. Cumque talia assistentes cernerent, unus ex his, qui cum ipso, qui Francorum phalanges exploraverat, jam nuper consiliaverat, quatenus ipsum Principem vita privaret, (c) putans, quod ipsum consilium Principi panderetur (d), vocem emisit ma-

(55) Nullum verbum de expeditione hujusmodi in Beneventanos habet Erchempertus. Id autem accidisse videtur anno 812. quo secundum Annales Francorum Carolus M. *cum Duce Beneventanorum Grimoaldo* (nempe Storesaiz; qui anno 806. Principatum inivit) *pax facta est, & tributi nomine XXV. millia solidorum a Beneventanis soluta*.

(a) al. *excitari*.
(b) *Concite ad stabulum properavit*.
(c) al. *putantes*.
(d) al. *panderet, voce emisit magna*.

magnam: *Melius vestrae dignitati* (*a*) *intimabo*, *quam iste*. Ad haec Princeps: *dic*; at ille nimium (*b*) parvipendens (56) de re, quam promiserat, & dixit: *Putavi*, *mi Princeps*, *de alia re quod ipse fuisset locutus*: *proinde talia quippe depromsi verba*. Cui Princeps taliter cum ira exorsus est verba: *Si illico coram nostris servientibus*, *quae nuper gessisti*, *in patulo non prodideris*, *sine mora te perire faciam*. At ille cuncta, quae clam dudum gesserat, pandens, ordinem rei exposuit, quomodo cum illo, de quo supra diximus, consiliaverat, ut ipsum Principem privaret vita. Et statim ipse Princeps famulis suis praecipit (*c*), quatenus sine mora ipsum, qui haec dixerat, ut fertur, de hac luce extinguerent: qui mox nimirum quod eis praeceptum est, quamvis cum severitate, adimplere studuerunt. Quo facto idem Princeps, (*d*) adscito viro illo, qui phalanges exploraverat Francorum, ei dixit, ut unum ex duobus eligeret, aut amissionem ambo rum oculorum, aut esset privatus manibus. (*e*) Ille districtius suas manus ligari praecepit; sed dum una die, simulque una nocte talia sustinuisset, & nec manus ad os ducere, nec suum corpus undique muniri posse conspiceret, atque eas ad corporis munditiam minime exhibere valeret, se nimirum jussit absolvi; deinde ex omni denique parte oculos (*f*) tegere dixit. Dum vero ligatos (*g*) una die, unaque nocte haberet, & manus ad os ducere, totumque munire corpus valeret, amissionem duorum oculorum elegit. Et inter haec verba, quae diximus, affatim efflagitabant Pontifices ad ipsum, & Optimates, forsitan ipsum Principem veniam ei tribueret. Et dum

(56) Immo *perpendens*. Ita & supra. Librariorum indoctorum munuscula haec putato.

(a) al. *extimabo*, *quam mihi*.
(b) *Perpendit*.
(c) *Praecipiens*.
(d) al. *ascito virum illum*.
(e) al. *quod ille ut domum rediit a tergo manibus districtius ligari praecepit*.
(f) *Sibi detegere*.
(g) al. *oculos*.

dum nullo modo veniam impetrare valerent, tertia denique die statim famulos suos idem Princeps misit, eumque luce privavit (a).

CAP. XXXIV.

Dum tam crudelis, tamque tyrannus esset, nec non & pejora Beneventani cernerent, de morte ejus cogitare coeperunt, sed omnimodo nequibant profecto insurgere propter rixam, quam ipse Princeps inter eos inferebat. Cum haec ageret ipse supradictus Princeps, per universas dictas Civitates, nec non & Provincias suos Missos misit, quatenus sine mora omnis sui exercitus copiam in unum adunarent. Quo facto eminentiores illorum ad se fecit adscire; sed dum essent congregati in unum, ipse denique Princeps taliter prorupit in vocem: *Eja consanguinei, nec non & ex meis stigmatibus, simulque mei Proceres, cunctique mei fideles, pariter ineamus consilium, quo ex nostris finibus superba gens protinus evellatur. Cupiunt denique a nostra parte censum obtinere, quod nuper soliti erant accipere. Quid exinde vobis comparet mox vostrae eminentiae intimate.* Cui pro cunctis quidam Mayo Castaldius taliter verba depromsit. *Aurum, argentumque, mi Princeps, satis apud nos abunde redundat. Si vestrae ditioni comparet, exiguam partem (b) inde demus, & nostram terram illaesam obtineamus.* Et continuo ab uno ex hiis (c), cui nomen Ramfo fuit, qui praeerat ipso tempore (d) Campsiriis, (57) est ei responsum: *Talia minime, Domine mi, peragamus: melius multo est pugnando mori, quam hic infelicius vivere. Numquid non plane, mi Princeps, legisti, & quomodo*

(57) Num potius *Compsinis*? hoc est *Consinis*, quibus ille tunc praefuerit Comitis aut Castaldii titulo. Si ita foret, Radelchis post illum *Comes Consinus* fuisset. (Prat.) *ut infra cap. XXXVII.*

(a) *Privarunt.*
(b) *Exinde.*
(c) *Astantibus.*
(d) *Compsiniis.*

modo proprias aedes patres nostri reliquerunt propter vectigalia, quae (a) Guandali ab eis exposcebant?

C A P. XXXV.

HIs auditis, Princeps confusionem ferre non volens, contra eosdem Francos decrevit facere munitionem, & cum magno exercitu obviavit eis: Quod cum cognovisset Francorum exercitus, omnes ad bellum sunt praeparati. (b) Et priusquam Grimoald bellum cum eis iniret, a quatuor videlicet partibus tubas intonare praecepit; moxque audaciter super eos irruit, & Deo praevio, ultima caede eos prostravit, ceteros in fugam compulit ire. Cumque utraeque acies procul prorsus sequestrarentur, unus e Francis audacior ceteris nominatum supra Castaldium acclamavit Rampho, ut pariter cum eo singulare certamen iniret. Ille ut erat magnanimus, audaciter exiit obviam ei; sed dum se adjungerent in unum, illico super eum ipse Gallus irruit, atque cum omni nisu nitebatur illum vita privare. Sed Rampho ejus ictibus fortiter resistebat, atque super eum venit, & citius de hac luce eum privavit. Quo comperto Galli, videlicet obiisse validissimum illum sodalem, confusionem ferre non valentes, clam tela Ramphonis lateri (c) mittere jusserunt. Cum talia quidam Sclabus jussa perficere, ipse Rampho ibidem die clausit extremum. Ut mortem illius comperit Grimoald, (d) mansit cum magna moestitia, & qui ante durior erat, postmodum quippe immensas lachrymas effundebat, & cum magno ululatu, totiusque exercitus, perturbatus Grimoald Ramphonis corpus elevans, cum Beneventum perduxit, atque digno in loco eum tumulari praecepit.

CAP.

(a) *Wandali*
(b) al. *Qui*.
(c) *Injicere*.
(d) *Invasit eum*.

CAP. XXXVI.

MAyo, de quo jam supra diximus, dum inchoatum vidisset bellum, ut nonnulli ferunt, *(a)* innuit fugam, atque post victoriam absconsum in quodam molino *(b)* reperiunt; quem Grimoald comprehendi jussit, *(c)* atque eum venire fecit in medium, quem aspiciens dura eidem Mayoni verba depromsit: *Dic mihi*, inquiens, *Mayo pro qua re nos, bello inchoante, protinus liquisti, & te incolumem reddidisti? Nonne ipsa erant verba, quae dudum dicebas, ajens, cum Gallis praelium minime committeremus?* Et haec dicens turpiter eum comprehendi fecit, atque in aselli dorsum ponere jussit, & per plateas a famulis suis fecit ejus caedere dorsum. Effugatis Francis, Beneventani magno tripudio revertentes, cuncti laeti .... *(d)* manebant: alii in domibus, alii in praediis gradiebant nimirum, & exultabant, & non erant, qui exterrerent eos.

CAP. XXXVII.

HAc tempestate erat quidam vir insignis in Civitate Spoletina nomine *Sico*. Cum fuisset nimium apud *Pipinum* (58) *Regem* de quadam re infamatus, Civitatem propriam linquens, cum uxore, & filiis, & cuncta sua supellectili, cum servis, ancillisque, ut maria transmearet, atque ut Constantinopolim pergeret, est profectus. Cumque Beneventum cum suis properaret, audiens hoc *Princeps Grimoald*, *(e)* non paucos ex suis fidelibus in ejus misit occursum; sed dum simul graderentur, a foris portam, quae Aurea dicitur, applicuerunt. Cum *(f)*

N ipse

(58) Scilicet Caroli M. filium, atque Italiae Regem.

(a) *Iniit.*
(b) *Repererunt.*
(c) *Et per plateas a famulis suis ei caedere dorsum &c.* ut infra.
(d) *Ubique Aegypt.*
(e) *Paucos* def. *non.*
(f) *Cumque.*

ipse Princeps diversos cibos, vina quoque praecipua, variaque potionum genera transmisisset eidem, post meridiem per semet ipsum illuc gradiens, eum, quo tenderet, requisivit. Cui ipse Sico: *Pro nulla re alia extera Regna peto, nisi propter quod insidiam Domini nostri Regis vitare studeo, qui me valde habet exosum; & vereorne una die incidam in manus ejus. Proinde, mi Princeps, propria desero, & aliena quaero.* Idem Princeps: *Aliquem parem ex meis Proceribus tecum venire jubebo, fiantque conscii vestri itineris, donec Hydruntum properetis, atque in diversis Civitatibus & Castellis solamen vobis exhibeant.* Hiis itaque gestis, ipse Princeps urbem ingressus est, atque cunctos suos Optimates jussit congregari in unum, & dum simul sunt congregati, sermonem ipse Princeps talem depromit: *Quomodo tam nobilissimum, atque praeclarissimum Virum in extera Regna sinimus ire?* Ad quae pro cunctis *Radelchis* Comes Consinus in hunc modum Principi est effatus: *Si velis hic in nostra urbe illum, Domine, detinere, solamen a vestra Dignitate, & a tuis fidelibus poterit quippe sufficienter habere. Sed prorsus exinde valde veremur, ne a parte Regis nostrae Patriae exinde eveniat clades.* Ad hoc Princeps: *Si Dei, & ejus Genitricis suffragium obtinemus, citius ad dimicandum cum eis valido exercitu; Deo praevio, audaciter pergemus; meliusque multo est pugnando mori, quam alienae genti colla subdere.*

C A P. XXXVIII.

Cumque placuissent omnibus, qui assistebant, talia, decreverunt, ut ipsi (a) Siconi cum omnibus suis Optimatibus, quae de ipso decreverunt, per ordinem omnia depromeret. Cui ille: *Melius est, mi Domine, nostris filiis, & uxori apud vestram gratiam manere cum exiguo pane*

(a) Al. *ipse praesenti &c.*

pane & aqua, *quam in extera gente praecipua vina*, *pluresque dapes*, *opesque plurimas obtinere*. Ad haec Grimoald: *Caro nostra es*: *mane apud nos*: *quia de quibus dixisti rebus*, *satis a parte nostra poteris ipse habere*. Quapropter domos, praediaque ejus ditioni tradidit; atque post hoc non paucis percurrentibus diebus Acheruntiam ei ad obtinendum tradidit, quae est nimirum spatiosa terra, & ad venatum omnimodo apta pro eo, quod ipsum Siconem, suamque prolem talia diligere cognovit. Hiis ita gestis, non parvam moestitiam Beneventanis, simulque & saevitiam exinde invexit; & inter se plane mussitantes, non ipsam civitatem (XXIV) *(a)* proscripti, sed Beneventani geniti obtinere quippe debuerant: & murmur magnum exinde inter eos erat. Sed *Grimoald* omnia tolerabat, & proinde talia quippe operabatur propter illorum discordiam. Cum venisset Sico cum suis Aggerentiam, a cunctis terrae illius hominibus dilectus est valde, pro eo quia quidquid habere poterat, eorum ditioni tradebat; nempe omnia inter se dispertiebatur; Habebat ipse, ut praediximus, Sico filios duos floridam aetatem gestantes; Major denique *Sicardus* vocabatur; junior vero *Siconolfus* appellabatur. Sicardus vero erat statura pusillus; Siconolfus plane erat statura procerus; amboque validissimi in omnibus prorsus rebus se ostendebant, & crebrissime venatum pergebant. Sicuti ipsorum mos erat, dum ex more una denique die processissent venatum, ingentem repererunt cervum, quem cum omni nixu sequi ipsum non desinebant. Sed dum longius cervus ipse petere videretur, Sicardus suum germanum est allocutus: *Mi frater*, *cervum illum sequi nempe sinamus*;

N 2

(XXIV) Lectio Frecciana *proselyti* magis arridet, quo videlicet justa explicatur Beneventanorum querela, ob Acherentim extero Langobardo concessam, quam potius sui ducatus Proceribus merito tribuendam putabant. Unde major in eorum animis ira, atque odium exarsit.

(a) al. *Proselyti*. Frecc.

mus; ſed utcumque fuerit, famuli noſtri illum ſequantur. Ipſe Siconolphus dum ſui germani voluntati obtemperare vellet, ſuis famulis ſequendum dimiſit, & cum Sicardo Aggerentiam eſt regreſſus. Dum percontaretur a genitore, utrum reperiſſent aliquam venationem, an non illi quicquid geſſerunt per ordinem ei nuntiaverunt. Sed dum illorum famuli cervum ſequi non deſiiſſent, in ſilva quippe condenſa, non procul a Conſia civitate, cum ipſo pervenerunt. Cum vero (*a*) cervus fuiſſet cognitus, cum ingenti curſu illuc pervenerunt alii famuli: & terga vertentibus aliis, qui adventum Conſanorum praeſtolaverunt, (*b*) caeſi fuerunt, & cervum tulerunt; & illorum nimirum canes; & quibuſdam ex hiis vehementer dorſum caederunt (*c*), annectentes: *Non ſufficit vobis Aggerentia? Conſiam vobis jungere quaeritis?* (*d*) Illi deferentes cervum, cum canibus ſe praeſentaverunt *Comiti Radelchiſio*. Dum vero Radelchiſio omnia geſta nuntiata fuiſſent, magno gaudio eſt repletus, pro eo quod ipſe Siconem, ut ſupra diximus, exoſum habebat. Denique dum confuſi, atque cum magna verecundia Siconis famuli rediſſent, ipſe Sico ut erat ſapiens, minime exinde ſe perturbavit. Filii denique ejus cum magna iracundia permanſerunt, ſed ipſe Sico illorum duritiem molliebat; & pacifice idoneos ſuos Miſſos Radelchiſi Comiti miſit, adjiciens: *Dicite*, inquit, *Comiti Radelchiſi: ejus cervus ei fuit tranſmiſſus a Domino: canes meos dirigat mihi. Sed non recte homines illius geſſerunt, eo quod famulis noſtris dorſum caederunt*. Cum denique Radelchiſi talia perlata fuiſſent, taliter verba depromit: *Siconi*, inquit, *dicite: advena in noſtram ingreſſus eſt patriam: numquid ut judicet? Plus eum affligam: inſuper & canes minime reddi ſibi faciam*.

CAP.

(a) al. *Conſanis fuiſſet cognitus cervus*.

(b) al. *Vi cervum tulerunt, & eorum*.

(c) al. *Cedere ceperunt*.

(d) al. *Deferentes cervum cum canib. ſuis eos*.

CAP. XXXIX.

HIs auditis Sico, ejusque proles confusionem ferre non valentes, vehementer ira commoti sunt, manifestasque injurias vindicare nituntur; statimque audaces Consam viros misêre, ut exinde praedam acciperent. Cum talia fuissent peracta, atque nimirum Radelchi nuntiata: illico ascenso equo, occasione accepta, cum non paucis suis adiit Beneventum, & cum magna saevitia Principi est locutus, asserens: *Unum superbum advenam hic tenuisti, nec non Aggerentiam ei tribuisti: si placet, Consam quoque ei concede, quam valde jam depraedatus est.* Ipse Princeps ut cognovisset (a) Radelchis saevitiam, taliter est eum allocutus: *Radelchis exinde minime perturberis, quia vestram voluntatem adimplere volemus.* (b) Et statim unum ex suis misit, quatenus illic sine aliqua dilatione Sico ante ejus obtutum deveniret. Et dum Siconi in hunc modum perlatum fuisset, nimis quippe exterruit, adjiciens: *Quomodo illuc pergo, qui sum in hac terra accola? Si Beneventum adeam, Radelchisi plane consanguinei vivere me non sinent.* Et cum suis consilium iniit, quatenus navim emeret, ut possit Constantinopolim properare. Hoc consilium sine Aggerentinis peractum est. Sed dum in patulo nempe exiit, Aggerentini in hunc modum responsum Siconi promserunt. *Constantipolim quare Sico tendere cupis? Numquid scis callem ejus, aut per baratri fluctus adhuc perambulasti? Arcta est denique via; & illuc minime pergito.* Hoc quippe dicentes, mox ad tellurem prostrati, cumque vehementer obsecrabant, quatenus eos minime esset relicturus, adnectentes: *Durum est plane, quia si nos tu deseris, omnimodo ad nihilum perveniemus. Tamen, si vestrae dignitati comparet nos minime linquere, nos pariter tecum moriemur: extemploque*

nos

(a) *Agnovit*. Frecc.

(b) *Et statim unum ex suis strenuissimis famulis Aggerentiam misit.* Id.

nos exinde ineamus foedus, *quatenus terram nostram illaesam obtineas*. Protinus plane talia ipsi jurando firmaverunt. Quo facto ipse Sico in hunc modum Principi effandum direxit. *Illuc venire minime valeo prae nimio corporis mei toedio* (a). Sed dum Principi nuntiatum fuisset, confusionem ferre non valens, contra eum decrevit facere (b) monitionem (59); & congregato valido exercitu, cum cunctis suis (c) (XXV) Paribus Aggerentiam venit, & non procul ab ipsa civitate castra posuit. Cui Radelchis: *Namquid non Principi Domino nostro dixi, quia ipse Sico est tyrannus, & elatione tumidus, superbiaque apud eum redundat?* Ipse vero, ut erat callidus, dissimulabat se audire. Conjungens vero Beneventanorum *Princeps Grimoald*, (XXVI) sequipes etiam ejus antefatus Radelchis, usque ad portam civitatis Aggerentiae, utrique venerunt; qui obsidentes, per aliquantos dies viriliter cum Beneventanorum exercitu conflixerunt. At Sico contra intus fortiter resistebat. Sed ipse Princeps simu-

(59) Scribe *motionem*, hoc est, expeditionem bellicam. (Prat.) *Melius explicat Cod. Frecc.* munitionem, *idest, armorum expeditionem, ut alibi notavi*.

(XXV) *Pares* quidem, ac *Proceres* idem sonant. Hactenus etiam Proceres in Gallia, *Pares* appellantur.

(XXVI) Causas, quae Pipinum, & Ludovicum ad indicendum Beneventano Principi bellum impulerunt, tacet Anon. at eas ex Erchemperto jam novimus: quibus addi potest Conjugium Grimoaldi cum Uvantia Imperatoris Graecorum nepte (quam deinde, ut Francis satisfaceret, repudiavit) quod conjugium ansam Grimoaldo fortasse praebuerat se a Rege Italiae alienandi. Is enim Graecis foederatus in dies adversus Regem illum multa machinatus fuerat; junctisque cum Pontifice copiis, Pipini fortasse nimias opes evertere cogitarat. Verum repudiata uxore, & a Graecis abalienato Grimoaldo, in causa fuit, ut Beneventi Princeps cum Gallis pacisceretur; quod unum ex scriptoribus eruitur; nisi famem illam fuisse velimus, quae tunc temporis per totam hanc regionem Beneventanam grassabatur, eamque dire vexabat, ut in Chronographis Langobardis legitur.

(a) *Fastidio.*
(b) *Munitionem.* Fr.
(c) al. *Proceribus*.

simulans se molestia corporis detentum (a), ut exercitus a praedatione cessaret, procul ab ipsa civitate tentoria figere jussit.

CAP. XL.

UNa denique die Radelchis cum magna quippe audacia Consanos, quos ipse nutrierat, tollens, addidit sibi aliquam partem exercitus, & cum ingenti virtute usque ad portam ipsius civitatis pervênit. Sed dum Siconi fuisset cognitum, nominative (b) duos filios suos acclamavit, quatenus cum audacibus viris super eos irruerent, & ultima caede eos vastarent; ac deinde si victores redirent, veraces eos filios appellare valeret; sin autem, ex alio patre genitos eos omni modo asserebat. Ipse vero Sicardus una cum suo germano Siconolfo, ceterisque Aggerentinis expeditis juvenibus, hostium castra irrumpentes, magnas eisdem inferebant undique clades, & non longius ab ipsa civitate eos persequi non sinebant. Ipse autem Radelchis cum ceteris coëtaneis suis vix evasit (c).

Sed dum Principi relatum fuisset, a foris minas, & indignationes praefato Siconi, & cunctis Aggerentinis inferebat; de intus magnum gaudium exinde habebat, atque suis Optimatibus talia verba referebat: *Unum exterum hominem propter vos habere non valeo*. Cumque a quibusdam talia Radelchi nuntiata fuissent, illico ad eum vênit, & in verbis talia promit: *Audivi, mi piissime Princeps, quod dignitas tua aliquam murmurationem (d) erga suam fidem (e) habeat, & exinde non parva moestitia mihi nempe evenit*. Cui Princeps: *Vere valde male mihi videtur persequi exulem, quem olim in fide mea suscepi*. Ad haec Radelchis: *Crastina die, mi Princeps, ante*

(a) al. *Detineri*.
(b) al. *Nominatos*.
(c) *A clade*.
(d) al. *Monitionem*.
(e) al. *Fidelem suum*.

ante vestrum obtutum, si vestrae dignitati comparet, eum sistere faciam. Et statim cum duobus viris Aggerentiam adiit, atque ipsius fores pulsari praecepit. Cumque viri ipsi, qui observabant fores, (*a*) quidnam esset inquirerent, responsum est, quod *Radelchis Comes* hic esset. Mox notum (*b*) fuit Siconi; qui ut talia audivit, miratus est valde, atque portularium percontavit: cum paucis, an cum multitudine esset ille. Non esse nisi cum duobus viris respondit. Cui Sico: (*c*) *Ei protinus plane aperi*. Et statim ingressus est Aggerentiam. Sed dum pervenerunt in unum, invicem se adoraverunt, atque ad Ecclesiam pariter pervenerunt. Cumque accincti Ecclesiam introissent, statim ipse Radelchis omnes de Ecclesia ipsa ejecit; tantum ipse cum dicto Sicone ibidem sunt demorati. Cui Radelchis: *Inter nos ineamus foedus; & sponde mibi, ut nullum consilium* (*d*) *me absente peragas; & de meo nimirum honore si non augeas, ne minuas. Et ego cum omni nixu omnimodo decertabo, si propitium Christum habeam, ut obtineatis principalem honorem*. Sed dum in illis verbis Sico aures innecteret, metuens ne de eo illusionem faceret, in excessu mentis opprimit eum stupor, & nequibat ei responsum reddere. Cui Radelchis: *Nil metuas*, inquit, *quia per jusjurandum statim tibi promitto talia omnimodo adimplere*. Sed dum in se est ipse Sico reversus, talibus eum allocutus est verbis: *Vereor in tali me quippe obice claudere, quia sum prorsus exul, & ex meis stigmatibus* (*e*) *nullum habeo: valde metuo, ne domui meae exinde consumtio perveniat* (*f*). Ad haec Radelchis: *Ne timeas*, inquit: *tantum, ut diximus, per jusjurandum sponde*. At ille respondit, se omnia adimpleturum.

CAP.

(a) al. *Quisnam*.
(b) al. *Fecit Siconi, Sicoque ut talia vidit*.
(c) al. *Protinus ei aperiri jussit*.
(d) al. *Concilium*.
(e) *Erga me*.
(f) *Eveniat*.

CAP. XLI.

Sed cum fuissent talia patrata, ex Urbe statim (*a*) egressi sunt, atque ubi ipse Princeps cum suo exercitu erat, (*b*) pervenerunt. Statim ipse Sico pedibus provolutus veniam poposcebat. Ipse Princeps per semetipsum eum de terra elevavit, eumque osculatus, noxam ei condonavit, atque ut comes ejus itineri esset, ei protinus intimavit; & cum magno gaudio catervatim Beneventum pervenerunt. Cumque per aliquot dies, absentibus filiis, & uxore, Sico apud Beneventum maneret, uxor ipsius, prolesque valde erant exinde moesti. Sed ipse Sico commeatu accepto honorifice eos Beneventum vocari fecit, atque Siconi idem Princeps, praecipiens, ut minime ipse Aggerentiam pergeret, sed quaecumque fiscalia ibidem fuissent reperta, proles illius, &. ipse inde acciperent, ac Apostolo (*c*) terrae illius suaviter judicarent. Cui Sico: *Quidquid Dominus meus servo suo dixerit, sciat omnimodo eum ei esse impleturum*. Interea ipse, de quo diximus., Radelchis quoscumque exosos ipse Princeps habebat, suo lateri adhaerebat; quotquot ipse Princeps respuebat, ipse recipiebat; cui ille minas, dulcia verba ipse referebat. Cum talia ipse Princeps cognovisset, accersito eo, clam ei dixit: *Ut video, ergo me controversiam nempe peragis: quos ego sperno, tu recipis*. Cui ille: (*d*) *Talia perago ego, Domine, non propter me, sed propter vestram dignitatem, ut omnes in vestra fide permaneant*. Quae cum audisset Princeps, exinde recepit satisfactionem: ipse vero hac illacque (*e*) nimirum facere non desinebat.

O CAP.

(a) *Utrique*.
(b) *Pariter*.
(c) *A populo* Frea.
(d) *Vere talia*;
(e) *Talia*.

CAP. XLII.

PEr idem tempus apud Beneventum erat illuſtris vir nomine *Rofrit*, (60) cum germano ſuo nomine *Potelfrit*, filii cujuſdam nobiliſſimi Viri *Dauferii*; (61) ſed ipſe Rofrit erat callidus, & omni verſutia plenus; Potelfrit denique, licet fuiſſet magnus, tamen erat erga Dei cultores benevolus, ac benignus. Rofrit vero quanto magnus erat, tanto nimirum (*a*) humiles opprimebat. Et cum cognoviſſet, quod Radelchis de tali re decertaret, & putaret, ut ipſe Principatus honorem obtinere valeret, propter invidiam alta trahens ſuſpiria, tandem intra ſe cogitavit, qualiter ei omnimodo valeret eſſe contrarius. Una denique die dum ſaepedictus Sico pergeret ad balneum, ipſe Rofrit nempe talia cernens, famulis ſuis prorſus praecepit, ut citius cum eo ad balneum properarent, ut quoniam nequibat in patulo cum ipſo ſermocinari, ſaltem nempe loqui cum ipſo in balneo valeret. Sed, ut diximus, dum balneum introiiſſet, Siconem ibidem invenit, atque juxta eum reſedit. Dum denique Sico caput ſapone inungeret, clam Rofrit dorſum ejus (*b*) coepit abluere, dum Sico ſciſcitabat (*c*), ac diceret: *Quis eſt ille, qui meum dorſum aqua perfundit?* ipſe ſtatim dorſum linquens, aquam capiti ejus fundere coepit, adnectens: *Sile Sico, nunc ſile, quia Rofrit ego ſum*. Cum vero Sico vocem ejus cognoviſſet, illico exiliens cum magno pavore dixit: *Quid eſt, quod de me illuſionem, ſimulque & (d) injuriam facis? Quis talia cognoſceret, & non*

(60) Ad quem fortaſſe pertinet Carmen funebre, quod in calce hujus Hiſtoriae habes.

(61) Vide Erchempertum Tom. II. pag. 239. Collectionis hujus, quo etiam teſte diſcimus, Dauferium conſpiraſſe in Grimoaldum Principem, ac deinde venia data in gratiam receptum.

(a) al. *Nimium*.
(b) *Statim*.
(c) al. *Sciſcitaret*.
(d) al. *yroniam*.

non irrideret mihi? Cui Rofrit: *In proximo; si propitium Christum sentiam, (a) tuo capiti septatam (62) habebis Coronam.* Ad haec Sico: *Exul ego sum: mihi autem talia minime dicite.* Ipse idem Rofrit: *Tantum mihi per jusjurandum sponde, ut de meo honore, si non augeas, nec minuas, quia Deo propitio omnimodo talia studenter adimplebimus.* Ad haec Sico: *Terra vestra est: in vestra denique potestate sum: quod bonum quippe, & utile vestris comparet oculis, facito. Ego nempe (b) de tuo honore si non augmentabo, nec diminuam.* Ab illo denique die studenter quippe ipse Rofrit, exinde omnimodo decertabat.

CAP. XLIII.

IPse, de quo diximus, Princeps avaritiae, simulque & discordiae (c) garrulus erat, & injusta consilia cum suis cognatis eis saepissime inferebat; nec non & illustrissimos viros minis & indignationibus vehementer afficiebat; inopes vero, & ignobiles vehementer opprimebat. Et, ut fertur, equo unius illustris Viri, cujus nomen *Dauferius* fuit, pater, ut diximus Rofrit, & Potelfrit, usque ad nates in scalis ipsius Palatii caudam (†) turpiter caedere fecerunt. Dum sui cognati talia operarentur, populusque terrae illius talia cerneret, prosternatis animis, de morte ejus, ut diximus, cogitare coeperunt; sed metuebant plane inter se de tali re in patulo talia pandere. Causam vero, ob quam terga equi foe-

(62) Pro septam, circumdatam.

(†) (Prat.) *Adhuc summum dedecus putatur equis caudam, aut crines tondere in domini contemtum. Solent tamen tonderi, ut equi agiliores ad cursum reddantur.*

(a) *Tuum caput septum habebis corona.*

(b) al. *Vero.*

(c) al. *gerulus, & gannulus.*

darunt, subsequens sermo declarat. Domus saepe dicti Dauserii (*a*) erga plateam erat nimirum constructa: factum est namque, ut Princeps inde transiret cum cognatis. Foras nempe projecit aquam, nimirum Dauferii (*b*) famulus nescientibus cunctis, ita ut super nates equorum, super quos equitabant (*c*) Principis cognati, tangeret aqua. Denique ipsi valde irati sunt, manifestasque injurias vendicare nituntur, adnectentes: *Ex animis suis cognovimus, nempe honoris injurias videlicet nostri*. Dum vero cum ira Palatium adiissent, rem, quae acciderat, intimaverunt Principi. At Princeps fatuus in hunc modum promit talia dicta: *Ite mei, vestrasque injurias vindicate cognati*. Cum vero Dauferius devenisset Palatium, illi namque (*d*) quosdam ex suis miserunt, &, ut diximus, album Dauferii equum turpiter foedarunt. Quidam enim Potelfrit (*e*) ejus filium acclamans, quae acciderant, pandit per ordinem rei. At illi ut erant astuti, illum equum ad propriam domum miserunt, aliumque equum venire fecerunt. Dum illorum pater ex more solito, ut in equum ascenderet, deveniret, suum equum ibidem minime invênit, atque famulum suum percontavit: *Quidnam est factum de meo equo?* Ille excusationem inferens, inquit: *Equi inter se, mi Domine, fremuerunt, & retinaculum equi Domino nostro ruperunt; sicque & (f) per plateas, & inhonesta loca deambulante, atque in luto se volutante, proinde nequaquam potui illum huc deferre*. Ille vero haec audiens, equum ascendit, & rediit domum.

Itaque cum saepedicti filii domum rediissent, moesto vultu se se genitori objecerunt. Dum percontaretur a genitore, cur non sicut heri, & nudius tertius suis natis facies cerneret: ipsi nempe in hunc modum talia verba promserunt: *Utinam nuper mortui fuissemus, quando in cunis*

(a) *Ut fertur*.
(b) al. *Infans*.
(c) al. *Princeps & cognati*.
(d) *Clam quemdam*.
(e) *Rofritque ejus filios*.
(f) *Eo*.

tunis bajulabamur, & *non hactenus in hac urbe mansissemus*, *ut tam foedum nostri bonoris hodie cerneremus*; Cumque propter haec pater in sermonem filiorum aures innecteret, valde est exinde exterritus, adjiciens: *Si Dei, meique benedictionem adipisci valeatis, quidquid scitis, nobis evidentius intimate*. At illi omnia ei patefecerunt. Dum vero talia audivisset, mox valde infremuit, asserens: *Nec Dei, meique benedictionem perfruatis, si injuriam continuo non vendicatis*. Tunc Dauferii proles tali sermone stimulati, quae nuper in pectore clam gerebant, jam in patulo nimirum pandebant, atque hac illacque pro Principis morte videlicet discurrebant. Asseruerunt que erga se quemdam crudelissimum virum, Agelmundus nomine. Sic denique, & per jam dicti Radelchis suffragium, super Principem inruerunt, atque is, ut praediximus, Agelmundus abstracto gladio cum (*a*) paucis plagis eum (*b*) vita privavit. Regnavit quippe annos videlicet XI. & menses VII. Ad Longobardos fuit austerus; sed tamen audax, & velox fuit, & pro sua denique sagacitate adeptus est Principalem dignitatem, quam nos, licet in fine annectere cupimus huic Historiae (*c*).

CAP. XLIV.

TEmpore quo Grimoald antecessor istius *Grimoald*, Langobardorum Regni moderabatur habenas, & sub eo iste Grimoald, *Storesaiz* illius videlicet fuit: per idem tempus *Carolus filius Pipinus* (63) cum valido exercitu Be-

(63) Expeditio haec in Beneventanos facta videtur anno 791. Astronomus enim in Vita Ludovici Pii Tom. II. Du-Chesnii haec habet: *Ludovicus eo anno fratri Pippino suppetias ferre jussus* in Italiam

(a) *Non paucis*.
(b) *Penitus*.
(c) *Haec ultima verba desunt in aliis Codd.*

Beneventanos fines adiit, atque in locum, qui (a) Teinvius dicitur, tentoria figi jussit, quatenus inde valido exercitu valeret Beneventum undique obsidere; Cumque per aliquot dies ibidem degeret, quidam inops inibi erat, & quotidie virentem herbam Pipini equo in humero deferebat; & saepissime ipse Pipinus Rex eum cernebat, atque alimoniam ipsi deferri jubebat. Erat inops ille per omnia similis *Grimoald*, ut diximus, *Storesaiz*. (b) Quadam vero die congregavit idem Storesaiz quos noverat validos suosque sodales, & suos consanguineos, & non plures viros; & ivit contra hostes Francorum. Qui cuneatim gradientes, pervenerunt in quemdam firmissimum locum non procul a castris eorum, atque inibi reperierunt inopem illum, ut supra diximus, similem Grimoald, & eum (c) perduxerunt, annectentes: *Ecce omnia per omnia similis tui*. Ille ut erat sagacissimus taliter prorupit in vocem: *Eja mei coëtanei, una (d) pariter ineamus consilium, quatenus superbae gentis partem exercitus conteramus. In proverbiis nempe olim a majoribus nostris dice-*

liam transvehitur. Tum ambo *Beneventanam provinciam ingrediuntur, cuncta obvia populantur, Castro uno potiuntur*. Inglorios autem inde recessisse, quae sequuntur satis persuadent. (Prat.) *Errat sane Muratorius in hujus expeditionis epocha, cum anno* 791. *Carolus M. & Pipinus copias in Hunnos transmiserint, & in Illyricum adversus Avaros, ut patet ex Annal. Francor aliisque; & clarius ex epist. Caroli M. ad Fastradam Reginam Ratisponam missa apud Sirmondum Conc. tom.* 2. *& Duchesnium Rer. Franc. tom.* 2 *& Annal. Canisii. Quare Astronomi verba de expeditione in Illyricum a Pipino peracta accipienda sunt, non autem Beneventum*: Exercitum (*habet Canisius*) quam Pipinus filius de Italia transmiserat, introivisse in Illyricum. *Bellum autem in Beneventanos ann.* 793. *est assignandum, ut ipse Murator fatetur in Annal. Ital. hoc anno, quem consule*.

(a) *Triunvius* for. *Trivius*.

(b) *Congregavit denique juvenes floridam aetatem gerentes, quos noverat validos*.

(c) *Comprehenderunt, &*

(d) *Mei*.

batur: quod esset melius Consilium, quam Valetudo. Inopem hunc protinus exuamus, atque suis tegumentis me induite; & ipsum inopem districtius apud vos detinete: & ego illuc pergam, virentemque herbam (a) feram, sicut iste solitus erat. Sic namque eum per omnia percontavit, quo iret, & in quo loco herbas deferret, & quo modo dispensatorem vocitaret. Cumque ab eo omnia cognovisset, profectus illico, atque proprio humero virentes herbas Samnitia (b) bajulavit. Quem cum vidisset *Pipinus Rex*, putavit ut ipse esset, qui solitus erat, & ei tribui annonam jussit. Ipse enim Grimoald omnia eorum castra lustravit, atque enumeravit, & reversus ad suos, eos admonuit ut minime metuerent. Et noctis tempore irruit super eos, & attrivit maximam partem Gallorum in tantum, ut etiam properarent ad Regis tentorium, undique inferentes cladem. Et nimirum per callem, quem didicerat, iterum repedavit, & cum magno gaudio reversus est Beneventum suo Principi gaudium enuntians. Ipse denique Grimoald Princeps singulis dona largitus est, sed plus omnibus Grimoald dedit.

CAP. XLV.

Cum haec Rex Pipinus audisset, exterruit, asserens: *Rem hanc quis fecit?* Et ille homo, qui similis erat Grimoald, per omnia ei protinus intimavit. Ipse Rex: *Cognomen quomodo habuit?* Inops ille dixit: *Grimoald Storesaiz vocatur*. Rex inquit: *Si Storesaiz talia gessit, princeps ergo terrae illius majora faciet horum*. Quamobrem est exinde motus, atque sua (c) repedavit ad arva. Namque de hac re ipse Grimoald pervenit ad Principalem dignitatem. Haec nos de Grimoald primum scire sufficiat; nunc namque ad aliorum facta succincte curramus

ramus

(a) *Ibidem.*
(b) *In sarcina.*
(c) *Denique.*

ramus, ut acta, quae in hoc Mundo gesserunt, districtius indagemus.

Dum talia patrata fuissent, intestinus gladius inter Beneventanos exortus est pro Principali ambitione; sed maxima pars populi *Radelchisio* adhaerebat, annectens, dignum fore talem virum Beneventanorum Principatum obtinere. *Rofrit* denique, de quo superius fecimus mentionem, exinde omnino decertabat, quare tantum dignitatis praemium obtineret, unde fecerat Siconi jusjurandum. Quid multa referam? Inter agmen populi se Radelchis objecit, atque vocem emisit magnam, & inquit: *Ex nostris prorsus omnimodo minime Principem faciamus; sed exterum hominem Siconem Principem sublevemus, & forsitan, Deo volente, nostrae Patriae invidiam exturbemus.* Dum talia Radelchis (*a*) promeret, omnis denique vulgus, nec non & sublimes voluntati ejus obtemperantes adjecerunt: *Bonus est sermo, qui ex ore tuo processit: quod inchoasti etiam perfice.* Idipsum Rofrit ajebat dicens, dignum fore talem virum, tantae dignitatis fastigium obtinere. Ita omnipotens Deus disposuit, ut sine ulla animarum periclitatione antefatus Sico, jam dicti Radelchis concursu, eamdem, quam ambiebat, assumeret Principalem dignitatem.

C A P. XLVI.

Cum talia gesta fuissent, *Dauferius*, de quo jam supra diximus, ad animum mente revolvens facinus, quod antea (*b*) gesserat, affligebat se exinde valde; atque poenitentia ductus, sine mora in Hierosolymam est profectus mirum in modum, & re scilicet inaudita. Illuc enim eunte, & inde Beneventum remeante, non valde exiguum lapidem in ore gestavit, & tantummodo quoties cibum potumque sumebat, illo carebat. Et, ut fertur,

tur,

(a) *Verba*. (b) al. *Nuper*.

tur, in Dei Genitricis (a) Sanctae Beneventanae Sedis hactenus manet, & proinde accepit ipsum cognomen *Propheta Dauferius*. Radelchis domum cum suo filio, uxor illius nimirum percontavit: *Quid, & qualiter gessistis hodie?* Cui Radelchis, *miserum*, ait, *Principem elegimus*. Ad haec mulier: *Quare dicis miserum? pro quare non appellas eum gloriosissimum?* At ille: *Exter est nempe: sicut volumus, sic eum habemus: quando nolumus,* (b) *tenemus: quando volumus, eum spernimus*.

Uxor vero illius conversa ad virum suum, suumque natum, depromit tum talia dicta: *Accipite ergo animis, atque nostra figite dicta. Ecce dies venit, praedo in quo dirus, atque audax, callidissimus callidiora praedecessoris sui stigmata* (c) *revolvet. Quid est, quod dicis exterum? Numquid non Sico genuit filias, & eas Beneventanis mox viris copulabit, & tunc sic eum appellabis exterum? Tantum meis acquiesce consiliis, & beatus tibi, mihique fueris, si meos obtinebis sermones*, inquiens ad virum. *Indagemus omnimodo exinde hoc*, (d) *& cui suas filias copulet. Si unam ex eis nostro filio societ, felicius nobis fuerit; sin autem, statim Mundum linque*, (e) *Monachicum induas habitum, & non parvum exenium illi deferas, filiumque nostrum illius ditioni commenda; quia quantum conjicere valeo, minime eos* (f) *linquet securos*.

CAP. XLVII.

Ipse saepedictus Sico Princeps omnibus hominibus benignissimus, ac mansuetus nimirum se commendabat, atque plurima dona eis condonabat, & nullum consilium absente Radelchi peragebat. Factum est namque, ut dum Radelchis degeret Consiae, Princeps Sico eo absente iniret consilium. Ut talia audivit Radelchis, nimis quippe exter-

(a) *Ecclesiae*.
(b) al. *Volumus*.
(c) *Instigamenta revolvat*.
(d) al. *Cujus*.
(e) *Et*.
(f) *Nos*.

exterruit, atque (a) mira taliter prorupit in voce: *Ego jam nuper superavi falconem*: (b) *restat mihi vulpem*. Cumque a quibusdam Principi clam delatum fuisset, nimis iratus est; atque sine mora suas filias Beneventanis viris copulat. Unam ex eis cujusdam nobilissimi Viri *Aeonis* filio tradidit, cujus nomen *Julenda* (c) fuit; aliam namque sociat cuidam Viro *Ursi* filio; tertiam ipse cuidam (d) *Rademundo* copulat: aliorum memoriam non retinemus. Ut talia comperit Radelchis, nimis exterruit, atque consilium, quod uxor sua dederat, studenter animadvertit (e) adimplere. Scalponem (64) nempe argenteum cum 200. solidis tulit, atque ipsi Principi detulit. Cum talia ipse Princeps cerneret, hujusmodi verba depromit: *Ego copiosas opes vobis largiri cupio; & vos defertis mihi vestra propria?* Ad haec Radelchis: *Imploro vestrae dignitatis gloriam; quatenus munus nostrum exiguum faciatis recipere*. At ipsum ab illo per semet recepit. Tunc idem ipse Radelchis nimis eum efflagitabat, ut Monasterium pergere ipse Princeps relaxaret. Ut talia ipse Princeps comperit, hujusmodi tunc promit dicta: *Nequaquam tuis acquiesco praeceptis, nec a latere meo te faciam alienum*: hoc namque non de intus, sed a foris promebat, & talia ipse facere gratulabatur. Cumque ante eum staret, & obsecraret, voluntati ejus licentiam dedit; &, commeatu accepto, suum illi commendavit filium. Atque (ut fertur) sibi in collo funem ligavit, & suis servis praecepit, quatenus eum per longa terrarum spatia

tia

(64) An potius *Scaptonem*? Ignotus Casinensis num. 10. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 267. auctor est, Siconolfum Salernitanum Principem e Casinensis Coenobii thesauro asportasse *Baciam unam, & Scaptonem unum Constantinopolitano deaurata fabrefacta vasa opere*. Scalpo itaque, sive Scapto, vas quoddam fuisse videtur. Vide Du-Cangium ad vocem *Scapton*.

(a) al. *Cum ira*.
(b) al *Astat mihi vulponem*.
(c) *Sikelenda* Cod. Vat.
(d) *Nomine Radelmundo*.
(e) al. *Omnimodo adimplevit*.

tia traherent usque ad Benedicti Sancti (65) Coenobium. Dum devenisset cum pluribus opibus ad praedictum Monasterium, quod est in Castro situm Casino, valde ibi se affligebat. Uxor ejus habitum sanctae Religionis induta in Ecclesia Sancti Laurentii, quae sita est in territorio Consano, ordinibus (a), jejuniisque, (b) vigiliisque valde se ibidem macerabat. Sic factum est, ut longo tempore in tali re utrique perdurarent. Sed justus Judex Dominus, ut flagitiosos corroboraret, tale demonstravit denique signum. Dum Radelchis uxor defuncta fuisset, Radelchis in Casino degens cognovit per spiritum suae conjugis exitum, atque Abbati fratribusque talia nuntiavit; qui mox notaverunt horam, expeditumque virum Consam miserunt. Qui dum venisset curiosus perquirens, eàdem horâ cognovit exitum ejus, qua vir ejus fratribus nuntiavit.

CAP. XLVIII.

AGelmundus denique, de quo supra mentionem fecimus, dum deambularet juxta Siler fluvium, ancipitrem in manu gerens cum paucis suis sodalibus, cum se unusquisque, ut mos est, sequestraret (XXVII) ad capiendas aves, subito ipse Agelmundus conspexit *Grimoald Principem*, quem ille dudum extinxerat, furentem cum albo equo, sicuti sedere solitus erat, evaginatoque gladio contra se venientem. Qui, ut assolet humana fragili-

(65) Aliis verbis eamdem Dauferii poenitentiam enarravit Erchempertus num. IX.

(XXVII) *Capiendas* dicit, non *accidendas*. Conjiciendum igitur est, vel retibus illos, vel visco, aliave simili industria aves cepisse, quae aut interclusae, aut visco oblitae detinebantur, ut etiam nunc frequens est usus. Unde auceps quasi avieeps, sive aves capiens apud Priscianum lib. 1. & aucupium. Tunc etiam Accipitris ludus, quo aves dolo intercipiebantur.

(a) *Orationibus* Aegypt. (b) *Et vigiliis*.

gilitas, in fugam conversus est, quem vir ille, qui ei apparuerat, velocissimo cursu sequutus est, atque inter ambas scapulas forti ictu eum percussit. Statim evomere sanguinem coepit, atque usque retro caput suum (a) retorsit, & amplius illum non vidit, & ad suos sodales magnam vocem emisit. Cumque venissent, omnia quae acciderant per ordinem eis depromit. Ipsi vero talia audientes mirati sunt valde. Ipse, ut diximus, Agelmundus post hoc factum (b) exitiali morbo defunctus est. Equidem, (c) ut arbitror, & quantum conjicere valeo, non pro alia re talia facere Dominus voluit, nisi ut omnes injicere manum suam in Dominum metuant; atque ejus jussa quasi Dei denique peragant. Poterat enim Dominus clam illum pro reatu, quod in suo Domino gessit, percutere, atque (d) eum obruere, ut ab humanis oculis esset absconditus; sed ut diximus, pro suis, quas redemit, ovibus talia demonstravit, ut quem admonitiones, vel minae, atque (e) supplicia non terrent, corrigat nuntia morte (XXVIII).

C A P. XLIX.

I. Sico Princeps, de quo praemisimus, exercitus sui copias adunari jussit, atque magno apparatu Neapolim properavit, & eam undique constrinxit, & incendiis eam a foris scilicet denudavit; quam & obsidens aliquanto tempore, viriliter cum Beneventanorum exercitu constrinxit. Tunc Ursus Electus praedictum Siconem jam fatum Principem deprecatus est, ut etiam amplius malum non perveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum. Ad haec Sico Langobardorum Princeps admoni-

tio-

(XXVIII) An revera Deus ista permiserit, ipse viderit Anonymus, qui ea scripsit. Ceterum similia Divinae ultionis exempla in scripturis, aliisque probatis scriptoribus passim exhibentur.

(a) *Verso retro capite suum peremtorem minime vidit.*

(b) *Tertia die.*

(c) al. *Quo ut.*

(d) al. *Contra*, Cod. Vat. *atque sub terra eum obruere.*

(e) *Promissa supplicia.*

tionem praedicti Electi audiens, destitit, & pacem inientes, atque in scripto Pactum affirmantes inter Neapolitanos, & Langobardos, & obsides Neapolitanos idem Princeps abstulit. Spopondit ipse Neapolitanorum Dux cum universis suis hominibus sub terribili, fortissimoque sacramento, atque in ejusdem Pacti foedere perscriptam paginam affirmavit, se daturum illico omni anno tributum, quod inter eos statutum fuit, atque suis numismatibus ad ipsam Civitatem pro mercimoniis graderent, (a) & ipse Princeps Sico Januarii Sancti Martyris corpus de Basilica, ubi per longa temporum spacia requievit, elevans, & cum magno tripudio Beneventum regreditur.

C A P. L.

II. HAc denique tempestate (b) Landus Capuanus Comes una cum Episcopo Landulfo suo germano, ceterisque aliis Capuanis per jussionem jam dicti Principis Civitatem in Monte, qui (c) Trifliscus dicitur, construxerunt. (A) Sed cum ad finem usque perducta fuisset,

(A) *Praesentem quoque Notam a servato mihi hactenus more alienam imperitus Anonymus iste extorquet, ne Lector offendas, qui hic leges a Landone Comite, & Landulfo Episcopo fratribus constructam Sicopolim in Trifisco Monte tempore Principis Siconis, quae clara res est, ipseque adsentitur Anonymus in altera parte suae Historiae non adhuc edita, Capuam ad Volturnum tricesimum circiter post annum junctim exaedificasse, defuncto Landulfo patre, sub quo Sicopolis oportet contigisse Encaenia, sicut dicam in Chronologia Comitum Capuae num. 1. Sique Chronici illius Auctor, & ex eo Ostiensis lib. 1. cap. 30. Sicopolim constructam innuunt anno 840. id explanatione excipiendum est a me ibi indicata. Et sane idem Anonymus dictum modo Landulfum seniorem bene novit, inque ea parte suae Historiae huic immediate subnectenda congruo tempori ejus necatem figit; ita ut manifesto inde agnosci possit, illum probe rem tradidisse; sed constructorum nomi-*

(a) Ostiensis lib. 1. cap. 19. ista produxit ex hac, quam ibi indicat Historia, & Erchemperto adtribuit. Vide me ad hunc Anonym. Saler. 156.

(b) al. *Lando* Sed vide hic ad finem.

(c) Ost. lib. 1. c. 33. prior. edit. *Trisiscus*. c. 30. secundae edit. *Triplisius*.

ſet, praedictus Landus Comes, & non pauci Capuani cum ſuo Landulfo Epiſcopo Beneventum venerunt, utque ipſe Princeps cum non paucis ſuis Proceribus Capuam properarent, vehementer efflagitaverunt. Ipſe Princeps eorum precibus annuit, atque cum ſuis pariter Proceribus, nec non & fidelibus (a) cuneatim Capuam gradierunt. Dum conſtructam, ut diximus, novam Civitatem adiiſſent, converſus ad ſuos hujuſmodi verba depromit. *Dicite*, inquit, *mei fideles, meique optimates, quo nomine iſtam Civitatem nimirum vocamus?* Ad quod reſponderunt. *Hoc tuum eſt dicere, Domine*. Princeps ait: *Sicopolim eam appellamus*. Quibus unus ex Langobardis taliter verba depromit. *Non Sicopolim, ſed (a) Rebellopolim eam vocitemus*. At Princeps ira converſus ad illum, promit tunc talia verba. *Pro qua re talia auſus es promere?* Inquit. *Quia ſubditos habere minime illos jam valemus, niſi conſanguinitates pariter cum illis ineamus*. At Princeps converſus ad ſuos, exinde qualiter ageret, a ſuis fidelibus expiavit. Illi vero ore effarunt, adjicientes. *Nos pariter cum ipſis viciſſim jungamus connubia, & ſic obtinere erga nos illos prorſus valemus*. Ab illo denique tempore inter ſe Capuani videlicet, Beneventanique invicem conſanguinitatem junxerunt.

Rofrit unde mentionem ſuperius fecimus, validum cum Azone conflictum habebat, & crebriſſime inter ſe conſurgebant, ſicuti mos eſt Praelatis omnibus. Sed ipſe Princeps a foris inter eos dulcia verba promebat, & de intus vero, ut rixam inter ſe reiterarent gratulabatur, ut ipſe eos atterere nimirum valeret. CAP.

nomine male conſignaſſe, imperitiae culpa, qua laborat, tum alibi ſaepe, tum de Monacho agens Carolomanno, quem a Carolo Magno non diſcrevit, iſtumque Monachum induiſſe pronunciavit. Ceterum quod ille hoc eodem tradit loco de initis invicem nuptiis inter Campanos, ac Beneventanos, congruit ejus dicto, quo adſerit huic Comiti Landulfo filiam Rofrit magni Proceris Beneventani matrimonio extitiſſe conjunctam, matremque Principis Atenulfi filiam fuiſſe alterius Proceris ejuſdem urbis, nomine Potelfrit, qui frater fuerat modo dicti Rofrit.

(a) al. *Unitim*. (b) al. *Revellopolim*.

CAP. LI.

PEr idem tempus *Agarenorum* genus Siciliam (XXIX) invasit. Sed quomodo terram illam attriverint, (a) materiam subministremus. Erat vir praedives quidam in Siciliae finibus Eufimius (*) nomine, qui desponsaverat puellam, Homenizam nomen gerentem, mirae pulchritudinis. Illo denique tempore quidam Graeculus Siciliae praeerat. Acceptâ pecuniâ ab alio viro, desponsatam Eufimio auferens, alteri viro eam denique tradidit. (*) Quod dum in patulo exiit, atque Eufimio nuntiatum fuisset, talia verba depromit: *Meam namque foedastis uxorem: hoc peream anno, si non foedari facio plurimorum uxores*. Quapropter cum servis suis navem ascendit, Africamque properavit, atque Regi terrae illius hujusmodi verba depromit: *Multarum navium navigium dirige mecum, quibus spatiosam terram vestrae ditioni committam*. Ut Rex barbarus talia audivit, nimis gavisus est, atque sine mora omnem navalem exercitum parari jussit, & dum fuisset in unum congregatum, Rex ille barbarus exorsus est verba: *Omne consilium ab isto nostro viro amicoque percipite, atque ejus jussa quasi nostra metuite*. Et sic dicens, dona eis scilicet condonavit; sed amplissima plus omnibus Eufimio dedit. Cum vero Siciliam properassent, protinus eam invaserunt, atque multas opes ibidem reperierunt. Cataneam ingrediuntur, multorumque populorum faciunt stragem, vix paucis evadentibus, qui in

(*) Eum Johannes Diaconus in Vitis Episcopor. Neapolitan. part. II, Tom. I. hujus Collectionis *Euthymium* appellat, cujus narrationem vide pag. 313. ejusdem Tomi.

(*) Aliter Erchempertus, aliique rem narrant.

(XXIX) De hac Siciliae irruptione diximus in Erchemperto, & alibi fusius agendum erit. Res aliter ab Historicis enarratur.

(a) *Nunc*.

in tutissima (a) Castra, & montium confugerunt juga. Sed & ipsum Graeculum ibidem necaverunt; ceterosque illius sequaces, atque ab illo tempore Siciliam dominari coeperunt. Audito hoc, *Princeps Sico* valde est exinde moessus, atque Coronam (b) jam minime posuit, praedicans futurum gladium inter agmina Langobardorum. Pro una denique puella, sicut alias, multae denique judicatae. Et quia ante omnes inter se in unum (c) copulabantur, & exultabant: postmodum propter unum Graeculum immensas lacrymas effundebant. Et quia (d) dudum in matrimonio per Calabriae fines gradiebantur, postmodum ab Agarenorum parte venumdabantur. Ipso denique tempore Sicilienses vectigalia nimirum Langobardis exhibebant propter negotium, quod in Calabriae finibus peragebant.

CAP. LII.

GRavis sane per idem tempus inter Rofrit, & Alfanum (*) Abbatem discordiae rixa surrexit jam Azone defuncto. Sed ipse Princeps, ut mos est, minime se perturbabat, & ovanter exinde permanebat. Factum est autem eo tempore (e) Princeps in (f) angorem decidens morti approximavit; quem Langobardi vita excedere existimantes; ejus filium *Sicardum* ante ejus obtutum perduxerunt, atque ut eum salutiferis monitis illustraret, eum vehementer efflagitabant. At ille conversus ad

(*) Non indicat Auctor, cui Monasterio Alfanus praefuerit. Laicum ego fuisse puto, & pro infelici eorum temporum usu, sive abusu, ei commendatam fuisse aliquam Abbatiam. Erchempertus num. XII. haec tantum habet de Sicardo: *Alfanum virum illustrem ac fortissimum robore, laqueo suspendi fecit.*

(a) *Tutiora.*
(b) *Atque coronam in suo capite jam minime posuit, praedicens.*
(c) *Epulabantur.*
(d) *Qui dudum in mercimonio.*
(e) *Quod.*
(f) *Languorem, seu angorem.*

ad filium, promit tunc talia dicta: *Est mihi libertas tecum secreta loquendi; consilium ne sperne meum: tibi prospera monstro. Nec Rofrit Alfano subde, nec Alfanum Abbate in Rofrit ditioni tribue*. Erat siquidem *Alfanus* ipse Diaconus, & ut jam diximus, Abbas, qui necnon & largus (*a*) manu nimirum pluribus hominibus erat; victum, opesque, & tegumenta eis scilicet condonabat. Haec dicta sufficiant: nunc jam ad admonitionem jam dicti Principis redeamus, inquiens ad filium: *Habeant inter se rixam, & tu eorum ditioni imperabis. Te absente, fac minime committi pugnam. Tuum germanum alienum a latere tuo minime sine; Et semper salvus eris, si mea monita obtinebis*. Et haec dicens, spiritum exhalavit. Tenuitque ipse Principatum annos (66) XII. (*b*), menses III. (*) Fuit autem corpore validus, audacia primus, statura procerus, non minus consilio, quam viribus decoratus.

C A P. LIII.

Sicardus Princeps, dum pater suus obiit, monita genitoris funditus ex animo repulit, nihilque ex eis in mente retinuit. Ipso denique tempore *Neapolitanus* (67) *Dux*,

Q

(66) Peregrinius in suis Catalogis pag. 319. & 320. Siconi Beneventano Principi tribuit *annos XV*. Propterea vereor, ne Librarius heic pro V. quod facile est, legerit II. Ex ejusdem Peregrinii Chronologia Sico ad plures abiisse creditur anno Christianae Aerae 833. & revera in Chronico Vulturnensi part. II. Tomi I. Rer. Italic. occurrunt tria Sicardi ejus filii, & in Principatu successoris, Diplomata, data *anno primo*, & quidem anno 833. eorumque unum scriptum est Februario mense.

(67) Ex Johanne Diacono, a quo conscriptas dedi Vitas Neapolitanorum Antistitum part. II. Tom. I. hujus Collectionis, pag. 313. *Stephanus* tunc fuisse videtur *Consul & Dux Neapolitanae Civitatis*. Narrat autem idem Johannes obsidionem patriae suae ab eodem Sicone peractam.

(a) *Larga*. (b) XIV. (*) A. 833.

Dux, quod jurejurando promisit tributum, distulit dare. Post aliquantum temporis spatium furore repletus vehementer Princeps Langobardorum *Sicardus*, cum universo Principatu suo Langobardorum, Neapolitanam advênit urbem, quam & trium mensium spatio (*a*), atque & omni circumdatam parte quotidie fortiter expugnavit eam, omnia extra urbem ferro, & igne devastans, atque funditus demoliendo consumsit, ut Neapolitanam capere potuisset urbem, nam & corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria abstulit (XXX).

C A P. LIV.

HAec dum gesta fuissent, Neapolitani de intus veniam poscebant; sed ipse Princeps ironiam eis faciens, juxta ipsius civitatis moenia, telam ordire denique fecit. At illi tanto metu percussi sunt, ut sermones, non lapides ei injicerent; sed consilium inierunt, quatenus iram ejus saevissimam emollirent. Tunc bonam famam habentem Monachum miserunt, ut ab eodem Principe veniam obtineret. Dum Monachus ante tentorium Principis devenisset, mox tellure prostratus, pro suis Civibus veniam poscebat, atque ut ejus ditioni demum Cives deservirent, vehementer asserebat. Ipse Princeps misericordia motus in eamdem civitatem jam dictum *Rofrit* Legatum denique misit. Dum Rofrit Neapolim introisset, civitatem ipsam undique expiavit, atque in ejus platea montuosam terram (*b*) cernere coepit. Sed dum sciscitaret, atque diceret, quid velit hoc esse: illi Neapolitani nimirum talia verba promserunt: *Nostrae aedes semper tritico* (*c*) *sunt*

(XXX) De coemeterio Sancti Januarii Neapolis extra maenia quidem heic intelligit Anon. atque aliis ipsi finitimis cryptis prope urbis septemtrionalem plagam, in quibus multa Sanctorum corpora quiescebant, ibique Sacra peragebantur Mysteria.

(a) *Obsidens*. (b) *Triticeam*. (c) *Nempe*.

sunt plenae; sed tritico remanente, proinde ipsum in platea ejecimus; sed jam denique periit. Sed aliud non erat, nisi nimirum arena; & parva tritici grana super arenam sparsa habebant; & jam ipsa denique renascebant. In hunc modum virum strenuissimum illuserunt, quia jam valida fame oppressi erant, & mensis Julius ipso tempore percurrebat, & inchoante mense Maii ipse jam dictus Princeps ipsam civitatem circumdedit. Atque ut ferunt plurimi, quod (a) . . . Vas, *flasconem* vocant, solidorum plenum dederunt Rofrit in tali ordine, ut citius regredi Principem faceret. Dum Rofrit ad Dominum suum venisset, talibus eum est allocutus verbis. *Mi Domine Princeps, hic minime maneamus, & ad propria regrediamur, atque illis dimitte denique noxam, & omni anno vestrae eminentiae solvant tributum, quia modiorum multorum triticum ibidem ego vidi; proinde, si placet, per paginam scriptam vestrae ditioni tributa persolvant*. His auditis, Princeps acquiescit denique sermonibus suis, atque talia fieri jussit. Sic namque per paginam scriptam talia firmaverunt; atque ipsum foederis scriptum in sacro Salernitano Palatio adhuc hactenus manet, & in sua inchoatione hujusmodi textum invenimus. *En ego Sicardus Domini gratia Princeps concedo vobis Neapolitanis pacem, & firmissimam libertatem*. Et ibidem continetur numerus solidorum, & foedera pactionum, quae omisimus plane sigillatim retexere cuncta. Hiis ita gestis, callem, quem relinquerat, iterum repedavit, atque cum magno tripudio Beneventum remeavit.

C A P. LV.

Cum vero Beneventum regressus fuisset, coepit hujusmodi vanitati deservire, atque aliorum uxores stuprare, necnon insatiabiliter se exinde gerebat. Una denique

Q 2

(a) *Vulgus vas quoddam, quod flasconem.*

nique die per plateam dum deambularet, ut moris est, foeminae ad videndum eum ire (a) cucurrerunt. Ille vero retro caput revolvens, speciosissimam mulierem cujusdam viri Nannigonis uxorem ibidem conspexit. Dum eam vidisset, statim eam concupivit, atque in ejus amorem vim caloris sui ignis accendit; & clam dicendo, continuo misit ad illam, ut opes a parte Principis obtineret multas: tantum ejus animo consentiret. Illa vero talia audiens, se se valde perturbavit, ac in hunc modum promit tunc talia dicta: *Opes & gloriam sibi habeat multas: mihi nihil est necesse habere, nisi jussa viri mei timere, & illi (b) pudicitiam reservare. Si demum (c) talia renuntiare reiteraverit, sciat, illa viro meo prodenda.* Dum in hunc modum Principi delatum fuisset, magis magisque urebat, & crebrissime ex corde sciscitabatur, quatenus ipsum facinus adipisci valeret. Tunc Nannigonem ad se fecit accersiri. Sed dum vocatus venisset, & ante suum conspectum astaret, Princeps est taliter ei locutus: *Volueram te Legatum Africam mittere, quatenus ad nos, Deo volente, cum honore a patre Regis terrae illius reverteris.* Audito hoc Nannigo nimis quippe se turbavit, adjiciens: *Quomodo illuc pergam, qui sum valde infirmus? Et mi Domine metuo, ne illic mihi mors eveniat.* At Princeps: *Excusationem mihi exinde minime annecte: tantum, ut diximus, celerius perfice.* Ille denique dixit: *Fidelis tuus sum: fiat, ut comparet voluntati tuae;* Cumque ille nescius perrexisset, ipse Princeps ad uxorem suam continuo famulos suos misit; quatenus per vim ad se adducerent. Quo facto, vi opprimit eam: Illa vero dum strupata domum rediisset, neque balneis, neque unguentis minime usa est; illotaque facie manebat, necnon sordidis indumentis utebatur; nec in stratu dormiebat, sed in terram prosternebat se. Et si quislibet de

(a) *Nimirum.*
(b) *Demum.*
(c) *Mihi.*

de tali re eam coërcebat, ut non esset bona immoderata moestitia: illa ajebat: *Non pro alia re talia denique facio, nisi propter viri mei absentiam*.

Factum est autem, dum vir suus regrederetur, & dum redisset domum, eam moestam reperit, atque incomposito capite, vestibus vilibus, nec non & turbulentis indutam; sciscitansque eam, dixit: *Pro qua re hispido capite, illotaque facie manes?* At illa: *Protinus gladium*, ait, *evagina, & meum mox collum abscinde, quia foedata sum ab alieno viro*. Cum cognovisset omnia Nannigo, quae fuissent facta, valde ingemuit, atque suae conjugi affavit: *Illico balneum perge, atque jucunditatis vestibus te nimirum indue, & de tali re minime bisce*.

CAP. LVI.

IPse Princeps adhuc sine uxore erat, & multa illicita saepissime committebat. Factum est autem, ut exinde cum suis Optimatibus una die sermocinaret, qualem sibi copularet uxorem, aut ex Rege filiam, aut ex (XXXI) stigmatibus: unde ejus Optimates exinde fortiter adhortabant, ut forsitan a perpetrato scelere eum sic deviarent. Sed callidus ille *Rofrit* clam est ei locutus, nec filiam Regis, nec de illius stigmatibus pulchram invenire valebis, qualem unam, quae in nostro territorio degit: Hiis auditis, Princeps amplexus est eum, & affatim efflagitabat, qualiter proprium ejus diceret nomen. At ille protinus suam cognatam de pulchritudine laudavit. Idem Princeps: *Vellem videre eam*. Ipse vero ovanter dixit: *Ego tibi eam demonstro* (a), adjiciens, *illotaque facie eam tibi ostendam; & si vestris oculis comparet, lateri vestro eam sociate*; sin autem, *omnimodo sit occultum*.

(XXXI) Consanguinitate, vel adfinitate conjunctis, ut supra.

(a) Demonstrabo.

CAP. LVIII.

ROfrit vero dum Principissa facta est sua cognata, in superbiam, atque in elationem plus magis intumuit; necnon & tyrannum omnibus hominibus se ostendebat; & cum *Alfano* jam dicto *Abbate* in patulo saepissime confligabat. Factum est autem, ut ipse Rofrit fuerit missus cum pluribus viris per Calabriam, simulque & Apuliae fines a praedicto Principe, ut vectigalia exinde exigeret. Cumque regressus fuisset, cum magno gaudio ab ipso Principe est exceptus; assignavit enim omnem videlicet censum, & ex suis sumtibus, ut nonnulli ferunt, ducentos ei detulit solidos, quos ille nequaquam acquiescere, ut eos acciperet, voluit. Illo vero diu eum obsecrante, eos recipi jussit, atque annectit: *Postula a me, quod vis*. At ille: *Nil aliud a Domino meo quaero, nisi proximus mihi condonet protectionem, quatenus inimici mei saevitiam obterere valeam*. At Princeps plurima ei jussit ostendi arma, inquiens: *Quae ex his volueris, tolle*. Dum loricam, quae suis placuisset oculis, suo corpori induisset, & spatam suo lateri annexisset, galeamque suo capiti posuisset, lanceamque in sua manu injecisset: de intus exiit foras, clypeoque bajulante. Dum mussitatam rem Beneventani cernerent, mirati sunt valde, asserentes: *Quid velit hoc esse*? Idem Rofrit: *Arma*, ait, *meus mihi Dominus dedit, quatenus atterere valeam inimici mei saevitiam*. Cumque in patulo cunctis audientibus verba talia promsisset, atque Alfano Abbati in hunc modum relatum fuisset: nimis quippe pertimuit in tantum quod misit ad suos mox coëtaneos, suosque sodales, amicosque, ut in unum congregarent se, & cum eis consilium exinde iniret. Et consilium inierunt, quatenus propriam relinquerent urbem, atque Neapolim properarent: quod factum est.

CAP.

CAP. LIX.

Cumque Neapolim adiissent, a cunctis terrae illius hominibus dilecti sunt valde. Et quamplurimi fuerunt ipsi viventes (a), qui cum Alfano Abbate illuc properaverunt; & Beneventani, & Salernitani CCCC. fuerunt; inter quos *Rodoalt* cum suo germano *Radolfo* affuerunt: *ipse Rodoald abavus meus exstitit*. Ipse saepe dictus Alfanus una cum suis, ut diximus, sodalibus per Beneventanos, Salernitanosque fines peragrantes, incendiis rapinisque cuncta, quae reperire potuerunt, demolientes, iterum Neapolim revertebantur. Cumque creberrime talia iterarentur, praedam ovium, equorum, & de ceteris animalibus (b) cunctatim Neapolim deportaverunt. Cumque Beneventani agricolas denudatos (c) sustinere jam omnimodo non valerent, consilium inierunt, quatenus eos cum dolo superarent; & statim ad eos miserunt, ut cum ipso Principe pacem firmarent, atque per sacramenta exinde inirent.

CAP. LX.

Dum Alfano Abbati delatum fuisset, exinde mox cum suis consilium iniit, ne forte pacifica cum dolo verba ipse Princeps illis transmitteret; atque ei dicendum miserunt, quod *minime nos sub ejus ditione degemus, nisi prius Episcopus, sancti Monachi, Presbyteri, Diaconesque, seu nobilissimi viri exinde nos per sacramenta (d) firment*. Cum talia *Principi Sicardo* nuntiata fuissent, protinus per paginam scriptam eis misit promendum sacramenta: *ut dicenda misistis, vobis persolvimus*. Atque specialiter Alfanum in hunc modum videlicet per epistolam

R allo-

(a) *Juvenes.*
(b) *Cuncatim.*
(c) *Dictus Princeps, ejusque fideles cernerent, sustinere jam omnimodo non valentes Freet.*
(d) *Firmarent.*

in tutiſſima (*a*) Caſtra, & montium confugerunt juga. Sed & ipſum Graeculum ibidem necaverunt; ceteroſque illius ſequaces, atque ab illo tempore Siciliam dominari coeperunt. Audito hoc, *Princeps Sico* valde eſt exinde moeſtus, atque Coronam (*b*) jam minime poſuit, praedicans futurum gladium inter agmina Langobardorum. Pro una denique puella, ſicut alias, multae denique judicatae. Et quia ante omnes inter ſe in unum (*c*) copulabantur, & exultabant; poſtmodum propter unum Graeculum immenſas lacrymas effundebant. Et quia (*d*) dudum in matrimonio per Calabriae fines gradiebantur, poſtmodum ab Agarenorum parte venumdabantur. Ipſo denique tempore Sicilienſes vectigalia nimirum Langobardis exhibebant propter negotium, quod in Calabriae finibus peragebant.

C A P. LII.

GRavis ſane per idem tempus inter Rofrit, & Alfanum (*) Abbatem diſcordiae rixa ſurrexit jam Azone defuncto. Sed ipſe Princeps, ut mos eſt, minime ſe perturbabat, & ovanter exinde permanebat. Factum eſt autem eo tempore (*e*) Princeps in (*f*) angorem decidens morti approximavit; quem Langobardi vita excedere exiſtimantes; ejus filium *Sicardum* ante ejus obtutum perduxerunt, atque ut eum ſalutiferis monitis illuſtraret, eum vehementer efflagitabant. At ille converſus ad

(*) Non indicat Auctor, cui Monaſterio Alfanus praefuerit. Laicum ego fuiſſe puto, & pro infelici eorum temporum uſu, ſive abuſu, ei commendatam fuiſſe aliquam Abbatiam. Erchempertus num. XII. haec tantum habet de Sicardo: *Alfanum virum illuſtrem ac fortiſſimum robore, laqueo ſuſpendi fecit.*

(a) *Tutiora.*
(b) *Atque coronam in ſuo capite jam minime poſuit, pradicens.*
(c) *Epulabantur.*
(d) *Qui dudum in mercimonio.*
(e) *Quod.*
(f) *Languorem, ſeu angorem.*

ad filium, promit tunc talia dicta: *Est mihi libertas tecum secreta loquendi; consilium ne sperne meum: tibi prospera monstro. Nec Rofrit Alfano subde, nec Alfanum Abbate in Rofrit ditioni tribue*. Erat siquidem *Alfanus* ipse Diaconus, & ut jam diximus, Abbas, qui necnon & largus (*a*) manu nimirum pluribus hominibus erat, victum, opesque, & tegumenta eis scilicet condonabat. Haec dicta sufficiant: nunc jam ad admonitionem jam dicti Principis redeamus, inquiens ad filium: *Habeant inter se rixam, & tu eorum ditioni imperabis. Te absente, fac minime committi pugnam. Tuum germanum alienum a latere tuo minime sine; Et semper salvus eris, si mea monita obtinebis*. Et haec dicens, spiritum exhalavit. Tenuitque ipse Principatum annos (66) XII. (*b*), menses III. (*) Fuit autem corpore validus, audacia primus, statura procerus, non minus consilio, quam viribus decoratus.

C A P. LIII.

Sicardus Princeps, dum pater suus obiit, monita genitoris funditus ex animo repulit, nihilque ex eis in mente retinuit. Ipso denique tempore *Neapolitanus* (67)

Q *Dux*,

(66) Peregrinius in suis Catalogis pag. 319. & 320. Siconi Beneventano Principi tribuit *annos XV*. Propterea vereor, ne Librarius heic pro V. quod facile est, legerit II. Ex ejusdem Peregrinii Chronologia Sico ad plures abiisse creditur anno Christianae Aerae 833. & revera in Chronico Vulturnensi part. II. Tomi I. Rer. Italic. occurrunt tria Sicardi ejus filii, & in Principatu successoris, Diplomata, data *anno primo*, & quidem anno 833. eorumque unum scriptum est Februario mense.

(67) Ex Johanne Diacono, a quo conscriptas dedi Vitas Neapolitanorum Antistitum part. II. Tom. I. hujus Collectionis, pag. 313. *Stephanus* tunc fuisse videtur *Consul & Dux Neapolitanae Civitatis*. Narrat autem idem Johannes obsidionem patriae suae ab eodem Sicone peractam.

(a) *Larga*. (b) XIV. (*) A. 833.

Dux, quod jurejurando promisit tributum, distulit dare. Post aliquantum temporis spatium furore repletus vehementer Princeps Langobardorum *Sicardus*, cum universo Principatu suo Langobardorum, Neapolitanam advênit urbem, quam & trium mensium spatio (*a*), atque & omni circumdatam parte quotidie fortiter expugnavit eam, omnia extra urbem ferro, & igne devastans, atque funditus demoliendo consumsit, ut Neapolitanam capere potuisset urbem, nam & corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria abstulit (XXX).

C A P. LIV.

HAec dum gesta fuissent, Neapolitani de intus veniam poscebant; sed ipse Princeps ironiam eis faciens, juxta ipsius civitatis moenia, telam ordire denique fecit. At illi tanto metu percussi sunt, ut sermones, non lapides ei injicerent; sed consilium inierunt, quatenus iram ejus saevissimam emollirent. Tunc bonam famam habentem Monachum miserunt, ut ab eodem Principe veniam obtineret. Dum Monachus ante tentorium Principis devenisset, mox tellure prostratus, pro suis Civibus veniam poscebat, atque ut ejus ditioni demum Cives deservirent, vehementer asserebat. Ipse Princeps misericordia motus in eamdem civitatem jam dictum *Rofrit* Legatum denique misit. Dum Rofrit Neapolim introisset, civitatem ipsam undique expiavit, atque in ejus platea montuosam terram (*b*) cernere coepit. Sed dum sciscitaret, atque diceret, quid velit hoc esse: illi Neapolitani nimirum talia verba promserunt: *Nostrae aedes semper tritico* (*c*) *sunt*

(XXX) De coemeterio Sancti Januarii Neapolis extra maenia quidem heic intelligit Anon. atque aliis ipsi finitimis cryptis prope urbis septemtrionalem plagam, in quibus multa Sanctorum corpora quiescebant, ibique Sacra peragebantur Mysteria.

(a) *Obsidens*. (b) *Triticeam*. (c) *Nempe*.

sunt plenae ; sed tritico remanente, proinde ipsum in platea ejecimus ; sed jam denique periit. Sed aliud non erat, nisi nimirum arena ; & parva tritici grana super arenam sparsa habebant ; & jam ipsa denique renascebant . In hunc modum virum strenuissimum illuserunt , quia jam valida fame oppressi erant, & mensis Julius ipso tempore percurrebat, & inchoante mense Maii ipse jam dictus Princeps ipsam civitatem circumdedit . Atque ut ferunt plurimi , quod (*a*) . . . Vas, *flasconem* vocant, solidorum plenum dederunt Rofrit in tali ordine, ut citius regredi Principem faceret. Dum Rofrit ad Dominum suum venisset, talibus eum est allocutus verbis. *Mi Domine Princeps, hic minime maneamus, & ad propria regrediamur, atque illis dimitte denique noxam, & omni anno vestrae eminentiae solvant tributum ; quia modiorum multorum triticum ibidem ego vidi ; proinde, si placet, per paginam scriptam vestrae ditioni tributa persolvant*. His auditis, Princeps acquiescit denique sermonibus suis, atque talia fieri jussit. Sic namque per paginam scriptam talia firmaverunt ; atque ipsum foederis scriptum in sacro Salernitano Palatio adhuc hactenus manet , & in sua inchoatione hujusmodi textum invenimus. *En ego Sicardus Domini gratia Princeps concedo vobis Neapolitanis pacem, & firmissimam libertatem*. Et ibidem continetur numerus solidorum , & foedera pactionum , quae omisimus plane sigillatim retexere cuncta. Hiis ita gestis, callem, quem relinquerat, iterum repedavit, atque cum magno tripudio Beneventum remeavit.

C A P. LV.

Cum vero Beneventum regressus fuisset, coepit hujusmodi vanitati deservire, atque aliorum uxores stuprare, necnon insatiabiliter se exinde gerebat ; Una denique

(a) *Vulgus vas quoddam, quod flasconem.*

nique die per plateam dum deambularet, ut moris est, foeminae ad videndum eum ire (a) cucurrerunt. Ille vero retro caput revolvens, speciosissimam mulierem cujusdam viri Nannigonis uxorem ibidem conspexit. Dum eam vidisset, statim eam concupivit, atque in ejus amorem vim caloris sui ignis accendit; & clam dicendo, continuo misit ad illam, ut opes a parte Principis obtineret multas: tantum ejus animo consentiret. Illa vero talia audiens, se se valde perturbavit, ac in hunc modum promit tunc talia dicta: *Opes & gloriam sibi habeat multas: mihi nihil est necesse habere, nisi jussa viri mei timere, & illi (b) pudicitiam reservare. Si denium (c) talia renuntiare reiteraverit, sciat, illa viro meo prodenda.* Dum in hunc modum Principi delatum fuisset, magis magisque urebat, & crebrissime ex corde sciscitabatur, quatenus ipsum facinus adipisci valeret. Tunc Nannigonem ad se fecit accersiri. Sed dum vocatus venisset, & ante suum conspectum astaret, Princeps est taliter ei locutus: *Volueram te Legatum Africam mittere, quatenus ad nos, Deo volente, cum honore a patre Regis terrae illius reverteris.* Audito hoc Nannigo nimis quippe se turbavit, adjiciens: *Quomodo illuc pergam, qui sum valde infirmus? Et mi Domine metuo, ne illic mihi mors eveniat.* At Princeps: *Excusationem mihi exinde minime annecte: tantum, ut diximus, celerius perfice.* Ille denique dixit: *Fidelis tuus sum: fiat, ut comparet voluntati tuae*; Cumque ille nescius perrexisset, ipse Princeps ad uxorem suam continuo famulos suos misit, quatenus per vim ad se adducerent. Quo facto, vi opprimit eam: Illa vero dum strupata domum rediisset, neque balneis, neque unguentis minime usa est; illotaque facie manebat, necnon sordidis indumentis utebatur; nec in strato dormiebat, sed in terram prosternebat se. Et si quislibet

de

(a) *Nimirum.*
(b) *Demum.*
(c) *Mihi.*

de tali se eam coërcebat, ut non esset bona immoderata moestitia: illa ajebat: *Non pro alia re talia denique facio, nisi propter viri mei absentiam.*

Factum est autem, dum vir suus regrederetur, & dum redisset domum, eam moestam reperit, atque incomposito capite, vestibus vilibus, nec non & turbulentis indutam; sciscitansque eam, dixit: *Pro qua re hispido capite, illotaque facie manes?* At illa: *Protinus gladium,* ait, *evagina, & meum mox collum abscinde, quia foedata sum ab alieno viro.* Cum cognovisset omnia Nannigo, quae fuissent facta, valde ingemuit, atque suae conjugi affavit: *Illico balneum perge, atque jucunditatis vestibus te nimirum indue, & de tali re minime bisce.*

C A P. LVI.

IPse Princeps adhuc sine uxore erat, & multa illicita saepissime committebat. Factum est autem, ut exinde cum suis Optimatibus una die sermocinaret, qualem sibi copularet uxorem, aut ex Rege filiam, aut ex (XXXI) stigmatibus: unde ejus Optimates exinde fortiter adhortabant, ut forsitan a perpetrato scelere eum sic deviarent. Sed callidus ille *Rofrit* clam est ei locutus, nec filiam Regis, nec de illius stigmatibus pulchram invenire valebis, qualem unam, quae in nostro territorio degit. Hiis auditis, Princeps amplexus est eum, & affatim efflagitabat, qualiter proprium ejus diceret nomen. At ille protinus suam cognatam de pulchritudine laudavit. Idem Princeps: *Vellem videre eam.* Ipse vero ovanter dixit: *Ego tibi eam demonstro* (a), adjiciens, *illotaque facie eam tibi ostendam; & si vestris oculis comparet, lateri vestro eam sociate; sin autem, omnimodo sit occultum.*

(XXXI) Consanguinitate, vel adfinitate conjunctis, ut supra.

(a) *Demonstrabo.*

tum. Ad tuum cernendum pratum te simula ire; & ego denique cras ad laxandum (68) *potionem potabo. Dum exinde redeas, ad domum meam quasi visitaturus veni, & illota facie ante me sistere illam faciam: tu nempe eam aspice, atque formam ejus perlustra. Ego* (a) *te interrogabo: optimum estne pratum illud? Tu Domine, mihi responde, utrum optimum, an non.*

C A P. LVII.

Alia die Princeps non cum plurimis ad pratum cernere properavit, & statim regressus est urbem. Dum portam (b) civitatis introiisset, conversus ad suos hujusmodi verba repromit: *Ad visitandum Rofrit pergamus, quia, ut mihi relatum est, ad relaxandum potionem potavit.* At illi: *Domine, eamus.* Dum pervenisset ad ejus domum, & Rofrit fuisset intimatus; ipsa vero, ut mos est innuptae puellae, fugere tentavit: sed Rofrit nequaquam sinit ire. Dum introgressus fuisset ipse Princeps, ubi Rofrit manebat, eam valde est contemplatus, atque nimis ejus oculis placuit. Dum eum sciscitaret Rofrit, ac diceret; *Optimum estne pratum illud, quod expiasti hodie, mi Princeps?* At Princeps protinus ait: *Optimum.* Et haec dicens ad Palatium rediit, moxque rem illam, quam gesserat, suis Optimatibus propalavit, protinusque ipsam puellam desponsavit.

Sed non ut sapiens, sed ut fatuus talia gessit; (XXXII) non illius mores, sed pulchritudinem expiavit; proinde nempe ad exitum durum pervenit. Libet nobis pro qua re

(68) Idest ventrem pro more veteris Artis Medicinae.

(XXXII) Historiam interrumpit, ut Theologum induat: sed quam male, & abs re, norunt omnes.

(a) *Ego vero.* (b) *Ipsius.*

re vir ducit uxorem, huic Historiae intexere, ut non pulchritudo, sed mores quaerantur. Tribus de causis uxor ducitur. Prima est causa prolis, de qua legitur in Genesi: *Et benedixit eos dicens: Crescite, & multiplicamini*. Secundum est causa adjutorii, de qua ibidem in Genesi dicitur: *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium*. Tertia causa incontinentiae: unde dicit Paulus Apostolus: *Qui se non continet, nubat*. In eligendo marito quatuor uxores spectare solent Virtus, Genus, Pulchritudo, & Sapientia. At Sapientia potentior est ad amoris affectum, sicut & in foeminis mores. Sed ipse Sicardus mores minime requisivit. Refert haec, quae supra diximus, quatuor Virgilius de Aenea, quod iis Dido impulsa est in amorem ejus. Pulchritudine: *quem sese ore ferens*. Virtute: *quam forti pectore, & armis*. Ratione: *heu quibus ille jactatus fatis; quae bella exhausta canebat*. Genere: *credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum*. Item in eligenda uxore quatuor res impellunt hominem ad amorem, Pulchritudo, Genus, Divitiae, Mores. Melius tamen, si in ea mores, quam pulchritudo quaerantur. Nunc autem illae quaeruntur, quas aut divitiae, aut forma, non quas genus, aut mores commendat, sicut jam dictus Sicardus gessit. Ideo *foeminae sub viri potestate consistant*, quia levitate animi plerumque decipiuntur; unde & aequum erat, eas auctoritate viri reprimi: Proinde & veteres voluerunt foeminas innuptas, quamvis perfectae essent aetatis, propter ipsam animi levitatem in tutelam (69) consistere. Interim ad Historiae retexendum ordinem redeamus.

CAP.

(69) Idest *sub mundio*. Ita praecipue statutum in Legibus Langobardicis, quas dedi part. II. Tomi I. hujus Collectionis.

C A P. LVIII.

ROfrit vero dum Principiſſæ facta eſt ſua cognata, in ſuperbiam, atque in elationem plus magis intumuit; necnon & tyrannum omnibus hominibus ſe oſtendebat; & cum *Alfano* jam dicto *Abbate* in patulo ſaepiſſime confligtabat. Factum eſt autem, ut ipſe Rofrit fuerit miſſus cum pluribus viris per Calabriam, ſimulque & Apuliae fines a praedicto Principe, ut vectigalia exinde exigeret. Cumque regreſſus fuiſſet, cum magno gaudio ab ipſo Principe eſt exceptus; aſſignavit enim omnem videlicet cenſum, & ex ſuis ſumtibus, ut nonnulli ferunt, ducentos ei detulit ſolidos, quos ille nequaquam acquieſcere, ut eos acciperet, voluit. Illo vero diu eum obſecrante, eos recipi juſſit, atque annectit: *Poſtula a me, quod vis*. At ille: *Nil aliud a Domino meo quaero, niſi protinus mihi condonet protectionem, quatenus inimici mei ſaevitiam obterere valeam*. At Princeps plurima ei juſſit oſtendi arma, inquiens: *Quae ex his volueris, tolle*. Dum loricam, quae ſuis placuiſſet oculis, ſuo corpori induiſſet, & ſpatam ſuo lateri annexiſset, galeamque ſuo capiti poſuiſſet, lanceamque in ſua manu injeciſſet: de intus exiit foras, clypeoque bajulante. Dum muſſitatam rem Beneventani cernerent, mirati ſunt valde, aſſerentes: *Quid velit hoc eſſe*? Idem Rofrit: *Arma*, ait, *meus mihi Dominus dedit, quatenus atterere valeam inimici mei ſaevitiam*. Cumque in patulo cunctis audientibus verba talia promſiſſet, atque Alfano Abbati in hunc modum relatum fuiſſet: nimis quippe pertimuit in tantum quod miſit ad ſuos mox coëtaneos, ſuoſque ſodales, amicoſque, ut in unum congregarent ſe, & cum eis conſilium exinde iniret. Et conſilium inierunt, quatenus propriam relinquerent urbem, atque Neapolim properarent: quod factum eſt.

CAP.

CAP. LIX.

CUmque Neapolim adiissent, a cunctis terrae illius hominibus dilecti sunt valde. Et quamplurimi fuerunt ipsi viventes (*a*), qui cum Alfano Abbate illuc properaverunt; & Beneventani, & Salernitani CCCC. fuerunt; inter quos *Rodoalt* cum suo germano *Radolfo* affuerunt: *ipse Rodoald abavus meus exstitit*. Ipse saepe dictus Alfanus una cum suis, ut diximus, sodalibus per Beneventanos, Salernitanosque fines peragrantes, incendiis rapinisque cuncta, quae reperire potuerunt, demolientes, iterum Neapolim revertebantur. Cumque crebérrime talia iterarentur, praedam ovium, equorum, & de ceteris animalibus (*b*) cunctatim Neapolim deportaverunt. Cumque Beneventani agricolas denudatos (*c*) sustinere jam omnimodo non valerent, consilium inierunt, quatenus eos cum dolo superarent; & statim ad eos miserunt, ut cum ipso Principe pacem firmarent, atque per sacramenta exinde inirent.

CAP. LX.

DUm Alfano Abbati delatum fuisset, exinde mox cum suis consilium iniit, ne forte pacifica cum dolo verba ipse Princeps illis transmitteret; atque ei dicendum miserunt, quod *minime nos sub ejus ditione degemus, nisi prius Episcopus, sancti Monachi, Presbyteri, Diaconesque, seu nobilissimi viri exinde nos per sacramenta (d) firment*. Cum talia Principi *Sicardo* nuntiata fuissent, protinus per paginam scriptam eis misit promendum sacramenta: *ut dicenda misistis, vobis persolvimus*. Atque specialiter Alfanum in hunc modum videlicet per epistolam

R allo-

(a) *Juvenes*.
(b) *Cuneatim*.
(c) *Dictus Princeps, ejusque fide-les cernerent, sustinere jam omnimodo non valentes Frecc.*
(d) *Firmarent.*

allocutus est: *Jusjurandum vobis facimus* (a) *solum, quod Salernitanam urbem ingrediatis, atque mecum de vestro bonore consilium inlatis. Si vobis comparet in pristinam redire gratiam, ita fiat; sin autem, salvus regrediaris.* Dum vero Alfanus talia cognovisset, & putaret quod non dolo ipsa verba idem Princeps promisisset: unum ex suis virum strenuissimum Salernum misit, quatenus ipsa sacramenta reciperet.

Cum vero Salernum introisset & ante Optimates, qui ibi erant, & coram Principe pervenisset: ipse Princeps ut erat nequitia plenus, statim accersiri fecit Praesulem, seu Presbyteros, idipsum & Monachos, quod ipsum missum, quod Abbas Alfanus quaesivit; & totidem sacramento juraverunt, ut ipsi Abbatem Alfanum salvum ingredi, & salvum regredi facerent. Cum vero Alfano missus rediisset, & omnia, quae acta essent, intimasset: statim ipse Alfanus cum paucis venit Salernum. Dum portam ipsius Civitatis introiisset, Palatiumque properare voluisset, callidus ille Rofrit Principi hujusmodi verba depromit: *Mi Princeps, sacramentum completum est: sanus urbem ingressus est, sospes* (b) *regrediatur, atque in patibulo suspensus intereat; quatenus nempe ejus fama pervolet undique, ut talia committere minime aliquis audeat.* Haec cum audisset Princeps, turpiter eum comprehendi jussit, atque non procul ab ipsa Civitate super mare subtus viam, qua Nuceriam, Veterimque (*) pergitur, levato ligno, eum suspendi jussit. Dum vero famuli jussa Principis fecissent, atque eum comprehendissent, ipse denique, ut ferunt, valde eos exorabat, quatenus cum eo lente scilicet pergerent; atque psallendo usque ad locum pervenit; & sic exitiali morte defunctus est. Atque nonnulli ferunt,

(*) Adhuc veteris nominis vestigia supersunt; appellatur enim *Veteruio* Leandro Alberto, & *Castello Vietri* Magino.

(a) *Salvumque.* (b) *Egrediatur.*

ferunt, ab illo tempore gelu, glaciesque in tellure videlicet Salerni decidit ad fruges demoliendum.

CAP. LXI.

QUaestionem aliquam de perjurio libet me (XXXIII) huic Historiae intexere, ut possit quilibet cognoscere omnimodo, quam valde sit metuendum spernere juramentum, atque praeclarissimum Doctorem in medium adjiciam Episcopum Augustinum. Tam (70) magnum peccatum est falsum jurare, quia propter reatum falsae jurationis Dominus prohibuit omnem jurationem. Cur enim dictum est: *Non perjurabis? Ego autem dico vobis: non juratis omnino, nec per Coelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque* (a) *ad quodcumque juramentum; nec per caput tuum, quia non potes facere capillum tuum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non. Si quid amplius est, a malo est*. Dicit aliquis: cum Dominus juraverit, quare suis jurare prohibuit? Dico, quia non est peccatum verum jurare; sed quia grande peccatum est, falsum jurare. Longe est a peccato falsum jurandi, qui omnino non jurat. Dominus ergo quid prohibuit jurare? Supra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus labatur in angusto, & cadas. Aliquando & homo nolens jurat, cum verum putat, quod jurat: non est quidem tantum peccatum, quantum ejus, qui scit falsum esse, & tamen jurat.

R 2

(70) Excerpta haec fuere ex Sermone CCCVIII. Sancti Augustini secundum editionem Benedictinorum Congregat. Sancti Mauri.

(XXXIII) Heic etiam Anonymus ab historia digreditur, et cathedram veluti adscendit, ut doceat, & ad taedium usque sermonem protrahit. Is scilicet, quam praedicando Dei verbo orationem ad populum instituerat aliquando, in historia heic interserit.

(a) *Aliud*.

rat. Herodes infelix, ne Dominum offenderet perjurando, Dominum offendit saeviendo. Ecce puella petiit caput Johannis sancti: quid debuit facere Herodes? Consilium illi demus. Parce Johanni: perjurium suademus. Si dixerimus: noli perjurare, ad scelus implendum provocemus. Antequam ergo deveniatis ad istud, vim facere incipite, tollite de ore vestro temeritatis jurationem. Occurrit mihi tale exemplum. Juravit sanctus David, Nabal occisurum se esse: incautus fudit orationem, & coepit ire, ut faceret quod juraverat. Occurrit ei Abigail uxor Nabal; rogavit flexis genibus; flevit amare; a sanguine revocavit. Ecce Sanctus non quidem iratus sanguinem hominis fundit; sed eum falsum jurasse negare quis potuit? De duobus peccatis elegit minus; sed minus fuit istud in comparatione pejoris; Si quis autem te provocaverit ad jurationem, ut sibi existimet satisfieri posse, si juraveris de illa re, quam te putat commisisse, & forsitan facinora maneant in illo, in illo mala suspicis, si juraveris: tu non sic peccas, quomodo ille, qui provocavit: quicumque homo provocat ad jurationem, & scit ipsum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occidit, ille animam, immo duas animas & ejus sic, quem jurare te provocavit, & suam.

C A P. LXII.

SI verum esset quod dicis, falsum esset, quod ille dicit & jurare compellis, & jurat, & perit. Et tu quid invenisti? immo, & quia tu peristi, quia de illius morte te satiare voluisti. At illi quid dicam, quod numquam dixi caritati vestrae. Fuit hic homo simplex quidam bene fidelis a multis nostris cognitus (a) Tutus-Lymenus vocatus. Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei; vel quid commodaverat, vel quod ei debebatur, & hominis

(a) *Titus*.

hominis fidei se commisit, commotus provocavit eum ad jusjurandum; Ille juravit, iste perdidit, sed ipso perdente, ille periit. Dicebat ergo iste Tutus-Lymenus, ipsa nocte exhibitum fuisse ante Judicem in magno impetu, atque terrore; & dum pervenisset ad praesentiam excelsi cujusdam, & admirabilis viri, cui parebat officium simile excelsorum, jussum fuit perturbatum retro vocari, & interrogatus fuit his verbis: *Quare provocasti hominem ad juramentum?* Respondit ille: *negavit mihi rem meam*. Idem dixit ei: *nonne melius rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis falsa juratione opprimeres?* Prostratus jussus est caedi, caesus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed illi dictum est posteaquam emendatus est: *Parcitur innocentiae tuae, de cetero cave, ne facias*. Fecit ille quoddam magnum peccatum, & emendatus est; sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum sermonem meum, & exhortationem tale aliquid fecerit. Nunc quae obmisimus, iterum retexamus, & de perjurio pauca promsisse sufficiat.

CAP. LXIII.

Dum vero ipse Princeps post factum facinus, cum non paucis ex Salernitana urbe foras ad exercitandum devenisset, atque (a) Silarim (71) Lirinum fluvium transi

(71) Si, ut vidimus supra, Alphano vita erepta *super mare subtus viam, qua Nuceriam, Veterimque pergitur*, non intelligo, quei Sicardus, dum Silarum amnem transmearet, illius cadaver intueri potuerit. Sed alius a Silari amne fuerit Silaris Lirinus. Ego fluviolum heic indicari suspicor, e Cava in Salernitanum sive Paestanum sinum effluentem ad Occidentem Salerni. Hunc *Silarim Lirium* appellarint, ut a Silaro celebriore fluvio distinguerent. *(Prat.) Lirinus non longe a Salerno, & Cava medius effluit. Nos alibi.*

(a) *Atque hilaris Lirinum fluvium.*

transmearet, Rofrit ille callidus homo est ei loquutus: *Retro mi aspice Princeps, & nefandum pendentem aspice Alfanum*. Cum taliter ipse Princeps fecisset, statim una ex suis (XXXIV) suris obriguit, atque ab illo jam tempore sospes exinde minime fuit. Per idem tempus Agarenorum gens, cum jam Siculorum Provinciam aliquandiu tenuisset, ad nos inhians conabatur transire ad Italiam occupandam. Dum vero cum multitudine navium fretum illud transmeasset, sine mora Brundusium civitatem pugnando ceperunt. Sed dum Sicardo fuisset cognitum, statim immensam multitudinem Langobardorum jussit; & dum in unum essent congregati, ipse Princeps hujusmodi exorsus est verba: *Mei nimirum fideles estote fortes in bello, atque Agarenorum gentis nefandae nempe atterite colla. Sit vobis suffragium Dei Genitricis Virginis*. Atque haec dicens, non procul ab ipsa civitate cum ipsis pariter properavit, & illis illic relictis, cum paucis Beneventum revertitur. Cum vero adiissent Brundusium, astutissima Agarenorum gens non procul ab ipsa civitate foveas faciunt, & se de intus communiunt. Dum hac illac catervatim Langobardi graderentur, ipsi immensam multitudinem cernentes, a foris in patulo minime exiebant. Sed accidit, ut una die post prandium tubis clangentibus vocesque magnas emittentibus exiit, ubi occultae foveae erant, atque ibi ad bellum se praeparabat, dum nescientes Langobardi ipsa decipula, forti animo super eos irruerent. (a) At illi retro terga dantibus, & Langobardis eos sequi non desinentibus, pars ex eis maxima in foveis ceciderunt, reliquis terga dantibus. Agareni eos nimirum necaverunt. Ibi maxima pars Beneventanorum, Salernitanorum, & de ceteris aliis civitatibus perie-

(XXXIV) Una *ex suris* Sicardo obriguit, pars fortasse pro toto ejus crure, ex quo & claudicare, doloremque maximum sustinere coactus sit Princeps ille, perjurio commisso.

(a) *Ut eos nimirum attererent*.

perierunt; tantique ibi viri fortes propter contemtum malum & improvisum debellati sunt, quanti potuissent per unum consilium, & salubri concordia multa millia prosterni aemulorum. Cum vero confusi sua arva repeterent, atque Sicardus multorum exercitum coadunari jussisset; audito hoc ab Agarenorum exercitu, urbem ipsam, in qua morabantur, igne cremaverunt, atque Siciliam redierunt.

CAP. LXIV.

Circa haec tempora Amalfitanus populus Salernum per vim (a) transactus est in hunc modum, sicut subsequens sermo declarat. Facta est non minima dissensio inter utrumque populum, Amalfitanum (b), & Salernitanum. Itaque dum sui Regni gubernacula praefatus Princeps moderatissime gubernaret, & primi civitatis, ejus consilio, & fortitudine summa pollerent, quidam Amalfitanorum majores natu, linquentes natale solum, se hujus dominatui sponte propria subdidere. Qui cum ab eo perciperent infinita bona (c), missis clam epistolis, blande suos semper affines atque germanos monebant, quatenus propria linquerent, & ad praedicta dona quantocitius festinarent. Qui cum talibus, ut dictum est, monitis excitarentur, nequaquam huic rei acquiescere maluerunt. Interea factum est, ut Tyrrheni aequoris insulas, Ausoniaeque universa loca idem Princeps circuiret, ut quatenus corpora Sanctorum, quotquot invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Insula Liparitana (72) Bartholomaei Beati Apostoli

(72) Corpus nempe, quod non Romam delatum, sed adhuc Beneventi adservatum colitur, uti multis ostendit Eminentiss. olim Cardinalis Vincentius Ursinus Beneventi Archiepiscopus, nunc Pontifex Maximus Benedictus XIII.

(a) *Transvectus*. (b) *Videlicet*.
(c) *Dona*.

stoli corpus Beneventum cum magno gaudio deferri jussit. Cum talia Amalfitani cernerent, & metuerent, ne forte propria frustarentur Patrona, scilicet Sanctae (73) Triphomenis, cujus in portu Regino (74) illo denique tempore sacrum corpus tegebatur, plebe jam (*a*) ducta in consilium, dantibus operam natu majoribus Amalfitanorum, antequam ipsa Civitas ab inclyta Langobardorum gente desolaretur, ablata est a propria Aula, ubi erat nativa (*b*) pinus, & cum ingenti honore Amalfiam devehunt, atque in Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae ejus sacrum corpus honorifice collocaverunt. Sed dum ejus sacrum corpusculum Amalfiam transvectum fuisset, una mulier impudentior ceteris ex membris illius fecit rapinam, furtimque quod poterat, diripuit. Expleta igitur octava die, excursa in tempestate noctis, quando sopore gravi corpora fessa premuntur, in extasi *Petrus Amalphitanus Episcopus* positus, videt in visione jam dictam Martyrem Christi rubicundo pallio coopertam, atque compellatione minaci dicentem: *Cur Episcope meum tumulum temere ausus es violare, pariterque meum cunctis corpusculum revelare populis, & ex corpore meo quosdam artus violenter divellere? Nempe quia nullus pudor mei erga te fuit. Scias, te (c) proximo mori, meritoque cadaver tuum ex sepulchro expellendum.*

CAP.

(73) Cujus dies festus in ea regione celebratur Nonis Novembris. Vide Ughellium in Catalogo Episcoporum Minorensium Tom. VII. Ital. Sacr. ubi ex Anonymo nostro, immo ex Actis uberioribus hanc eamdem translationem narrat. Acta ipsa expilasse noster videtur.

(74) Ughellus legit *Reginellae*, & in altero loco *Regininae*. Locus ille temporibus nostris *Minori* appellatus, Episcopatu auctus est pro more Neapolitani Regni, ubi nunc tot pene Episcopi, quot alibi Parochi.

(a) *Dicta*. (b) *Nautica*.
(c) *De proximo*.

CAP. LXV.

HIis namque praemissis, cum non multo post ipsius terrae desolatio immineret: Langobardorum phalanx cum magna audacia a praedicto Sicardo Principe absoluta Amalfiam devênit; atque ipsa civitas sine humani sanguinis effusione scilicet capta & depopulata est. (*) Hujus siquidem civitatis loca, dum (a) hac illac pergerent, lustrando, circuierunt cubiculorum penetralia, & aditus Ecclesiarum, si forte thesauros occultos invenirent, praesertim cum opibus plurimis Amalfitani essent ditati. Tamdem aliquando veniunt ad locum, ubi Episcopus in vicino sepulchro jacebat; qui dum sperarent ob fabricae recentis obstacula, quod in Praesulis tumulo aurum, argentumque laterent, confringentes inveniunt Episcopi cadaver jam foetidum, & in monumento, compage corporis, & pene membris omnibus solutum. O incomprehensibile Dei judicium! Turba omnis (b) retrocedere coacta est, & sepulchrum dimissum est patens. Peracto igitur excidio, cunctisque moeniis dirutis civitatis, adhuc ibidem Civibus commorantibus, canes rabido ore latrantes, maturo cursu currentes abstrahunt ex tumulo praedictum cadaver Episcopi, uti vaticinatum fuerat a sancta Christi Martyre, ac eidem Episcopo revelatum, quae nos plenissime omnia diximus.

S CAP.

(*) Hinc clare patet, Amalphiam a Neapolitano Ducatu avulsam Langobardis subiisse, ut infra plenius dicendum erit. (Prat.)

(a) *Langobardi*. (b) *Fugiens*. Fr.

CAP. LXVI.

LAngobardi denique omnia, quae in ornatu ipsius Ecclesiae, ac aedibus invenerunt, diripientes, necnon sacratissimum corpus sanctae Martyris Triphomenis secum gestantes. Ita factum est, ut per circuitum cuncta depopularentur; & non solum civitatis munitio intrinsecus, sed & extrinsecus praedia cuncta concussionibus subjacerent: & sic magno cum gaudio Salernum perveniunt, atque dictum sanctum corpusculum per jussionem jam dicti Principis cum debito honore Beneventum perducitur. Revera dum una conservarentur, unusque fieret populus Amalfitanus, Salernitanusque, & ipse Princeps conabatur, quatenus Salernitani cum Amalfitanis inter se inirent connubia, & unus efficeretur Populus; Donisque plurimis utrique augerentur, tamen poenitudine moti ob Langobardorum strophan, qui eos Principi concussabant, quod Duci Parthenopensi quidam Amalfitanorum flexerunt caput (*).

CAP. LXVII.

DUm talia peracta fuissent, ipsum suum (a) germanum *Siconolfum* Beneventani concussare coeperunt, addentes, quia omnimodo satagebat, quatenus honorem Principalem arriperet. Dum hujusmodi dicta *Princeps Sicardus* audisset, nimis incunctanter talia credidit, & omnino conabatur, qualiter eum de jam dicta gloria deviaret. Quid multa dicam? eum comprehendi jussit, atque eum invitum Clericum fecit. Feruntque alii, postquam ad Diaconatus honorem eum per vim sublimasset, nec-

(*) (Prat.) *Eadem leguntur in Chr. Episc. Romualdi Guarnae, ubi enumerantur plurimae familiae Salernit. ex Amalphia oriundae.*

(a) *Eminentissimum.*

necnon & Evangelium in Ecclesia legere eum fecisset, postremo vinctum illum Tarentum misit, & in ardua custodia retrudi jussit, quae fuit olim ad receptum pluvialis aquae constructa, quam nos Cisternam nuncupamus (XXXV).

CAP. LXVIII.

His ita peractis Princeps idem cum paucis suis fidelibus ludi causa, seu arte venationis in praedium Tabellaniense (a) devenit, qui dum ibidem moraretur, atque suam conjugem accedere fecisset, atque saepissime exercitandum cum suis iret: una die accidit, ut Principissa sub tentorio resideret, atque in conca argentea pedes lavaret. Factum est autem, ut ante jam dictum tentorium quidam vir nobilissimus cum famulo suo transiret, atque verso capite eam denique vidit. Dum illa cognovisset, quod eam nudis pedibus vidisset, mox talia viro suo intimavit annectens: *Si illico exinde me non vendico, morti incumbo*. At Princeps ait: *Exinde fiat, ut comparet voluntati tuae*. Illa potestate accepta, statim famulos suos clam Beneventum misit, quatenus jam dicti viri uxorem cum verecundia ad eam accirent. Dum famuli ejus talia fecissent, atque usque ad suras (*) vestimenta abscidissent, eam abduxere, ubi fati ad tentoria degebant. Dum eam cernisset Principissa, ipsam statim per cuncta castra deportari jussit. Cum deportata fuisset ad locum, ubi vir ejus manebat, cum suis coëtaneis ad tabulam ludebat, protinus suus germanus hujusmodi eum est allocutus verbis: *Abi, mi frater, aspice, & (b) dele.*

S 2 *Ctus*

(*) (Prat.) *i. Usque ad genua, ut crura omnia denudata monstraret.*

(XXXV) Cur hic Anon. occasionem praetermiserit inquirendi, an Siconulfi Ordinatio valida, licitaque fuerit, prodigio adscribendum.

(a) *Lavellense.*

(b) *Dedecus.* Frecc.

ctus (75) *tuae conjugis cerne*. At ille nihil ei respondit: erat enim ardens in animo suo, atque ipse ad tabulam ludebat; & eam minime vidit. Alia nempe die idem Princeps, ut mos est, cum suis Optimatibus cum accipitre (XXXVI) juxta aquosa loca gradiebatur, quatenus quaslibet aves caperent. Qui dum accipitrem suum (ut fama est) mitteret, & unam coturnicem unguibus captasset, ad castra reversi sunt. Dum tentorium ipse Princeps adiisset, vir ille, cujus uxor foedata fuit, hac illac discurrebat, quatenus inveniret (*a*), qui eum adjuvaret ad vindicandum suum dolorem. Sed cum non paucis de ipsa re ad alium annecteret, & vicissim inter se sermocinarentur: factum est, ut Nannigo inde transiret. Quem cum ii vidissent, protinus eum vocaverunt, atque ei omnia intimaverunt. Ille ut talia audivit, nimis gavisus est, annectens: *Nisi extemplo talia committimus, statim ejus ditioni intimabo*. Illi vero statim ad ejus tentorium venerunt, atque extracto gladio non paucis plagis eum peremerunt. Ferunt namque nonnulli, quod dum illi tentorium introiissent, & ipse Princeps Nannigonem ibidem cernisset, tale fertur dedisse responsum: *Misericordiam*, ait, *Nannigo nunc mihi facite*. Ille denique respondit: *Mihi mea facinora Deus minime indulgeat, si ego indulsero tibi*. Et sic, evaginato gladio, eum penitus sauciavit, atque nimirum de hac vita extinxit. Suam conjugem *Adelchisiam* nomine, de qua supra mentionem fecimus, cum verecundia consanguinei sui Beneventum deducunt.

Et

(75) Amanuensis errorem puto. Num *delictum*? Opprobria posceret locus.

(XXXVI.) *Cum accipitre*. Etiamnum apud Principes accipitris ludus, seu venatio ad capiendas aves viget, qui *Il gioco dello sparviere* vulgo nuncupatur; de quo frequens apud scriptores mentio, ab iisque describitur.

(a) *Virum*.

Et merito, quandoquidem per vim illa, suusque vir multas incommoditates aliis intulerunt, necesse fuit, ut quandoque & ipsi pejora horum perciperent. Ajunt plane non pauci, & verius est, quod ipsa *Adelchisia* filia fuisset *Dauferii*, qui cognominatus fuit *Mutus* propter impeditiorem suam linguam. Eo vivente, Princeps Sico suum filium per ordinem, quem supra diximus, Sicardum, ea videlicet admonuit futura.

CAP. LXIX.

Igitur dum Sicardus fuisset (76) extinctus (a)(XXXVII), Beneventani *Radelchis Principem* sublimarunt, qui tenuit (b) pacifice Principatum tantum duobus & dimidio anno. Sed, ut mos est Principibus, seu Regibus in sui inchoatione honoris, plures ex una urbe idoneos viros exturbant; & sic ille conatus est facere, atque non paucos ex Beneventanis exiliavit, inter quos *Dauferium* cognominatum *Mutum* cum suis natis, qui in finibus perrexerunt Nuceriae in loco, ubi Forma (*) dicitur.

Comperta evidentius *Sicardi Principis* morte, populus Amalfitanus illico (c) sanctuariis Dei ornamenta diripiens, igneque supposito, antiqua civitatis (77) moenia concremans (d), cum ingenti gaudio ad propria reversus est. Ajebant Amalfitani vicissim inter se: *Ille, qui nobis opes varias tribuit abundanter, extinctus est. Veniet ignotus alius: (e) in servitutem nos deducet, filiasque nostras*

(*) (Prat.) *Nunc fort. locus vulgo Scafati vocitatus.*

(76) Id factum anno 839. & quidem post mensem Martium, ut ex Charta Chronici Vulturnensis part. II. Tomi I. hujus Collectionis.

(77) Idest Salerni, quo se antea Amalphitani receperant.

(XXXVII.) Occisus fuit Sicardus ut alibi explanabimus. Princeps XI. Kal. Julii ann. 839.

(a) *A. 839.*
(b) *Totum.*
(c) *Def. a.*
(d) *Concremando.*
(e) *Qui nos videlicet, opprimet, filiasque.*

ſtras tollet, & ſuis ſervis dabit. Proinde Salernum reliquerunt, atque ad propria redeunt, atque, ut diximus, opes varias abſtrahunt, ditatique ſunt valde: quia illo tempore per ſua praedia Salernitani degebant, & menſis Auguſti eo tempore percurrebat: proinde Amalfitani talia operarunt.

Exiliati interea, dum aliquo tempore perduraſſent, noviſsime jam dictus *Dauferius*, una cum *Guaiferio*, *Majoque* ſuis filiis clam legationem Salernitanis mittunt, aſſerentes: *Tam* (*a*) *praeclariſſimam urbem, qualem vos obtinetis*, & (*b*) *ſub ditione Beneventi perſiſtitis, valde etenim videtur eſſe ignaviae. Si veſtrae nobilitati comparet, clam Tarentum mittamus, quatenus annuente Deo, Sichinolfum* (*c*) *illinc acceſſamus, ipſumque Principem ſublevemus; & nobis, vobiſque tunc felicius fuerit, cum tantae dignitatis faſtigium obtineamus*. Dum in hunc modum Salernitanis relatum fuiſſet, exinde gaviſi ſunt, adnectentes: *Talia valemus minime facere, niſi ſuffragium Amalfitanorum obtineamus. Forſitan per mare ipſum videlicet furabimus*. Quapropter Amafitanis (*d*) miſerunt, necnon per Epiſtolam in hunc modum verba promſerunt: *Incendia, rapinas, aut qualeſcumque incommoditates in noſtra urbe geſſiſtis: ſint vobis dimiſſae. Unum eſt, quod petimus, ut ſecrete omnimodo nobiſcum decertetis, quatenus Sichinulfum germanum defuncti Principis noſtri erga nos obtinere valeamus*. Ut talia Amalfitanus Populus comperit, valde gaviſus eſt, atque ut id fieret, clam moliebatur, & inter ſe per jusjurandum exinde firmati ſunt. (*e*) Et partim Salernitani, partimque Amalfitani navim aſcendunt, iterque arripiunt. Sed cum Tarentum adiiſſent, partim ex eis urbem ingreſsi ſunt, partim in navi relicti ſunt. Dum mixti Salernitani cum Amalfitanis per civitatis plateas graderentur, necnon mercimonia ſecum geſtan-

(a) *Talem.* (b) *Eſſe* C. Fr. (c) *Sikinolfum captivum illinc acerſamus.* (d) *Amalphiam.* (e) C. Fr. *Salernitani, Amalphitanique navim.*

gestantes, fictilia videlicet vasa, seu quaslibet alias res; & tota die properarent, quasi negotiatores, dum finis diei data fuisset: illi, ut diximus; hac illac gradiebantur, quasi Mauri *(a)*, & hujusmodi emittebant voces, quatenus aliquis eis daret mansionem. Sed dum approximabant *(b)*, ubi ipsi catervatim (78) degebant, voces claras emittebant. Haec auribus carcerarii accipientes exinde & ipsi voces emiserunt, asserentes: *Scopis mundatam domum nimirum habemus: venite, & hac nocte hic manete, & quodlibet munus exinde date*. At illi dixerunt: *Et vobis damus munera, & grates referimus multas*. Dum illorum domum Salernitani, & Amalfitani ingressi fuissent, statim plures ex numismatibus carcerariis dederunt dicentes: *ad forum pergite, dapesque nobis emite, necnon praecipua vina, diversasque potiones, quia valde sumus fessi, longo itinere gradientes*. At illi sumto pretio adierunt forum..

CAP. LXX.

Erat tunc ipsa civitas *(c)* opulentissima, minimeque ab Agarenis adhuc attrita. *(d)* Dum carcerarii remeassent, detulerunt secum vina praecipua, variaque potionum genera, cibariaque optima. Cum vero Salernitani cum Amalfitanis, carcerariisque simul recumberent, atque vicissim, ut mos est, verba protelarent *(e)*: Salernitani, Amalfitanique hac *(f)* arte carcerarios deluserunt: pocula aqua implebant, & ipsi eam propinabant (*); carcerarii

(78) Scribendum omnino videtur *carcerati*, aut *catenati*. Locum enim appetebant, ubi in carcere detinebatur *Siconolfus*, defuncti Principis Sicardi frater.

(*) Propinabant pro potabant.

(a) *Incerti.* C. Fr. *Macti* Bol.

(b) *Approximarent, ubi ipsi carcerarii degebant. Aegypt.*

(c) *Tarenti.*

(d) *Qui quidem carcerarii cum remeassent. Aeg.*

(e) *Protelarent*. Fr. al. *protulerunt*. Bol.

(f) *Hac nocte.*

rarii portantes (*a*) ut hii de vino biberent. Similiter & vina optima ipsi potabant. Et dum valde essent temulenti, major (*b*) ex iis omnimodo talia fertur verba promisisse: *Nos opprimit sopor; jam denique dormiamus*. Salernitani ajebant: *Iterum optimum vinum potemus*. Illi jam dementes effecti dixerunt: *Nimirum sic faciamus*. Statim oblata sunt vascula plena, atque illi funditus ea potaverunt. Dum vero Langobardi (*c*) Amalfitanique talia cernerent, e vestigio cum omni solicitudine & arte, qua poterant, carcerem ingrediuntur. Sed cum Siconolfus talia comperisset, pavor opprimit eum; putabat nempe, ne forte aemuli ejus essent, qui eum saepe angebant. Sed cum ei Salernitani omnia intimassent, & quare ad eum venissent (*d*), recipit (*e*) vires. Sic denique Dei nutu foras eum abstrahunt, & mature ad navem deducunt, atque cum omni nixu satagebant, qualiter Salernum in proximo adirent. Quid multa dicam? Deo annuente fulcantes aequora, mari tranquillo ovantes Salernum veniunt, atque ipsum met *Siconolfum* (*f*) *Principem* sublimarunt.

C A P. LXXI.

ADelchisi Rofrit filius apud Beneventum omnimodo satagebat forsitan aliquo modo Principalem honorem invaderet, & suus cognatus Landulfus Comes Capuanus exinde eum omnimodo adjuvabat. Factum est una die ipse Adelchisi dum (*g*) Balneum perrexisset, atque cum non paucis suis coëtaneis juvenibus Palatium adiisset. Cum eos cuneatim per Palatium Princeps Radelchisi conspiceret, valde iratus est, atque cum saevitia talia fertur verba promisse, inquiens ad suos. *Protinus gradite, eumque citius comprehendite, moxque per finestras Pala-*

(a) *Putantes, ut sic & ii de vino valde.*
(b) *Madidique.*
(c) *Salernitani.*
(d) *Venirent* Fr.
(e) *Suas recipit.*
(f) Def. *in.*
(g) *Balneorum usum Langobardi a Romanis accepere.* (Prat.)

Palatii foras dimittito, quatenus lapsus ex alto sine mora intereat. Cum vero sui familiares talia fecissent, atque jam dictus Landulfus talia cernisset, excusationem mox intulit; inquit: *Subitaneus dolor praecordia mea nimirum invasit*; atque curvus per Palatium gradiens, quasi minime recte ambulare valeret, sic usque ad suam pervenit domum; moxque ascenso equo, cum non paucis suis fidelibus Capuam properavit: ajebat quippe: *Nequaquam sinat me Deus habitare in urbe, unde de alto homines praecipitantur*.

CAP. LXXII.

Siconolfus dum talia audisset; statim (*a*) Landulfo intimandum direxit, quatenus cum ipso pacem iniret. Ille vero, ut talia audivit, valde gavisus est, atque ei in responsis omnem voluntatem scilicet adimplevit. Idipsum Acherentiam, Consamque intimandum misit, quatenus suus cognatus Ursus, qui praeerat Consanis, nec non suus alius cognatus Radelmundus, qui & illo tempore Acherentinis praeerat, venirent, & eum ad obtinendum Salernitanum Principatum omnimodo adjuvarent. Illi talia audientes; magno gaudio sunt exinde repleti; moxque cum suis Salernum venerunt, & Principi Siconulfo jusjurandum juraverunt. Ut talia Radelchisi Beneventanus Princeps comperit, nimium iratus est, omnesque Beneventani furore repleti sunt, nec non & ad bellum sunt praeparati, annectentes: *Nituntur nobis jugum imponere, & cervicibus nostris: pugnemus, qualiter colla atterere valeamus: nostri denique incolae adversus nos consurgere autumant*. (*b*) Vereor ne a quodam Sophista reprehensionem habeamus. Incolae, sive advenae utique adventicii perhibentur, quae cuncta ex vocabulo Graeco, quod

T est

(*a*) Vide Erchemp. n. 15. Ignot. Cassin. num. 8. Ostiens. lib. 1. cap. 23. & 24.

(*b*) Rigordus in Præfat de Philippo Rege. pari modo elocutionis suae formam tuetur.

est (a) *benicon*, in Sacris Literis habemus interpretata. Ex his derivantur nomina, incolatus, & inquilinatus. trahit autem inquilinus, sicut & peregrinus nonnunquam Dativum casum, ut (b) Augustinus de reprobis. *Sunt autem & ipsi peregrini, & inquilini, non huic terrae, sed Populo Dei, a quo sunt alienigenae* (c). Haec me dixisse sufficiat: nunc quae obmisimus, delicatius perquiramus.

C A P. LXXIII.

R*Adelchis* collecta multitudine hostium (& ut plurimi ferunt, cum equitibus (d) XXII. millia fuerunt) Salernum pervênit. At Salernitani, Capuani, Aggerentini, nec non & Consani, & Amalfitani cum magno apparatu exierunt obviam eis, & haud procul a Salernitana civitate (e) bellum nimirum inchoarunt. Sed *Siconolfus Princeps*, cum ceteris suis forti animo pugnantes, Beneventanis inferebant undique clades, atque non pauci ex eis sauciati in terra prostrati sunt, & non exigui ex eis extincti sunt. Dum Beneventanus exercitus suorum interitum conspiceret, in fugam conversus est, relinquensque omnem suppellectilem, vix ex eorum manibus absque armis fugerunt. Sed dum Salernitani eos persequi non desiissent, plurimos ex eis comprehenderunt, atque magno triumpho ad propria redierunt, adducentes secum spolia multa, ditatique sunt valde. Inde ipse Siconolfus validum exercitum congregans (f), sine mora Beneventanos fines invadit. Sed dum Beneventanis fuisset cognitum

(XXXVIII.) *Rota*: Locus non longe a Salerno urbe orientem versus, de quo alibi oppurtunius.

(a) Ita Papp. Codd. omnes.
(b) D. Aug. in Psalm. 118. concione 8. agens de Infidelibus.
(c) *Ad ludimagistri nugas redit etiam nolens Anonymus*. (Prat.)
(d) *Sais* XVII. *millia erant*.
(e) *In Rota* XXXVIII.
(f) *Ingrediens*.

tum, repente ex urbe egressi sunt, & contra Salernitanos totis viribus pugnaturi pervenerunt. Dum utraeque acies approximassent, moxque (a) bellum inchoant: tamdem Salernitani terga dantes, quamvis non pauci ex eis sauciati, suos repedant fines.

CAP. LXXIV.

CUm vero talia peracta fuissent; non parva dissensio inter Salernitanam, & Beneventanam civitatem exorta est; atque vicissim inter se denique consurgebant. Sed dum creberrime talia iterarentur, audito hoc ab Agarenorum gente, generalem faciunt motionem; Calabriae (XXXIX) fines adeunt, circumque loca pervadunt. Tarentum veniunt, eamque sine mora ceperunt. Inde ipsi in Apuliae fines perveniunt, pene omnes civitates Apuliae depopulantur; homines, qui ad instar segetum excreverant, occidunt. Compertâ eorum famâ Salernitani, atque Beneventani statim, ut unus Princeps alium superaret, Agarenis legationem mittunt, quatenus cum eis foedus inirent. Illo denique tempore super Agarenos quidam nomine *Saothan* (b) praeerat, atque in civitate Bari denique residebat (XL). Alius Agarenus *Apollafar* (d) nomine Tarenti degebat, & ipse illo tempore Agarenis, qui in Calabriae finibus demorabat, praeerat. Cum conspicerent,

(XXXIX.) Saraceni e Sicilia transmearunt, ut sibi Langobardorum divisio ad illorum Principatum occupandum opportunam praeberet occasionem. Hic quidem Barbarorum semper mos fuit, in Christianorum Principum dissidiis proficere; sicque illorum in dies regna, insulasque complures suo subjugarunt imperio. Pudenda quidem labes, ac fidelibus Christianis indignum dedecus!

(XL.) Quasi duas diversas, ac inter se divisas provincias Saraceni possidebant: quarum una Apulia, cujus caput Barium: altera Calabria, cui Tarentum praeerat. Haec utique causa fuit, ut Beneventi, ac Salerni Principatus in pejus omnino ruerent, atque everterentur, ut infra.

(a) *Mox bellum inchoatum est.*
(b) al. *Saodan*, *Saolan*.
(c) al. *Apolofar*.

rent, quod a Langobardis pro pacis foedere alternatim vehementer efflagitarentur, plus eorum colla se obdurabant, atque in hunc modum Beneventanis Legatis verba promserunt: *Vobiscum omnino pacem inimus* (a); *sed cum Salernitanis foedus minime intramus*. Hoc autem dicebant, quatenus eorum terram praedari valerent: quod factum est. Dum vero copiosa multitudo plebis Agarenorum Beneventum venisset, & Princeps Radelchisi eos cum honore recepisset, statim per Salernitanos fines eos denique misit. Et dum juncti Beneventani, Agarenique graderent, nimirum omnes, quos inveniebant, nempe debilitabant; & quicquid reperire poterant, demoliebantur.

Sed dum Agarenorum gens absoluta a *Radelchisio* Apuliam reversa fuisset, statim, *Siconulfus Princeps*, sic uti auribus audierat, ut Radelchisi Princeps Beneventanus non parvam thesauri copiam Ecclesiae Dei Genitricis abstulisset, atque Agarenis ipsum scilicet condonasset: sic idem Siconulfus Ecclesiam Dei Genitricis Sedis Salernitanae ingressus est, atque exinde auri copiam abstrahens Tarentum ipsum videlicet misit (XLI), quatenus Apollafari ipsum daret, eumque vehementer efflagitaret (*b*). Hoc dum fuisset factum, mixti Salernitani cum Agarenis per fines Beneventanos peragrant, incendia miscent, atque plurimos hominum enecant. Pene non procul a Beneventana civitate perveniunt, omnia diripiunt, Salernum redeunt Saraceni nimis onusti. Dum vero una die Princeps Siconulfus cum ipso Apollasar ad exercitum foras devenissent, necnon vicissim inter se, sicut mos est, cum equitibus consurgerent, atque exinde

(XLI.) Non hanc solummodo dissidii causam fuisse puto; sed alias quoque, ob quas Siconulfus Saracenos vel parvi pendebat, vel cum iis praedas dividere cogebat; ut ex verbis paulo infra colligi posset: *Salernum redeunt Saraceni nimis onusti*.

(a) *iniemus*.
(b) *Qualiter Salernum cum non paucis veniret. Sed dum fuisset*.

exinde utrique gauderent, Salernum nimirum redeunt. Sed dum ſcalas Palatii adiiſſent, per eaſque aſcendere maluiſſent, Princeps Siconulſus cum eo nimirum ludebat; atque apprehenſo ejus brachio, niſu quo valuit ſuper gradum, in quo ſtabat, altius eum elevans, eum in tertio ſuperiore gradu depoſuit & amplexatus eſt eum, & oſculavit. Ille vero alta trahens ſuſpiria, tamdem in vocem erupit: *Ab hodierna die me minime habebis amicum, quia probaſti, illuſiſtique mihi*. Erat denique ipſe Agarenus natura puſillus, & animo, & viribus pollens: Dum illa Princeps audiret, & diceret, quia *non pro dolo, ſed pro delectatione talia geſſi*: ille per Dominum Coeli juravit, ut minime jam cum ipſo foedus iniret. Statim ex urbe cum ſuis egreſſus eſt, & callem, quem reliquerat, iterum repedavit, Tarentumque ſcilicet remeavit. Illico Beneventum miſit, quatenus (a) cum Principe Radelchiſio foedus iniret. Ut talia Radelchiſi audivit, valde gaviſus eſt, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur., & nimirum inter se foedere ſunt uniti, exinde cum paucis Apollafar adiit Beneventum; ubi cum veniſſet, cum magna ſolemnitate eum Radelchiſi ſuſcepit, necnon per jusjurandum inter se ſunt firmati. Statimque Tarentum miſit, ut totus ſuus exercitus Salernitanos fines invaderet, atque funditus eos ſubverteret. Ut talia Agarenis nuntiata fuere, protinus Salernitanos fines adeunt, & quicquid reperire poterant, nimirum demoliunt; perveneruntque ad fluvium, qui Tuſcianus (XLII) dicitur; hac illacque decurrentes, vaſtanteſque omnia, & homines, quotquot reperiri poterant, denecantes, alioſque ſecum geſtantes; & ſic cum magno gaudio ad propria redierunt, ſpolia multa nimirum ſecum geſtantes.

CAP.

(XLII) Tuſcianus Fluvius ultra Salernum Mill. *VIII*. circiter Meridiem verſus, qui Salernitanam juridictionem a montis Corvini Diaceceſi dividit. Adhuc in littore, quo in Mare ſe exonerat Fluvius, *Turris* extat, quae vulgo *Tuſciani* appellatur. Hinc etiam populi circa illum incolentes *Tuſcianenſes* vocati-

(a) *Statim*.

C A P. LXXV.

COmperto igitur evidentius a Siconulfo Agarenorum adventu, illic ſtrenuiſſimos ſuos Optimates aliquando ſcilicet tollens, ad ſuum cognatum *Guidonem*, (*) *qui illo tempore Tuſcis* (79) *praeerat*; miſit, quatenus ſine mora veniret, ſuumque cognatum ab oppreſſione Agarenorum liberaret. Ut relatum *Comiti Guidoni* in hunc modum fuiſſet, (*a*) cum valido exercitu Salernum venit, & ſtatim utcumque cum ſuis cum magna audacia veniunt Beneventum; & dum muros civitatis properaſſent, unus ex Salernitanis in hunc modum verba depromit: *ubi eſt* inquit, *Ferrarius* (80) *veſter? aut quid agit?* Cui protinus eſt reſponſum: *Forſices fingit, quatenus Clericum* (81) *veſtrum tondeat*. Ipſe Radelchiſi; aliquando in adoleſcentiae ſuae tempore, cum Aurifices plurimos Beneventum haberet, eorum domos peragrabat, quatenus exiguum ſaltem ex ipſa arte diſceret, ſicut mos eſt quippe juvenibus; ſed quantum ad genus pertinet, ex illuſtribus & ex magno ſtigmate (*,) fuit nimirum natus. Tuſci plane, necnon

(*) Nempe ſeniorem, Spoleti Ducem, in Annalibus Francorum celebrem.

(79) Immo *Spoletinis*. Erchemperto quoque num. XVII. Tom. II. Rerum Italicar. iſta eadem memoranti appellatur *Dux Spolitenſium*. Attamen idem Scriptor infra num. XXV. *Tuſcos* pro Spoletinis accepiſſe videtur. Adi, ſi lubet, Valeſium in Notis ad Panegyr. Berengarii Tom. II. pag. 389. hujus Collectionis; ceterum iis temporibus Adelbertum, Marchionem ac Ducem, Tuſciae praefuiſſe exploratum eſt.

(80) Ideſt *Radelchis* Beneventanus Princeps. Quare ita appellatus fuerit, illudendi, ut puto, cauſa, infra Scriptor noſter nobis ediſſerit.

(81) Hoc eſt, *Siconolfum* Salerni Principem. Clericum ideo irriſionis cauſa eum appellabant, quod a Sicardo fratre, ut ſupra viſum eſt, Diaconatum amplecti coactus fuerat.

(*,) (*Prat.*) i. Stemmate, ſeu genere, ac familia.

(a) *Statim cum*.

necnon Spoletini, simulque Salernitani undique Beneventum circumdant; crebrissime fortiter eam expugnabant; omnia extra urbem ferro & igne devastant, qualiter eam attribuere suo juri valerent; sed Beneventani, Agarenique de intus fortiter resistebant eis.

CAP. LXXVI.

FActum est autem, ut una die Agarenorum Dux Apollafar ad portam ipsius civitatis staret, atque dum Tuscorum, Spoletinorum, Salernitanorumque hinc inde exercitus per tutissima loca deambularet, castra illorum ipse exploraret, & quotquot conspiceret extra castra gradere, illico suo cum armigero Alim nomine super eos irruebat, atque plurimos ex eis in terram prosternebat. Cumque saepissime talia ageret, necnon multos ex eis sauciaret, atque jugularet: factum est, ut Guido cum suo armigero Fraumisi nomine illuc transiret. Ubi ipsum Apollafar vidisset, erga eum minime consurgit; sed mox Radelchisi acclamans, ei in verbis talia dixit: *Per Dominum magnum* (sicuti jurare solitus erat) *si cras talia peragit Guido, qualia hodie gessit, vinctum in hac urbe cras illum tibi demonstrabo*. Cui protinus Radelchis: *O si talia ego cernissem, vestrae virtuti triumphus accresceret, & nostrae patriae salus adveniret*. Alio die mature ad locum praedictum Apollafar cum jam dicto suo armigero venit, & Guidonem expectabat. Dum ex more Guido cum jam dicto armigero suo juxta civitatis moenia hac illacq; graderetur, quatenus inveniret locum ubi sui pugnare valerent, Apollafar eum vidit, atque ascenso optimo equo, una cum suo armigero a tergo Guidoni venit, atque (a) attincto Guidone cum magna virtute super eum irruit, ejusque ga-

(a) *Atque absconse cum magna lcam forti ictu. virtute super eum irruit, ejusque ga-*

galeam fortiter ictu percuſſit, eamque ſuper faciem illius obduxit, ita ut minime videre valeret; apprehenſaque (a) equi (82) retina, celeriter eum Beneventum ducebat, & armiger illius retro ſaepiſſime Guidonis equum hoſtis tundebat. At ille in extaſi denique erat, & quicquid ageret, penitus ignorabat. Sed praedictus Guidonis armiger cum talia cognoviſſet, moxque equum, ſuper quem reſidebat, cum calcaribus nimirum cruentavit, atque ſuper Alim Apollaſar armigerum cum fortiſſimo animo venit, & cum niſu, quo valuit, corpus illius lancea perforavit. Ut ſuum armigerum Apollaſar extinctum vidiſſet, protinus Guidoni equum reliquit, ipſumque Guidonem lancea, quam manu gerebat, in pectore forti ictu percuſſit, perforavitque ejus loricam, & in exiguum eum in pectore ſauciavit. Dum vero Guido relictus fuiſset, atque in pavore eſſet, ſimulque minime teneret ejus equum (nimirum Apollaſar ſequebatur): ſed ſuus armiger ejus concedit equum, (b) eumque in fronte percuſſit, retroque eum ſine mora compulit ire. Et dum ſauciatus Guido caſtra repeteret, illico ad eum omnis populus fluxit, atque ſigillatim eum percontabant de inſolita re, quae acciderat. Ipſe vero minime eis reſponſum reddebat (c); ſed dum ſeriatim ab ejus armigero nuntiatum fuiſſet, protinus arma arripiunt, totiſque viribus ipſam urbem pugnare coeperunt, intantum ut non pauci ex ea urbe vulnerati, atque aliquanti extincti ſint. Hiis ita geſtis, ortus eſt veſper, & jam feſſi tentoria redierunt.

Alia vero die Guido una cum Siconulfo, ceteriſque aliis

(82) Ideſt Habena, ſecunda ſyllaba brevi. Hinc habes, quam antiqua origo ſit, & uſus Italicae vocis *Redine*, *Redina*. *A Retineo* prodiit vox *Retinaculum* pro loro ſive habena equorum, Virgilio in Georgicis uſurpatum. Ex *Retinaculo* efformata *Retina*.

(a) al. *Apprenſoque equi retinatu.*

(b) In Cod. Frecc. *Qui in eum inſiliet.*

(c) Cod. Frecc. *Sed potius ex intimo cordis ſuſpiria videlicet attrahebat; ſed dum.*

aliis Optimatibus inter se consilium iniunt, quatenus Guidoni (83) foedus ulcifcere valeant. Sed dum simul sunt congregati, ipse Guido tunc promit talia verba: *Dicite*, inquit, *mei fideles, meique consanguinei: quid faciam de verecundia, quae mihi nimirum hodie accidit*? At illi nempe hujusmodi verba promserunt: *Tamdiu quippe urbem hanc cum multis machinis expugnemus, donec per vim eam nostris viribus obtineamus, eamque funditus depopulemus, tuumque foedus pariter ulciscamur*. Comes inquit: *Nequaquam talia faciamus; sed antea legationem illis prorsus mittamus, ut quatuor (a) Agarenos statim in nostra ditione mittant. Si renuunt talia facere: quod estis fati, omnimodo facere satagamus. Et si nostrae voluntati obtemperant, Agarenorum colla trindemus (b); & cum eis pacem denique iniamus*. Dum Legati Guidonis civitatem ingressi fuissent, necnon Principi Radelchisi omnia, quae praediximus, intimassent: ille cum suis exinde consilium iniit, & inito consilio Legatis depromit talia dicta: *Rem, quam poscitis, nequimus facere hodie: cras omnino satagemus, quatenus vestram voluntatem adimplere valeamus*. Die autem alia in stratu, in quo Apollasar dormiebat, armatos milites misit, eumque comprehenderunt, & ad portam civitatis cum nudis pedibus detulerunt. Dum eum nudis pedibus Radelchisi vidisset, mox talia verba depromit: *Ad suos*, inquit, *nudis pedibus eum defertis*? At Apollasar verso capite, torvoque aspectu promit talia di-

V cta,

(83) Ideft opprobrium. Liutprandus Rex in Lege 82. Lib. VI. part. II. Tomi II. hujus Collectionis simili voce utitur, inquiens: *Cui talem turpitudinem fecerit*. Praeterea in Lege 47. *Senatoris filia* ff. de Ritu Nuptiar. nobilis mulier, quae corpore quaestum fecerit, libertino impune nubere potest, *nec enim honos ei servatur, quae se in tantum foedus deduxit*. Suspicatur Aleander, legendum ibi *scelus*, sed sine tabulis. Tum illic, tum apud nostrum adhibita est vox *foedus* pro re foeda, sive foeditate. Supra etiam vidimus, *foedare mulierem*.

(a) *Quatenus Agarenos*. (b) *Trincemus*.

cta, & sputum contra Radelchisim projiciens, inquit: *Non habens curam de capite nostro, de pedibus nostris perquiris?* At ille cum rubore mox inde se movit, & ipsum Apollasar cum omnibus suis subditis ad Guidonem misit. Ille vero statim eos puniri jussit.

C A P. LXXVII.

DUm talia peracta fuissent, Beneventani una cum suo Principe de intus veniam poscebant, munera necnon plurima promittebant (Siconolfus enim omnimodo satagebat, ut minime Guido ad sensum illorum cor inclinaret) & ad ipsum iterum atque iterum talia gestare maluerunt: ut ad propria ipse Guido reverteretur: sed minime illorum annuit precibus. Sed dum cernerent Beneventani, ut minime postulationes eorum audiret, mille promittunt solidos, (a) tamen ut medietatem Principatus quem Sicardus tenuerat, Radelchisi cederet, & medietatem Siconolfi juri nimirum traderet. Hoc audito Guido exinde cum suis consilium iniit, qualiter exinde quid ageret, ei indicarent. Illi vero in hunc modum verba promserunt; *Prolixo enim tempore hic manemus (b): si vestræ eminentiæ comparet, jam ad propria revertamur; atque inter se (c) spatiosam dividant terram, quia ambobus sufficit, atque eorum subditis*. Dum vero omnia Siconolfo fecisset cognita, illico tale fertur dedisse responsum: *Omnia, quæ vestræ sublimitati comparent, nos illico adimplemus. Volueram ego Principatum obtinere, scilicet quemadmodum genitor, germanusque meus dominaverunt. Nunc vero qualiter vobis comparet, taliter peragamus*. Statim ad ipsum Beneventum miserunt, qualiter Radelchisio in hunc modum verba prædicerent, ut citius Principatum ipse cum suis divideret. Moxque cum suis Radelchisi consilium iniit, quatenus ipsum Principatum dispar-

(a) al. *Tantum*. (b) al. *Morabimur*. (c) *Alternatim*.

partire valerent: sed nequibant mox talia adimplere. Protinus (a) ex Beneventanis Toto nomine hujusmodi verba depromit: *Quid (b) nostris viribus obtinendum traditis, si ventura hac nocte ipsum dispartio?* Deinde ait Princeps: *Nequaquam acquiesco sermonibus, quia omnimodo talia (c) adimplere valebis*, id ipsum, omnisque populus hujusmodi verba promebant. Iterum ipse Toto: *Quantum, ut jam dixi, id mihi dabis, si ego, quod pollicitus sum, adimpleo?* Item Princeps ait: *Pete quod vis*. Ille vero quoddam Castellum ab eo exposcit. Idem Princeps: *Facilem rem postulasti; & tantum, si perficis quod promisisti, statim illud juri tuo trado*. Ille namque ut erat astutus, ipsa nocte mirabiliter dividit illud, matureque surrexit, & Palatium adiit, & omnia, quae gesserat, eis intimavit, annectens: *Si placet, his finibus terminetur*.

Inter (84) *Salernum (d), Tarentum, Latinianum, Cassanum, Cusentiam, Malbitum, Misiniam (e), Compsam, Montellam, Rotam, Salernum, & Sanctum Severinum. De Salerno, Sarnum, perparvulum Castrum, Cimiterium (f), Furlile* (85) *locus; Capua, Tianum, Sora, & medius Castaldatus Acheruntinus, qua parte conjunctim est cum Latiniano, & Compsa. Inter Beneventum & Capuam sit finis ad Sanctum Angelum ad Cerros, & perexiens per Serram Montis-Virginis, usque ad locum, qui dicitur Fenestella. Inter Beneventum, & Salernum sit finis ad locum, qui dicitur ad Pellegrinos (g), ubi est ex* V 2 *utra-*

(84) Prostat Charta divisionis factae anno 851. inter Radelchisum, & Siconolfum, Tom. II. pag. 260. Rer. Italicarum.

(85) Peregrinius habet *Furculum*, & *Furculis*. (*Prat.*) Ita omnino legendum est.

(a) *Unus.*
(b) *Quid mei viri, al. quid nostris viris ad.*
(c) *Minime.*
(d) *Et Beneventum.*
(e) *Misanianum al. Misinianum.*
(f) *Furcle.*
(g) *Peregrinos.*

utraque parte XX milliaria. Inter Beneventum, & Consiam sit finis (a) idipsum Stafilum ad Frequentum, ubi & antiquo XX. milliaria sunt per partes.

C A P. LXXVIII.

DUm talia Princeps Radelchis una cum suis Proceribus audissent, mirati sunt valde, atque inter se exinde invicem nimirum colloquebantur, asserentes. *Quis talia temerarius ausus esset & promere, & perficere, sicuti Toto perfecit?* Statim per scriptam paginam, Siconolfo, Guidonique mittunt nuntiando. Dum paginam quidam ex eis legisset, nimirum & ipsi valde sunt mirati, & exinde statuerunt (*b*), quatenus ante obtutum *Ludovici Regis* talia firmarent, & ipse Guido mille solidos jam dictos tollens una cum suo cognato, (*c*) populum Beneventanum deferunt, & ad propria redeunt. Atque plurima dona Guidoni suo cognato Siconulfus denique dedit, & sic nempe ad invicem sunt sequestrati.

C A P. LXXIX.

AB illo denique tempore Salernitani peculiarem obtinent Principatum; & ipsum foederis scriptum in hac Salernitana urbe adhuc hactenus manet, & sufficienter ab illustrissimis viris nimirum (*d*) firmatum. Et (*e*) tantum nomina illorum non praetermittat. In primis *Radelchisi* Princeps propria manu scriptus inibi erat. Id ipsum *Majelpoto*, *Rofrit*, *Bernardus*, *Toto*, *Johannes*, (*f*) *Tasillo*, *Guala*, *Douferi*, *Matenolfus*, *Poto*, *Petrus*, *Cardelaitu*, (*g*) *Gualeiri*, *Ermengardus*, *Adelchisi*, *Tassilo*, *Ro-*

(a) *Ad ipsum.*
(b) *Et exinde & inter se statuetunt:*
(c) *Secumque.*
(d) *Reperivimus cum firmatum.*
(e) al. *Tamen.*
(f) *Tassillo.*
(g) *Gualain.* Bolv.

(a) *Auderim*.

(b) Cod. Frecc. *Nolebant*.



tum.
(e) Secumque.
(f) Taffilo.
(g) Gualain. Bolv.

Roderfi, *Johannes*, *Arichifi*, *Adechifi*, (*a*) *Auderi* (86) *Epifcopo*, *Adelpertus*, *Gaiferi Comes*, *Rodoalt*, *Radelgari*, *Radefrit*, *Azzo*, *Adelricus*, *Adelverto*, *Sadactus*, *Landemari*, *Pandenolfo*, *Ingebrandus*.

CAP. LXXX.

DUm talia patrata fuiffent, mox *Radelchifi Princeps Beneventanus* Totonem vocavit, & ei ad obtinendum Caftellum cum fuis Optimatibus, ficuti eum exoraverat, tradidit. Atque dona ei demum promittebat, & ab omnibus faepiffime nimirum collaudabatur; & merito, quia vix a multis hominibus per multos dies fperari non potuiffent, quae mox a viro fagaciffimo funt nimirum completa.

Hac denique tempeftate Amalfitani nimirum *Principi Siconolfo*, & Salernitanis omnimodo obediebant; & is ad inftar fui germani plurima illis praedia condonavit; & illi, ut diximus, fideliter nimirum obtemperabant, licet in fua urbe habitare, quemadmodum foliti erant, (*b*) volebant. At Salernitani, quanti ex his remanferunt, eos ab hac urbe, licet non fuiffent cum illis, qui moenia antiqua, Ecclefiafque cremaverant, ac denudaverant, foras expellunt, habitandique locum eis in Veteri (*) dant. Amalfiam denique ad habitandum ire minime ab illis recipiebantur. Et, ut ferunt, in Veteri habitaverunt, ufque in tempus *Principis Guaiferii*. A tempore praedicti Guaiferii ad hanc urbem ad habitandum revertuntur propter Agarenorum metum.

CAP.

(86) Peregrinius legit *Audim. Epo.* Scilicet breviatum verbum minime animadvertit. Cujus autem loci Epifcopus fuerit hic Auderis, mihi incompertum eft.

(*) Veteri, nunc Vietri, olim Marcina, ut ajunt *Bolvit.* (Prat.)

(a) *Auderim.* (b) Cod. Frecc. *Nolebant.*

CAP. LXXXI.

DEnique (a) libet *Amalfitanorum* originem, partim, prout a majoribus noſtris mihi relatum eſt, partimque ut a veteranis illorum libenter audivi, necnon in authenticis Libris nomina Judicum, Comitumque reperi ſcripta, annectere huic Hiſtoriae: quia hactenus cunctis manſit incognitum, ex qua provincia orti, cujuſve fuiſſent generis, & ordinis, ſeu officii, & quorum Regum Imperatorumve temporibus dimicaſſent; nec anteceſſorum noſtrorum induſtria perquirere jure (b) fecit, nec ulli ſagaci ratione notum eſt. Ego vero, (c) & veluti avidus indagator, quotquot ex regionibus viros comperi, indeſinenter perquirere curavi, ut ſi apud eos aliquid de geſtis triumphiſque prædictorum Amalfitanorum ſcripta continerent, vel apud notos & cognitos forte reperire potuiſſent, fideli ratione (d) noſtrae ignaviae reſcriptum traderent. Sicque factum eſt, ut haec, quae ſubter annectimus, noſtrae notitiae pro praedictorum Amalfitanorum origine ſint cognita, & oſtenſa.

CAP. LXXXII.

TEmpore quo Conſtantinus Imperator Romanorum Regni moderabat habenas, & primi civitatis ejus conſilio, & fortitudine ſumma pollerent, dum ſui Regni gubernacula praedictus Imperator moderatiſſime gubernaret, atque ei prodigia magna Dominus nimirum oſtenderet: per inſpirationem divinam propriam civitatem linquens, cum uxore, & natis, & ſuis Proceribus, cunctiſque Optimatibus, necnon & militibus Conſtantinopolim venit, atque ipſi civitati nomen dedit: nimirum quae antea fuit a Bizante quodam Re-

(a) *Nunc denique.*
(b) *Curae fuit.*
(c) *Ut.*
(d) *Relatione.*

Rege Bizantia appellata (XLIII). Romam quippe Beatorum Petri & Pauli juris reliquit. Dum vero unusquisque (*a*) nimis satageret, qualiter cum suis quippe opibus Constantinopolim properaret: factum est, ut multae naves oneratae sulcantes aequora illuc gradere festinarent. Sed dum simul alternatim deambularent, pervenerunt in Sclavorum fines; moxque procella (*b*) cunctarum exorta est, mareque vehementer intumuit; & dum diu fluctuaret, duae ex iisdem navibus sine hominum interitu naufragatae sunt. Sed dum eorum scilicet res deperissent ibidem, nec sumtum haberent, quatenus naves fractas solidarent (*c*), hinc incolas loci illius exorarunt, ut ibidem ad habitandum cum eis locum nimirum darent. Illi vero talia audientes hujusmodi verba promserunt: *& terram ad habitandum vobis praebemus, & sumtum vobis, vestrisque uxoribus abundanter tribuemus*. Vocaturque nomen loci illius nimirum *Ragusia*. Habitaveruntque ibidem temporibus multis. Sed dum a Ragusianis saepissime opprimerentur, & omnimodo jam sustinere nequirent, mox furtim naviculas illorum ascendunt, Italiamque cum uxoribus, & natis, suaque supellectili quique properarunt. Nam donec Ragusii demorarunt, a jam dictis illius habitatoribus terrae *Romani* sunt vocitati. At ubi Italiam adierunt, veneruntque in locum, qui *Melfis* (*d*) dicitur, ibi multo postea tempore sunt demorati, & inde sunt *Amalfitani* vocati: locus namque dedit nomen illis. Ab illo denique tempore Amalfitani sunt vocati, sicut Suevi, a Monte Suevo, de quibus Lucanus:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos. Item Alani

(LXIII.) Fabulam ex aliis depromtam heic recoquit.

(a) *Nimirum*.
(b) *Ventorum*.
(c) *Solidarent*.
(d) *Malphis*.

lani dicti fuerunt a Latri (*a*) fluvio ultra Danubium; & populi habitantes juxta Lemannum fluvium, Alemanni vocantur: de quibus idem Lucanus:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano (XLV).

C A P. LXXXIII.

IGitur dum prolixo tempore ibidem Amalfitani morarentur, Italiaque diversis potestatibus diversarum gentium mutaretur: locus ille, quo Melfitani degebant, afflictus est, & verentes, ne eos nimirum in servitute attererent, & sustinere jam omnino non valentes, clam exinde sunt moti, & pervenerunt ad locum, qui *Ebolis* dicitur, qui est prope Salernitanam urbem X. (*b*) fere passuum millia, & de districtu, ac de jurisdictione urbis ejusdem. Sed opprimebantur ab incolis loci illius, & illi nimirum metuebant, ne a majoribus in servitute amplius nimirum opprimerentur, (*c*) quam dum oppressi in Ragusio fuerant. Sed quidam ex eis dum perambularent, hac illacque negotiando pervenerunt in locum, ubi *Scala* dicitur, & dum fuissent ab hominibus, qui ibidem morabantur, multum rogati, ut ibidem paululum permorarentur, illi per dies aliquot ibidem manserunt, atque deinde descenderunt in locum, ubi nunc Amalfitani degunt, locumque illum undique circuierunt, eumque vehementer expiantes, (*) tamdem ad suos reversi sunt. Dum omnia, quae vidissent, eis retulissent, atque eis tutissimum locum, & abundantiam aquae nimirum collaudassent, minime eorum verbis crediderunt; sed statim strenuos illuc viros miserunt. Sed cum omnem ipsorum locum delicatius explorassent, eorumque oculis vehementer complacuisset, remearunt cum

(XLV.) Heic se in Geographia minime rudem se prodit Anonymus.
(*) Nunc italice *spiare*.

(a) *A Lanis*.
(b) XIV.
(c) *Quemadmodum*.

cum magno gaudio nempe ad suos, intimantes eis, quia *tutissimum locum reperimus : tantum eamus, ibique scilicet quiescamus, quia ibidem ab hostibus omnimodo metus* (a) *nihil habebimus*. Cum talia Amalfitani certo certius cognovissent, moxque clam exinde sunt moti, & cum uxoribus, liberis, & omnibus, quae portare poterant, Scalam deveniunt locum, eumque citius invadunt, atque nomen ipsi loco dederunt (87), sicut in Historiis legimus; ut Medi a Rege suo cognominati putantur; namque Jason Peliaci Regis frater Thessalia pulsus est cum Medea uxore sua, cujus fuit privignus Medus Rex Atheniensium, qui post mortem Jasonis Orientis plagas domuit; ibique Mediam urbem condidit, gentemque Medorum nomine suo appellavit. Sed invenimus nimirum in Genesi quod Madas (b) auctor gentis Medorum fuisset, a quo & cognominati, ut superius dictum est. Sic denique Trojanorum gens antea Dardanida a Dardano nominata; nam Dardanus, & Lasius (c), sicut in Historiis perhibetur, fratres fuerunt, & ex Graecia sunt profecti. Ex iis Lasius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam pervenit, ibique primus regnavit; post quem filius Erictonius, deinde nepos ejus Tros, a quo Trojani nuncupati sunt. Inde vero *Amalfia* ab Amalfitanis est nominata. Atranum nempe est dictum ab Obscuro; nam *atrum* obscurum dicimus, & profecto congrue, quia ardua mole saxorum desuper hinc inde extenditur (*).

X CAP.

(87) Certe Amalfim, sive Amalfiam Romani veteres non agnoverunt. Attamen Anno 596. jam erat *Amalfitanorum Episcopus Pimenius*, cujus mentionem ad eum annum reliquit Gregorius Magnus Papa in Epist. 23. Lib.VI. Indict.XIV.

(*) (Prat.) Atranum tamen dicitur Sigonio *Attirinum*; & licet ad radices praerupti montis, satis tamen lucis accipit ab Orientali, & Australi parte, quae mari alluitur. Nugatur igitur Anon. cum suis ethymologiis.

(a) *Metum nullum*.
(b) *Madai*.
(c) *Jasius*.

CAP. LXXXIV.

PRimo anno, quo egressi sunt de Salerno (a) per Indictionem III. pridie Kal. Septembris praedicti Malfitani, Anno (88) primo Principis Radelchisi, *Comitem* praeposuerunt quemdam *Petrum* nomine. Subsequenter alio anno *Sergium Comitem* ordinarunt, filium *Gregorii Comitis*; deinde *Ursum* filium *Mauronis Comitis*; & post eum, *Cunari Comitem*. Etiam (b) *Sergium Comitem* filium *Constantini Comitis*. Post ipsum Comitem, duos per annum: hii sunt *Lupus*, & *Jaquintus Comites*. Deinde incipit praeesse *Marinus* solus. Sequitur post eum *Urso Comes* cum *Fluro Comite*; & post eum *Musco Comes* cum *Sergio Comite*. Et iterum *Leo Comes* cum *Manno* (c) *Comite* (d). Post eum *Urso Comes* cum *Sergio Comite*, *qui dicitur de Marina*. Iterum *Tauro*, & *Constantino Comitibus*. Deinde *Sergius* praedicti *Marini* sedit annos III. Temporibus *Mauri Praefecti Bonus*, & *Johannes Comites*; (e) & post ipsos anno uno, occiso *Mauro Praefecto*, cui successit *Sergius* filius Magistri militis in (f) die XIII. Eique successit *Urso Comes*. Post menses III. *Sergius Comes* filius *Petri*. Et post dies XX. *Ursus Comes* in (g) die

(88) Primus Radelchisi Beneventani Principis annus est Aerae Christianae 839. Hoc ergo anno Amalphitani excessere Salerno.

(a) A. 839.
(b) *Iterum Sergium*.
(c) *Mauro*.
(d) Cod. Vatic. *Et post eum Atranio cum Mauro Comite: Sequitur Lupinus Comes, & Johannes Comes. Deinde Mauro Comes cum Urso Comite: Post eos Urso comes cum Sergio &c.*
(e) *Et post ipsos Pantaleo, & Urso Comites: post ipsos Sergius & Johannes Comites: deinde Marinus & Guimarius, necnon & Johannes Comites; & post Urso & Sergio & Manso Comites; & iterum Sergius filius Gregorii Magistri Militum; & post hunc Vitalis, & Sergius, & Maurus Comites; & post ipsos anno I. occisus est Maurus Praefectus &c.* Cod. Bolvit. Cod. Vat. *Post ipsos Pantaleo, & Pantaleo Comites: deinde Leo & Johannes Comites. Post ipsos Sergio, & Johanne Comitibus. Deinde Marinus & Cunarius, necnon & Johannes Comitibus, & post ipsos Urso anno uno occiso &c.*
(f) *Indict. XIII.*
(g) *Indict. XI.*

die IV. introivit *Dominus Marinus*; & post eum *Dominus Pulcari*. Isti sunt Comites, quos in Archivis illorum reperi scriptos. *(a)* Atque haec quae devota industria indagavimus de Genealogia, seu de sagacitatibus Malfitanorum nobis dicta sufficiant.

CAP. LXXXV.

IGitur *Siconolfus*, Principatu denuo confirmato, cum suis scilicet exultabat, atque saepissime eis dona tribuebat. Factum est autem, ut una die in sella ad secessum resideret, & ante obtutum ejus *(b) Dauferii filius Guaiferius* staret, & in hunc modum verba Principi promit (XLV): *Talem minime locum invenit homo, qualem ad secessum (c) meum & suum Dominum occidendum*. Ut talia Princeps Siconolfus audisset, nimis quippe exterruit, atque sine mora lanceam mirae magnitudinis ad cameram deferri jussit. Die vero altera finxit se Siconolfus, ad sellam quasi ex more residere atque Guaiferium jam fatum illuc jussit nimirum accersiri. Dum ante ejus obtutum Guaiferius adiisset, mox talibus eum Princeps Siconulfus allocutus est verbis: *Tu heri mihi dixisti, quod non esset locus aptus, nisi ad secessum ad Principem occidendum. Et ego nunc dico* (acutam lanceam ei demonstrans) *minime reperi locum in dolo ad suum inimicum occidendum, quam eum in secreto vocatum*. Haec autem audiens auribus Guaiferius, mox valde pertimuit, atque in hunc modum promit tunc talia dicta: *Scit Dominus (d) meus Princeps: non in dolo talia promsi; sed*

X 2 *pro*

(XLV.) Parum credibile videtur quod hic enarrat Historicus. Facillime verba Dauferius clam protulerat, quae Siconolfus audivit, secus ante conspectum Principis, ut quod multum a verosimili abhorreat, ipse oscitanter asserat.

(a) *Deinde proposita re, quae obmisimus, devota industria indagemus & de Genealogia &c.*

(b) C. Fr. *Invicti Dauferi*.

(c) C. Fr. *Qualem ad secessum suum Dominum occidendum*.

(d) Cod. Vat. & Frecc. *Scit Deus, mi Princeps, quod non in dolo talia promsi, sed pro affectu Domini mei Principis*.

CAP. LXXXIV.

PRimo anno, quo egressi sunt de Salerno (a) per Indictionem III. pridie Kal. Septembris praedicti Malfitani, Anno (88) primo Principis Radelchisi, *Comitem* praeposuerunt quemdam *Petrum* nomine. Subsequenter alio anno *Sergium Comitem* ordinarunt, filium *Gregorii Comitis*; deinde *Ursum* filium *Mauronis Comitis*; & post eum, *Cunari Comitem*. Etiam (b) *Sergium Comitem* filium *Constantini Comitis*. Post ipsum Comitem, duos per annum: hii sunt *Lupus*, & *Jaquintus Comites*. Deinde incipit praeesse *Marinus* solus. Sequitur post eum *Urso Comes* cum *Fluro Comite*; & post eum *Musco Comes* cum *Sergio Comite*. Et iterum *Leo Comes* cum *Manno* (c) *Comite* (d). Post eum *Urso Comes* cum *Sergio Comite*, *qui dicitur de Marina*. Iterum *Tauro*, & *Constantino Comitibus*. Deinde *Sergius* praedicti *Marini* sedit annos III. Temporibus *Mauri Praefecti Bonus*, & *Johannes Comites*; (e) & post ipsos anno uno, occiso *Mauro Praefecto*, cui successit *Sergius* filius Magistri militis in (f) die XIII. Eique successit *Urso Comes*. Post menses III. *Sergius Comes* filius *Petri*. Et post dies XX. *Ursus Comes* in (g) die

(88) Primus Radelchisi Beneventani Principis annus est Aerae Christianae 839. Hoc ergo anno Amalphitani excessere Salergo.

(a) A. 839.

(b) *Iterum Sergium.*

(c) *Mauro.*

(d) Cod. Vatic. *Et post eum Atranio cum Mauro Comite: Sequitur Lupinus Comes, & Johannes Comes. Deinde Mauro Comes cum Urso Comite: Post eos Urso comes cum Sergio &c.*

(e) *Et post ipsos Pantaleo, & Urso Comites: post ipsos Sergius & Johannes Comites: deinde Marinus & Guimarius, necnon & Johannes Comites; & post Urso & Sergio & Manso Comites; & iterum Sergius filius Gregorii Magistri Militum; & post hunc Vitalis, & Sergius, & Maurus Comites; & post ipsos anno I. occisus est Maurus Praefectus &c.* Cod. Bolvit. Cod. Vat. *Post ipsos Pantaleo, & Pantaleo Comites: deinde Leo & Johannes Comites. Post ipsos Sergio, & Johanne Comitibus. Deinde Marinus & Cunarius, necnon & Johannes Comitibus, & post ipsos Urso anno uno occiso &c.*

(f) *Indict. XIII.*

(g) *Indict. XI.*

die IV. introivit *Dominus Marinus*; & post eum *Dominus Palcari*. Isti sunt Comites, quos in Archivis illorum reperi scriptos. (a) Atque haec quae devota industria indagavimus de Genealogia, seu de sagacitatibus Malfitanorum nobis dicta sufficiant.

CAP. LXXXV.

IGitur *Siconolfus*, Principatu denuo confirmato, cum suis scilicet exultabat, atque saepissime eis dona tribuebat. Factum est autem, ut una die in sella ad secessum resideret, & ante obtutum ejus (b) *Dauferii filius Guaiferius* staret, & in hunc modum verba Principi promit (XLV): *Talem minime locum invenit homo, qualem ad secessum (c) meum & suum Dominum occidendum*. Ut talia Princeps Siconolfus audisset, nimis quippe exterruit, atque sine mora lanceam mirae magnitudinis ad cameram deferri jussit. Die vero altera finxit se Siconolfus, ad sellam quasi ex more residere atque Guaiferium jam fatum illuc jussit nimirum accersiri. Dum ante ejus obtutum Guaiferius adiisset, mox talibus eum Princeps Siconulfus allocutus est verbis: *Tu heri mihi dixisti, quod non esset locus aptus, nisi ad secessum ad Principem occidendum. Et ego nunc dico* (acutam lanceam ei demonstrans) *minime reperi locum in dolo ad suum inimicum occidendum, quam eum in secreto vocatum*. Haec autem audiens auribus Guaiferius, mox valde pertimuit, atque in hunc modum promit tunc talia dicta: *Scit Dominus (d) meus Princeps: non in dolo talia promsi; sed pro*

X 2

(XLV.) Parum credibile videtur quod hic enarrat Historicus. Facillime verba Dauferius clam protulerat, quae Siconolfus audivit, secus ante conspectum Principis; ut quod multum a verosimili abhorreat, ipse oscitanter asserat.

(a) *Deinde proposita re, quae obmisimus, devota industria indagemus & de Genealogia &c.*

(b) C. Fr. *Invicti Dauferi*.

(c) C. Fr. *Qualem ad secessum suum Dominum occidendum*.

(d) Cod. Vat. & Frecc. *Scit Deus, mi Princeps, quod non in dolo talia promsi, sed pro affectu Domini mei Principis*.

pro affectu nostri Domini Principis talia nimirum gessi. Ipse Princeps Siconulfus hujusmodi verba depromit: *Conjicio, quod mei, & tui mores non conveniunt. Vade, & in alia terra morare. (a) Dominum quaere, quia me post hunc sermonem minime habebis.*

CAP. LXXXVI.

Dum Guaiferius talia verba audisset mox eum opprimit moeror, atque sine dilatione Neapolim properavit, jam uxore defuncta, ut diximus, non propria morte. Nam cum fuisset a quodam Guaiferio intimatum, quod sua uxor ab alieno viro esset stuprata, statim ille, ut erat audax, evaginato gladio eam protinus de hac luce extinxit. Cum vero Guaiferius Neapolim moraretur, *Sergius*, qui tunc Magister militiae praeerat, ei alimenta, tegumentaque plurima exhibebat. Factum est autem, ut eo tempore Princeps Siconulfus cum non paucis suis fidelibus ludi causa, & observandae venationis, in praedium deveniret, ubi Cervania dicitur. Sed dum hac illacque, ut mos est, alternatim discurrerent, ingentem singlerium (89) reperit. Dum vero omnes satagarent, qualiter ipsum extinguerent, Princeps Siconulfus omnes anticipat, eumque forti ictu percussit, atque in terram videlicet protinus mortuum (*b*) rutavit (90). Sed dum paulisper ipsum aprum (*c*) satageret, mox eum febris invasit,

(89) Idest aprum, nunc Gallis *sanglier*. Num ab Italia in Galliam vox ista olim concessit? (Prat.) Vox fort. barbara a Normannis, & Gallis adoptata.

(90) Peregrina sane vox, sed barbaris seculis minime indigna. Nunc *lo stesse morto a terra*. Num *rutavit* pro *artavit* Italica & Gallica voce? (Prat.) An non rutavit pro devoluto Italice *rotolato*.

(a) C. Fr. *Atque juxta tuum morem, Dominum quaere.*

(b) C. Fr. *Ructavit.* Bol. *luctavit.*

(c) *Reptare.*

vasit, acrique coepit ardore fatigare, atque omnes illius artus depressit. Mox tubam nixu, quo valuit, nimirum insonuit; (a) & dum insolitam vocem tubae sui Optimates audirent, illico omnes ad eum cucurrerunt. Ille vero, ut acciderat, rei pandens ordinem, statim quamvis cum moerore Salernum rediit. Cum vero fuisset Salernum ingressus, cunctos suos Optimates congregari jussit in unum, & dum simul sunt congregati, ipse Princeps tunc promit talia dicta. (b) *Omnes mei fideles, meique consanguinei, pariter ineamus consilium, qualiter per omnia meus infantulus Sico sit vobis commendatus*. At illi una voce dixerunt: *Sicut per omnia fuimus Genitori fideles, sic nimirum erimus demum illi, & plus*. Haec autem dicentes immensas lachrymas invicem (c) effundebant. At Princeps dexteram sui filii *Siconis* tenens, cuidam *Petro*, qui eum ex sacro fonte susceperat, tradidit. Crucem denique in alia manu tenens, dixit: *Crux ista erit testis inter te, & me. Hodiè intueatur Dominus, & judicet inter nos, si post meum obitum afflixeris filium meum, & si introduxeris alium super eum Seniorem: Nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui praesens respicit*. Sed dum diu, ut fati sumus, aestuaretur febribus, luce extinctus (91) est. (d) Suae conjugi (XLVI) hic non parum moerorem reliquit, tenuitque Principatum Salernitanum annis X. & aliquot mensibus. Fuit autem corpore praevalidus, statura procerus, & multa per singulos homines largitus est dona (e). CAP.

(91) Scilicet Anno 851. quo ipso concordiam inierat cum Radelchiso Principe Beneventano.

(XLVI.) Cod. Vat. habet: *suae conjugi Ittae &c.* Siconulfi Salerni Principis uxoris nomen proditur, videlicet Itta e sanguine Ducum Langobardorum Spoleti, ut in stemmate dictum est. Is quidem post annum 840. uxorem ducere debuit.

(a) *Sed* C. Fr.
(b) Cod. Frecc. & Vat. *Eja mei fideles &c.*
(c) *Cuncti*.
(d) *Anno* 851.
(e) C. Fr. *Bona*.

CAP. LXXXVII.

DUm vero Princeps Siconolfus obiisset, Petrus namque puerum regebat; Salernitani ei omnimodo obtemperabant. Per idem tempus Salernitani cum Beneventanis alternatim inter se pacem ineunt (a); atque Petrus, qui puerum regebat, multitudinem hostium congregans una cum *Adelchiso Principe Beneventano* Barim cum magna virtute perveniunt, quatenus Agarenorum gentem debellarent. Cum talia Agareni, qui Barim morabantur, comperissent, repente cum grandi strepitu eis obviam exierunt, & sine mora bellum cum eis inchoaverunt. Sed cum Langobardi totis viribus diu cum eis pugnassent, tandem Agareni terga dederunt. Sed dum omnimodo Langobardi decernunt, ut eos ultima caede vastarent, subito cuneus validus alius Agarenorum ex adverso cum ingenti virtute super Langobardos irruit. Sed dum Langobardi tam fessi essent, ut omnimodo illorum impetum sustinere nequirent, statim in fugam omnes conversi sunt, plurimis ex eis interemtis, & non paucis sauciatis. Postremo quamvis confusi sine effectu ad propria redeunt. Agareni quippe omnes simul sunt denuo congregati, & protinus per Beneventanos, Salernitanosque fines pergunt (b); quicquid reperire poterant, ad instar plurimarum locustarum demoliunt, multosque homines necant; uxores, liberosque eorum duxerunt captivos, vix paucis evadentibus, qui per tutissima castra & juga montium fugerunt. Tamdem Agareni suos fines repedant, spolia multa secum gestantes.

CAP.

(a) C. F. *Inierunt*. (b) C. Fr. *Fines peragrant*.

CAP. LXXXVIII.

SEd dum talia patrata fuissent, quidam adulatores jam fati Petri premebant, ut Principalem honorem ipse arriperet, atque in illius nomine Annales (92) (a) scriberet. Illo vero die exinde minime eis obtemperavit; tamdem voluntati eorum assensum dedit, & particeps factus est tantæ dignitatis. Sed cum talia reperisset *Petri filius Ademarius*, id ipsum & ille omnimodo satagebat exinde, quatenus ad tantae sublimitatis fastigium perveniret. Quid multa dicam? Cum patri suo fuisset cognitum, ille, qui ei minas, indignationesque opponere, & eum objurgare debuerat propter hujusmodi ambitionem: jusjurandum, quod pollicitus fuerat, oblitus est, eumque socium in Principalem honorem ascivit. Sed *Siconolfi filius Sico* (b) ei deterior erat (*), nullum ei honorem exhibebat: immo consilium inter se ineunt, quatenus de hac urbe omnino eum exturbarent: sic idem Petrus promissiones, quas Siconolfo promiserat, funditus oblitus fuerat, & quod (c) jurejurando juraverat; (**) atque ipsum Siconem (d) ad se excivit, & ei hujusmodi verba depromit: *Volo te Italiæ Regi Ludovico (e) (93) mittere cum honore, quatenus ibidem astutiam hujus Mundi discas*. Cui ille: *In potestate vestra sum: quod vestris oculis comparet, facito*. Hoc autem faciebat, ut suus filius Ademarius obtinere valeret solus Salernitanum Principatum.

Dum vero *Ludovico Regi* cum plurima ope ipse Sico

(92) Hoc est in publicis Chartis nomen suum cum Annis Principatus adnotandum juberet.

(*) Scil. eum parvipendentes, atque aspernantes.

(93) Scilicet Secundo hujus nominis, neque tantum Italiae Regi, sed etiam Romanorum Imperatori. Acta haec fuere circiter Annum 854.

(a) C. Fr. *Nimirum scriberent*.

(b) C. V. *Sico eis deterior erat, & nullum ei honorem exhibebant*.

(c) *Quod ei jurejurando*. Fr.

(**) *Ann.* 854.

(d) C. V. & Bol. *Ipsum puerum Siconem*.

(e) *Cum honore mittere*. C. Fr.

co transmissus fuisset, eum libenter suscepit, moratusque est apud eum aliquot annos. Sed dum adolescens factus fuisset, ex more ipsi jam dictus Rex (94) arma donavit, atque cum honore Salernum (95) misit. Cum autem Capuam cum suis subditis venisset, a cunctis terrae illius hominibus dilectus est valde, eo quod esset adolescens floridam ætatem gerens, micantibusque oculis procerus valde. Et ut diximus, ab omnibus diligebatur, sed maxime a *Landone* (96) tunc *Comite*; simulque & a suo germano *Landolfo Episcopo* nimio diligebatur affectu. Sed cum aliquot dies ibi degeret, seque cum juvenibus terrae illius exercitaret (a); ille vero tantae fortitudinis erat, ut (b) targa, quam in manu gestabat (c), Amphitheatrum, quod olim ibidem constructum fuerat, & est mirae (d) altitudinis, & fortis pulchritudinis (XLVII) exsuperaret

(94) Hoc est, militem fecit, eumque armis militaribus cinxit. Qui mos ab antiquis Germanis profectus, in Gallias a Francis, & ipsis Germaniae populis, invectus, in Italiam subinde penetravit. Ejus autem exempla occurrunt in Vita Ludovici Pii, ac in aliis antiquorum Libris. De re alioqui nota videndus Du-Cangius in Glossario Latino, & ad Joinvillam.

(95) Quare ergo Siconem *Siconulfi filium exulem fecisse* dicitur Ludovicus II. Augustus apud Herchempertum num. XX. Tom. II. pag. 242. Collectionis hujus? Veri similiora enarrasse videtur Salernitanus noster, inspecta potissimum probitate Imperatoris illius. (Prat.) Erchempertum secutus est Peregrin. sed male; nam verosimilia magis sunt, quae narrat Anon. At Salernitano Anonymo fidem nullam praestandam fuisse autumabat Peregr. quod quidem parum Camillo aeque ac Anon. dignum censetur. Exulem fortasse Erchempertus dixit pro *extra solum* proprium deportatum. Haec alibi expendenda.

(96) Scilicet Capuae, & a Landulpho Capuano pariter Episcopo.

(XLVII.) Sico ad suam agilitatem, fortitudinemque ostentandam, bacillum in aera transmittebat, altitudinemque Amphitheatri Campani praetergradiebatur: qui mos in aliquibus locis adhuc viget, diciturque *ludus jactus*; neque dissimilis ab eo, quo lapides e funda jaciuntur, qui *ludus fundae* vocitatur; aliique ipsis non absimiles ludi.

(a) C. Fr. *Creberrime exercitaret*.
(b) C.V. *Ut virga*. (c) Bol. *Exili*.
(d) C.V.Fr.Bol. *Altitudinis, necnon pulchritudinis*.

ret, (a) dum patri filioque Principibus fuisset cognitum, repente ibidem satellites suos miserunt, atque clam per haustum laethale ipsum Siconem fecerunt spiritum exhalare.

CAP. LXXXIX.

PEr idem tempus (b) *Lando*, ut diximus, *Capuanus Comes* una cum praedicto suo germano *Landolfo Episcopo*, ceterisque aliis Capuanis civitatem aedificare conati sunt ad pontem, qui Casilinus dicitur juxta Vulturnum fluvium, quia ipsa civitas (XLVIII), quae fuit in monte Trifisco, a *Landolfo genitore istorum* constructa (XLIX) creberrime ab igne consumebatur. Sed dum *Principi Ademario*, genitore extincto, nuntiatum fuisset, & ei a quodam de ipsa jam dicta civitate intimatum fuisset, valde iratus est, atque multitudinem hostium congregans, cum valida manu Capuam venit, & turrem, quae nunc cognominata est Sancti Angeli (L), pro-

Y

(XLVIII.) Urbs haec Sicopolis dicebatur, ut in Erchemperto notavimus.

(XLIX.) Non a Landulfo Capuae Comite Sicopolis exstructa fuit, sed potius propugnaculis aucta, ut infra patebit, & alibi notatum.

(L) Turrim, quae S. Angeli nuncupabatur, ibi sitam fuisse autumo, ubi sequentibus seculis Porta S Angeli extiterat, quae Monasterium, seu Ecclesiam S. Michaëlis Archangeli sub Tiphatinis collibus positam prospiciebat. Ex charta quippe anni 997. quae in Arca Capituli Meopolitani Capuae adservatur, apertissime legitur: *juxta plateam magnam, qua itur ad portam S. Angeli, & Monasteria S. Marie, & riba flubei* (idest Vulturni) *in qua Turri, & Mura Civitatis* &c. Facilis conjectura est, quod sicuti porta, quae Ecclesiam Sancti Angeli spectabat, ejus nomen desumsit, ita & Turris (parum enim a Vulturno utraque distabat) S. Angeli dici potuit. Neque Turris alterius, quae adhuc Capuae exstat, Turris Lapidum vulgo appellata, meminisse hic credo Historicum nostrum: cum ipsa vel ab ineunte seculo decimo usque ad decimumtertium *de Lando*, & de *Landepaldo*, ejusdem fortas

(a) *Dumque haec Salernitanis Principibus*. Frecc. (b) *A.* 856.

protinus diruit, & ad solum eam usque prostravit. Et Capuani nil ei adversus (a) fecerunt propter jusjurandum, quod ei jam dudum juraverant; sed potius ad eum efflagitandum mittebant, ut opus eorum minime impediret, licet ipsi ei minime se credebant (b). Dum vero sine effectu Ademarius reversus fuisset, Capuani minime denique ipsam civitatem operari desierunt; & ferunt nonnulli, quod hic inibi Ademarius, ut eam destrueret, perrexisset: sed nihil ei profuit; &, Deo tuente, usque nunc illaesa hactenus manet.

Factum est autem, ut Comes Capuanus Lando eo tempore pro (c) aliqua re Neapolim perrexisset, atque cum *Sergio Magistro militiae* in unum sermocinatus est. Sed cum notum fuisset *Guaiferio*, qui inibi exiliatus jam prolixo tempore moratus fuerat, atque sine uxore adhuc manebat, mox Palatium adiit, atque illi Sergio verba depromit: *Exoro te valde, quatenus Landonem in secreto vocari facias, eique secrete injungas, & filiam suam mibi in matrimonium tradat*. Sed dum ipse Sergius differret talia facere, per semetipsum Guaiferius Landonem vocavit, eique secrete hujusmodi verba praedixit: *Duas filias habeo: qualem ex eis volueris, tolle* (d): *Tamen scito, quia ipsa formosior unum habet oculum glaucosum: ipsam opto ut habeas uxorem*. Et statim utrique Capuam venerunt. Dum vero Lando Guaiferium Capuam, sicut decebat, honorifice deduxisset, ad suamque domum cum sublimitate, sicut ei decebat, eum deportasset,

tassis extructore dictam esse veteres Chartae testentur. Nisi forte in Trifilisco colle, ubi Sicopolis erat, Castrum illud, seu Arx, quae adhuc extiterat, S. Angeli dicta fuerit, ut ex aliis Chartis erui potest, in quibus *Castrum olim S. Angeli in Trifilisco* nominatur. At dubiis in rebus dubitanter loquendum est.

(a) *Adversi*.
(b) i. *Fidebant*.
(c) C. V. Fr. *Qua re nescio Neapolim*.
(d) C. V. Fr. Bol. *Tantum scito, quia ipsa potior, &c.*

tasset, suæ (a) binae filiae in occursum venientes jam re-si debant. Tunc ad Guaiferium protinus Lando ait: *Ex his elige, qualem vestris oculis comparet*. Ille vero quamvis cum rubore (b) *Landeclajae* dexteram apprehendit; & licet unum oculum habuisset fedatum, decora facie, aspectuque delectabilis erat; & ut melius dicam, illo in tempore illius mores sexum foemineum transcendebant. Cum vero honorifice nuptiae peractae fuissent, accidit ut *Princeps Ademarius* (c), nescio pro qua re, illuc suum fidelem quemdam, nomine Montula, mitteret. Sed dum Capuam venisset, Lando Comes taliter prorupit in vocem: *Acrius te exoro, quatenus pro nostro amore Dominum Ademarium enixius exores, ut generum meum Guaiferium sua arva repetere jubeat*. Sed dum Montula (d) illius verba auribus audisset, tale fertur promsisse responsum: *Nequimus talia nunc polliceri verba, quia, quantum conjicere valeo, de hac re ipse Princeps minime nostras annuet preces*. Cui Lando: *Scit Deus: nisi mihi exinde* (e) *jurejurando satisfeceris, minime illuc repedabis*. At ille necessitate compulsus, quod ab eodem poposcerat, ei omnia adimplevit. Quapropter dona ei Lando plurima dedit; & sic Montula Salernum repedavit. Dum vero Salernum, (f) ut fati sumus, introisset, (g) enixius Adelmarium Principem obsecrabat, quatenus Guaiferium ad propria regredi faceret. Ille vero omnimodo de tali re saepissime resistebat. Tamdem ejus postulationibus annuit, ipsumque Guaiferium cum uxore, servis, ancillisque, & cum multitudine suppellectilis, opeque plurima regredi ad sua propria jussit.

Y 2 CAP.

(a) C. V. *Filiae apte jam residebant*.

(b C. Vat. *Et alii: Landelaikae, de qua supra diximus, nimirum dextram &c.*

(c C. Bol, & V. *Ademarius illo tempore nescio &c.*

(d) *Moncula* & ita semper C. F.

(e *In* C. F. *Deficit jurejurando*.

(f) C. Fr. *Moncula, ut fatisumus*.

(g) *Enixius Dopuum* C. F. & V.

CAP. XC.

Radoalt (a) (97) *Episcopus* dum aliquo tempore Salernitanam Sedem, ut superius fati sumus, rexisset, per idem tempus ab Agarenorum gente capta est civitas Canusiae (98); quae sita fuit in Apuliae finibus. Sed Dei nutu *Petrus, qui illo tempore illi civitati praeerat Episcopus*, cum suis non paucis fidelibus evaserunt, atque Salernum (b) venerunt, opes plurimas secum deferentes. Dum vero Salernum aliquo tempore cum suis mansisset, Rodoalt jam dictus Episcopus diem clausit extremum. Quapropter omnes exorarunt, ut per aliquot annos ipse *Petrus Episcopus* ipsius Ecclesiae facultates nimirum regeret. Ille vero cum talia audisset, in hunc modum illis respondit: *Ad regendam Ecclesiam praeesse me dico: in* (99) *Sedem ipsius Ecclesiae minime ascensurus sum*. Sed dum aliquo tempore ipsam jam dictam Ecclesiam moderatissime gubernaret, de suo sumtu Ecclesiam praedictam Sanctam Sedem in honorem Beati Johannis Baptistae mirae magnitudinis construxit, licet minime eam usque ad culmen perduxit, quia, divina vocante potentia, de hac luce extractus est. Quo defuncto, (c) *Ractulus* (100) quidam *Episcopus* ordinatus est; cum-

(97) Ughellius in Catalog. Episcopor. Salernitan. hunc floruisse scribit Anno 818.

(98) Post Annum tantummodo 827. capta fuit haec Civitas a Saracenis, eo enim tantum Anno Siciliam invasere Saraceni. Vide Historiam Saracenico-Siculam part. II. Tom. I. Rerum Italicarum.

(99) Ergo Administrator, sive Commendatarius tantum fuit iste Petrus Salernitanae Ecclesiae, neque inter Salernitanos Episcopos numerandus, uti censet Ughellius supra laudatus.

(100) Ughellio est *Roctulus*, & vixisse dicitur circiter Annum 844. Sed nostro acquiescendum potius, quam Ughellio, qui in eo ipso loco,

(a) C. Fr. *Rodoalt*.

(b) C. F. *Nimirum venerunt*.

(c) *Riczulus*. Fr.

cumque hic obiisset, *Magnaldus Episcopus* ordinatur; quo mortuo, praeclarissimum quemdam *Alonem*, *Episcopum* ordinarunt. Fuit autem vir bonus, Ecclesiaeque reparator. Fecit autem mirae pulchritudinis Lectorium ex gisso. Sed dum & ipse in Domino obdormisset, *Landemarium*, qui ex Nuceriae finibus fuerat ortus, *Episcopum* sublimarunt: Cumque & hic obiisset temporibus praedicti Principis Siconulfi, quemdam *Bernardum* (1) *Episcopum* ordinarunt. Fuit autem ex civitate Catiana (2) ortus, parentibus quidem non infimis. Fecit (*a*) in eadem Eccle-

loco, ubi de hoc Episcopo loquitur, non semel cespitat. Illi *Radelchis* est *Rodelchis*: *Sigenolfus* appellatur pro *Siconolfo*. Ambo dicuntur *Principatum jure belli occupasse*, *&* *Lothario Italiae Rege usos*, eumdem Principatum divisisse. Quei res processerit, supra habes. *Ludovicus* autem *Secundus* Augustus, non *Lotharius* funestissimae illi discordie finem fecit.

(1) Neque heic praetereundum, confusam omnino (quod est ad haec tempora) ac vitiatam Salernitanorum Praesulum Chronologiam ab Ughellio dari, immo a Gaspare Musca, qui Ughellio praeivit. Ibi serius, quam par esset, statuuntur anni *Rachuli*, *Magnaldi*, *Alonis*, & *Landemarii*. Inter *Magnaldum* & *Alonem* interponitur *Teupus* quidam Episcopus, quem tamen Historicus noster tam vetustus, & de rebus Patriae scribens, minime agnovit. *Landemario* successisse dicitur *Petrus Episcopus* contra Salernitani nostri fidem, qui *Landemario* successorem dat *Bernardum*. Petrus ille non alius fuerit, quam Petrus infra appellatus ab ipso Ughellio *Tertius*. Certe is Anno 881. sedebat, ut ex ejus Diplomate constat. *Bernardus* vero ei successor datus longe ante illum sedit. Longe, inquam, antea: nam disertis verbis ab Historico nostro *Bernardus* dicitur ordinatus *temporibus Principis Siconolfi*, qui, uti vidimus, anno 851. vivere desiit. Ughellius vero, & Musca scribunt, Bernardum anno 909. electum, finem vivendi fecisse anno 942.

(2) Ughellius *Civitatem Latinianam* ei patriam tribuit. Utri fides? Ego neutram Urbem agnovi. An *Cancia* in Capuano Principatu posita, & Johanni Diacono memorata in Vit. Episcoporum Neapolitan. part.II. Tom.I. (Prat.)Bene Ughell.cum *Latiniana* legatur in *Cod. Vat.* & Frecciano.Bolvitus tamen legerat *Cajatiana*;sed male.Aeg.legit:*Latiana*,

(*a*) C.F. *Autem*.

Ecclesia Campanile mirae pulchritudinis, & Ecclesiam Sancti Johannis Baptistae, quam *Petrus* (3) *Episcopus*, Grimoaldi Principis cognatus, a novo fundamine construxit, iste eam omnino consummavit, atque (*a*) tribunam pulchris figuris scilicet illustravit, & multa corpora Sanctorum undique adunavit. Nam cum imminente Agarenorum populo metueret, ne a propriis frustraretur Patronis Sanctis Martyribus Fortunato, Gajo, & Anthes, eorum sacras reliquias a propria Aula, ubi per longa tempora requieverant juxta fluvium, qui Lirinus (*b*) dicitur, idem egregius Praesul abstulit, easque cum debito honore intra civitatis moenia in Ecclesia jam dicti Sancti Johannis honorifice collocavit. Ibique Altare in honorem sanctorum Martyrum Fortunati, Gaji, & Anthes, simulque Beatorum omnium Apostolorum dedicavit. Idem ipse cum multitudine Clericorum, necnon & Laicorum, non procul a civitate jam dicta ad locum pervenit, qui dicitur Fayanum, de finibus Salernitanis, & cum magna reverentia, orationibusque assiduis Beatorum Confessorum pariterque Pontificum corpora, ubi per longa tempora requierunt, Cirini (*c*) & Quingesi abstulit; atque in syndone munda involuta, cum sacris mysteriis ab ipso jam dicto Episcopo deferebantur. Sed dum paulisper per equum, in quo ipse Episcopus residebat, deportata fuissent, statim calcaria, quae in pedibus Episcopi erant annexa, protinus in terram projecta sunt, sic tamen ut fibulae aptatae essent, tamquam si in pedibus Episcopi fuissent. Quo comperto, omnes de tali miraculo omnipotenti Deo gratias reddiderunt; atque omnis

(3) Ideſt Canuſinus Epiſcopus, ut arbitror, cui Salernitana Eccleſia regenda tradita eſt, & cujus mentio ſupra. Incertum, num *cognatus* ei fuerit *Grimoaldus Arichisi filius*, an ejus ſucceſſor alter *Grimoaldus Storesaiz*, ambo Principes Beneventani.

(a) Cod. Frecc. *Tribunam, & ciburia*. C. Vat. *Ciburia pulcrisque &c.*

b) C. F. *Laurinus*.

(c) *Quirini* C. F.

omnis populus, qui ibi erat, necnon & Clerici cum cereis & lampadibus, discalceatis pedibus, cum magno gaudio Salernum venerunt, & eorum sacra mysteria honorifice collocarunt; necnon & Ecclesiam in honorem eorum dedicaverunt, ubi saepissime signa & miracula Jesus Christus Dominus noster ad laudem sui nominis facit usque ad hodiernum diem.

CAP. XCI.

Dum talia peracta fuissent, res mira in illo tempore in hac Sancta Sede accidit, quod minime omittam retexere. Nam cum saepissime nocte dieque idem *Praesul Bernardus* in sacra oratione diu persisteret, & quotidie sacrificia Deo offerret, & clam diu, ut diximus, pervigil in lacrymis nocte dieque persisteret: factum est, ut ex more una cum suo familiari Diacono (*a*) Ecclesiam Dei Genitricis introiisset, & ante Altare pro suis delictis (*b*) suffragium vehementer efflagitaret: subito intempesta nocte Dei Genitrix cum suis Virginibus a vestibulo cum claro lumine super (*c*) eum venit. At ille dum insolitos tantos splendores cernisset, (*d*) immenso pavore pervasus mox in faciem ruit. Sed dum Sancta Dei Genitrix cum suis Virginibus super eum paululum staret, una ex his (*e*) Virginibus Dei Genitrici in hunc modum verba depromit: *Mea Domina* (*f*) *mitissima, servus tuus sit tibi commendatus*. At illa dulcia verba deprompsit: *Natum meum, & Dominum meum exoravi, quatenus in coetu Confratrum* (*g*) *ipsum recipiat, & ab ipso piissimo exaudita sum*: & his dictis, cum ipsis Virginibus (*h*) coelo recepta est. Cum vero jam dictus Diaconus, qui in angulo ipsius Ecclecle-

(a) C.Fr. *Nomine Maru*.
(b) Cod. V. *Delictis, necnon & plebis sibi a Deo commissae staret, & Dei, ejusque genitricis suffragium*.
(c) C.F. *Prope eum advenit*.
(d) *Intenso pavore percussus* C.Fr.
(e) *Iis*. C. Bol.
(f) *Sanctissima*. CC. F. B.
(g) *Confessorum*. C. Fr.
(h) *In celum*. C. B.

clesiae stabat, & pro suis delictis Dominum vehementer efflagitabat, omnia, quae acciderant, audisset, & vidisset, statim Nocturnum sonari jussit. Sed cum uterque sexus Ecclesiam adiissent, invenerunt ipsum Episcopum ante Altare in extasi denique stratum. Sed cum ab ipso Diacono omnia, quae acta fuerant, eis intimatum fuisset, una omnes gratias Deo, ejusque Genitrici reddiderunt, dicentes, quia respexit Dominus humilitatem servi sui, ipsumque Episcopum de pavimento, in quo prostratus jacebat, cum magna reverentia honorifice levaverunt, eumque in domum, ubi solitus erat requiescere, detulerunt. Cum namque non multos post dies ad pristinam valetudinem venisset, eo ordine ipsum miraculum hominibus pandebant, quemadmodum a Diacono antea eis fuerat propalatum: erat enim mitissimus, & Ecclesiae reparator.

C A P. XCII.

SEd *(a)* dum saepissime Legati Agarenorum Salernum venissent, & jam dictus Sico, Petrusque Rectores Salernitanis praeessent simul: accidit, ut unus eminentissimus Agarenus fuisset missus a *Saothan* *(b)* (4) Domino *(c)* Salernum. Sed cum Salerni *(d)* venisset, cum magna sublimitate eum susceperunt, & ad Episcopum illum miserunt, quatenus in domo, ubi Bernardus Praesul exinde *(e)* valde ingemuit, atque ex intimo cordis anhe-

(4) Nempe Saracenorum Duce, sive *Soldano*, qui, uti vidimus, *Siconolfo* Salerni Principe vivente, hoc est inter Annum 841. & 851. in Calabria incubabat; & nunc dicitur Legatos misisse ad *Siconem* & *Petrum Principes Salernitanos*, qui post Annum 851. Principatum tenuere, sed paucis annis. Hinc iterum habes, quibus temporibus floruerit *Bernardus Episcopus*, cujus Sedis initium Ughellius & Musca altero ineunte Seculo commemorarunt.

(a) *Cum*. C. F.
(b) *Saudan*. C.F.B.
(c) C. V. B. *Sed cum Salernum venisset, cum*.
(d) *Cumque*. C.B.
(e) C.F. *Mox*.

anhelitum trahens tamdem de intus vulnus foras erupit, & quasi pro causa dictorum Principum Romam properavit. Cumque Romam venisset, aliquo tempore ibidem moravit (*a*), & a Papa, qui tunc tempore aderat, & ab omnibus Romanis nimio diligebatur affectu. Sed dum bis terque a praedictis Principibus per epistolam efflagitatus esset, quatenus ad propria remearet, ille diu distulit redire (LI). Tamdem exoratus ab omni Populo Salernitano, & plus nimirum a Clero, illis epistolam in hunc modum misit: *Si illuc me habere cupitis, aedem mihi aliam in loco alio aedificate, quia post haec minime, ubi moravi, (b) habitabo*. Et specialem quemdam suum famulum, Gualpertum nomine, per epistolam in hunc modum est allocutus: *Praecipiendo tibi dirigo, quatenus cum omni solicitudine domum pulchritudinis mirae, quamvis exiguam, construere facias, mansiunculas in ea faciens*. Etiam mirae pulchritudinis Aulam pingere jussit. Sed dum jam dictus Praesul Salernum regressus fuisset, omnis Populus, omnisque aetas gratias Deo reddiderunt dicentes: *Veni Pater noster, & (c) orator patriae nostrae*. Dum in pristinum honorem jam dictus Coangelicus Praesul rediisset, iterum Ecclesiam inibi mirae pulchritudinis construi fecit, & pavimentum parvulis (*d*) tessellis in vario colore componi jussit. Libet me ejus Etymologiam fidelibus pandere. Vocantur autem *Pavimenta*,

Z

(LI.) Negligentiae notae fortasse damnandus Bernardus Episcopus, qui Romam pergens relinquendo suas oves, boni Pastoris officium praetermittere visus fuit. At excusatione aliqua dignus, qui domum suam Saracenorum Duce habitatam viderit, aliaque indigna persecutionum genera passus sit. Rediit vero suâ Domunculâ vel rursus extructâ, vel Saracenorum fordibus perpurgatâ, populo, ac Clero expetitus, atque communi omnium plausu exceptus dignissimus Praesul.

(a) C.F. *Moratus*.
(b) *Jam habitabo* C.F.
(c) *i. qui orabat pro populo*.
(d) C.V. *Cum parvulis crustis alias tessellis tinctis in vario*. C. F. *Cum parvis frustulis, sive tessellis depictis vario*.

ta, eo quod paveantur, ideſt caedantur: unde & pavor dicitur, quia caedit cor (LII). Diſtant autem *Pavimenta* ab *Oſtracis*; nam Oſtracus eſt pavimentum teſtarum, eo quod, fractis teſtis, calce admiſſo feriatur; teſtae enim Graece *Oſtraca* dicuntur. Haec autem exigua verba me de Pavimento dixiſſe ſufficiat. Nunc ad obitum jam dicti Epiſcopi ſtilo proprio revertamur. Dum ipſam Eccleſiam conſummaſſet, variis pulchriſque figuris eam decoravit, atque in honorem Domini & Salvatoris ipſam dedicavit; ejuſque (*a*) confratris Felicis, & multis aliis corporibus Sanctorum ipſum ſacratiſſimum Altare replevit. Sed dum feliciter ipſam jam dictam Sedem X. (*b*) (*ſ*) annis, & menſibus VI. gubernaſſet, eum divina pietas vocavit, atque tenebras reliquit Mundi, & perpetuam lucem adeptus eſt. Interim quae obmiſimus, ſubtilius nunc perquiramus.

C A P. XCIII.

ADemarius jam dictus una cum conjuge ſua *Guimeltruda* (*c*) nomine, avaritiae, ſimulque & diſcordiae labe foedati erant, atque ſuos ſubditos variis caſibus cruciabant. In tantum enim Guimeltruda exarſerat in avaritiam, ut ſi quislibet homo ſine herede illo (*d*) tempore fuiſſet, & illi intimatum eſſet, ſuo viro protinus nuntiabat, & ſive praedium, ſive ſupellectilem (LIII) defuncti,

(*ſ*) Non ergo *XXXII.* ut Ughellius ſcripſit.

(LII.) Hic non inſolenti methodo Anonymus noſter hiſtoriam philologica digreſſione confundit.

(LIII.) Ut ea, quae hic exhibet Anonymus facilius intelligantur, ſciendum eſt, a Rothari Longobardorum Rege ſuis in Legum Praeceptis ſtatutum fuiſſe cap. 158. 159. &

(*a*) *Confeſſoris &c.* C.F.

(*b*) *XVII.*

(*c*) C. V. *Gumeltruda*. Fr. *Vuimeldruda*.

(*d*) C.V. *Illo intempore nimium mortuus fuiſſet*.

cti, sicuti mos est per Praeceptum, statim ab ipso ipsa obtinebat. Et si eam aliquis efflagitaret, ut virum suum rogaret, tale ipsa quid responsum reddebat asserens: *Minime pro vestris partibus res ipsas accipere volui, sed magna postulans, res ipsas nos denique a parte viri mei obtinemus*. Dum talia Salernitani manifestius cognovissent, multi ex eis exinde in unum sunt congregati, atque inter se exinde colloquebantur de tanta cupiditate; sed minime valebant mox in eum consurgere, licet ante illius obtutum moesti sistebant. Ipse vero Ademarius saepe dictus, una cum sua, ut diximus, conjuge, dum plurimas opes congregassent, plus magis ad ipsas congregandas animos accendebant, ita ut pro re denique parva amiserint magna. Quid multa referam? Mortuo bonae memoriae *Praesule Bernardo*, statim *suum filium Petrum* (6) electum sublimarunt, & quemadmopum praeerant Laicis, ipsi etiam Clericis praeesse cupiebant. Sed non in longum eorum facinus permansit (*a*). Demum Salernitani omnes in unum congregati, & invicem inter se colloquebantur, quatenus in dolo suum Principem com-

Z 2 pre-

(6) Heic iterum deprehendimus Ughellium e via aberrantem. Statuit enim Bernardi Salernitani Episcopi successorem *Rachenalduni*, quum, teste Anonymo nostro, ei *Petrus* successerit, Ademarii Principis filius; & quidem ante Annum 861.

& 160. in quibus de successionibus agitur, quod *si parentes legitimi alicujus defuncti non fuerint, Curtis Regia* (idest *Fiscus*) *succedat* &c. quod item confirmat cap. 163., & *si alios parentes proximos non habuerit, tunc illi Curtis Regia succedat*. Quod & Rex Liutprandus in Leg. Langob. Cap. 23. aliique postmodum in suis Capitularibus confirmarunt. Quadere cum dicat Anonymus Guimeltrudam Ademarii Conjugem ita avaritiae labe fuisse foedatam, ut a viro suo hereditates hominis cujuslibet sine herede defuncti, protinus ab ipsa revelatas, *sicuti mos est per praeceptum obtinuerit*, aliud revera non designasse, quam edacissimam illius feminae bonorum cupiditatem, qua hereditates omnes, quae ad Fiscum devolvebantur, appetebat, sibique viri sui assensu (ut quieti potius animi, quam Fisci utilitati consuleret) omnia adjudicabantur.

(a) *Nam denuo Salernitani* C.F.B.

prehenderent, annectentes: *Nitantur imponere jugum in cervicibus nostris, & omnia quippe funditus suis ditionibus congregant, & nostros sermones derident*. Vereor, ne forte (a) a sagacissimo viro, qui liberalibus disciplinis apprime est imbutus, *imponere* reprehensionem habeat. (LIV) *Imponere* est aliquid, sive incorporale, vel corporale alteri rei ponere super; sed & *Imponere* per fraudem facere aliquando dicitur: unde & impostura, ut cum argentum, aurumque violari & adulterari dicitur; & qui hoc facit, impostor vocatur. Unde & vulgo qui aliquid fraudis facit, aut simile, a cunctis solet impostor appellari: unde Beatus Gregorius inter ceteros sic ait: *Coepit illum Simulatorem, & verbo rustico Impostorem clamare*. Item in Genesi (b): *Et quare imposuisti mihi, tu es enim Saul*: hoc est, quare me simulatione decipere, & fraudem facere voluisti? Et Sanctus Augustinus: *Ideo miser sibi imponit; sibi enim fraudem facit, qui perdit meliora, amando pejora*: credo enim, quia sufficiunt testimonia prolata.

C A P. XCIV.

AT Salernitani uno agmine incedentes, suum Principem Ademarium comprehenderunt, & in ardua custodia eum incluserunt, omnes enim exosum habebant, & minime unusquisque se perturbat; & ut diximus, pro exigua re perdiderunt etiam ampla. Postremo lumen oculorum amisit. Cum vero talia patrata fuissent *Dauferius* quidam *Mayonis filius*, qui fuerat *Gauferis* (c) germanus, omnimodo satagebat una cum collectaneis suis,

(LIV.) Heic quoque suas Etymologicas nugas repetit, saeraque prophanis immiscens Historicogrammatici schemate ineptissime obtegitur.

(a) *in quopiam* C.F.

(b) C.V. *Item in libro Regum* CC. alii; *Et in Genesi: Et quare imposuisti mihi, nonne pro Rachel servivi tibi? & in Regum: quare.*

(c) *Gauferii* Fr.

suis, ut Principatum Salernitanum arriperet. Sed dum diu exinde cum suis sodalibus decertaret, quamvis sine effectu Principatum gestare maluerit, ipsum *Dauferium Principem* sublimarunt; & quasi si fuisset firmatum de omnibus, in Palatio manebat. Hoc autem factum est sine Salernitanorum nutu, quia juvenes illi Beneventani fuerunt, & partim a Salernitanis suffragium habuerunt. Sed cum talia Salernitani cognovissent, ut sine eorum suffragio Princeps sublimatus fuisset, exinde in unum conjuncti sunt, & dum simul (a) de praedicta re sermocinarentur, & *Gaiferius* patruus jam dicti Dauferii inter eos esset, ipse Guaiferius tale fertur dedisse responsum: *Usque nunc partem cum Tyranno habuimus: & Tyrannum elegerunt. Valde etenim nobis stultum esse videtur, & nobis nostrisque filiis oppressionem fore, si eum illico non ejicimus foras.* Sed dum Salernitani hujusmodi verba captassent, valde se exinde perturbaverunt, atque in hunc modum verba promserunt: *Nos pariter super eum irruamus, eumque citius per vim foras ejiciamus; & qualem competentem postmodum nobis Principem sublevemus.* Quid multa dicam? Cum magna virtute Palatium ascenderunt, atque Dauferium cum suis, ut diximus, hinc inde stipatum in throno residere reperierunt. Cui pro cunctis Guaiferius sic pectore fatur: *Dic mihi*, inquit, *Dauferi, quis tibi temerarius ausus est promere, ut in tantam vesaniam curreres?* Et statim cum furore ei praecepit, quatenus sine mora exinde exiliret. Ille vero, quamvis cum timore, ei respondit: *Isti Comites fratres (b) quamvis indignus elegerunt me sibi in Principem.* At illi cum grandi strepitu omnes super eum irruerunt, eumque protinus comprehenderunt, & eos, qui eum adjuvare conabantur, fustibus attriverunt; & sic Dauferium cum suis germanis in obscura carcere (c) reclu-

(a) *Inter se de* Fr.
(b) *Fratres mei*. Fr.
(c) *Retruserunt*. E.

recluserunt . Cum namque talia peracta fuissent , omnis Populus , necnon & sublimes una omnes , *Guaiferium* (7) *Principem* sublimarunt . Ademarii filius , qui fuerat ordinatus electus , Petrus nomine , cum accidisse patri , quae supra jam diximus , audiret , etiam ille vero metu perculsus Sanctum Angelum , qui situs est in monte (LV) , qui Aureus dicitur , cum exiguis (*a*) Cleris venit . Sed dum (*b*) Guaiferium Principem fuisse factum innotuit , statim ille misit , quatenus illum apprehenderent . Sed dum illuc bis terque misisset , & ob loci munitionem eum apprehendere minime valuisset , tamdem spontanea voluntate ipse Petrus ipsorum manibus se nimirum tradidit . At illi comprehenderunt eum , Salernumque adduxerunt . Sed quid de illo factum sit , penitus ignoramus , videlicet utrum eum damnaverint , an illaesum illum ire permiserint : plura ferunt plurimi .

C A P. XCV.

RAdelchis , ut supra diximus , *Beneventanus Princeps* , dum tenuisset Principatum Samnitum per annos XI. & menses XI. ex hac (LVI) luce extinctus (8) est . Ejus

(7) Hic anno 861. Principatum Salernitanum iniit .
(8) Scilicet Anno 852.

(LV.) *Mons aureus* Oppidum non longe a Salerno urbe , qui etiam *Montorium* , Italice *Montuoro* appellatum , cui praeest Dominus Magnus Altavillae Comes , Aricinaeque Princeps ex antiqua , illustrique familia de Capua ; quae eadem ex urbe nomen , omenque VI. fere ab hinc seculis trahit . De eadem familia alibi opportunius differendum. Faxit interim Deus Opt. Max. ut haec diu semper augescat familia, ac perenni heroum serie ad fuimet, patriaeque decus vigeat memoria seculorum sempiterna .

(LVI.) Quot annis Beneventi Principatum possederit Radelchis , pugnant Scriptores inter se ; sicuti etiam & in aliis Principum Langobardorum Aetatibus , atque eorum Morte . Isthaec a nobis alibi melius consideranda .

(a) i. *Cum paucis Clericis* .
(b) C. V. *Sed dum Guaiferius in Principem sublimatus fuisset , statim ille* . C.F. *sublimatus , statim illuc* .

Ejus filium *Radelgarium* Beneventani Principem sublimarunt. Et ipse denique praefuit illis Princeps annos III. & menses VI. Sed quae praelia gesserint, cujusque fortitudinis fuerint, minime ad notitiam nostram usque pervenit. Sed dum Radelgarius (9) extinctus de hac luce fuisset, *Adelchis* frater ejus Principatum Samnitum obtinuisset, statim foedus firmissimum cum Guaiferio iniit, atque pari consensu legationem *Ludovico* miserunt *Regi*, quatenus cum valido exercitu veniret, & una cum ipsis, Agarenos de finibus Italiae exturbaret, quia eam (*a*) valere jam denudatam habebant.

CAP. XCVI.

Dum in hunc modum *Ludovico Regi* delatum fuisset: diu venire distulit. Hac tempestate Imperator Constantinopolitanus (*b*) erat ipse *Basilius*. Dum ipse Basilius cerneret ab Agarenorum manibus Calabriam, simulque & Apuliam esse detentam, & nullo modo per suos subditos illos exinde ejicere valeret, legationem & ipse Ludovico Regi protinus misit, quatenus cum suo exercitu veniret, & Agarenos de Ausoniae finibus sua potentia ejiceret, munera infinita illi mittens. Cum vero Ludovico Regi munera simulque & epistola ei prolata fuissent, & jam bis exinde & ter a Principibus jam dictis efflagitatus vehementer fuisset: statim universum suum exercitum congregari jussit in unum; moxque Romam properavit, & non exigua munera in Sedem sacratissimam Beatorum Apostolorum obtulit; & a Papa, qui tunc in tempore aderat, oleo (10) unctionis est unctus, co-

(9) Cujus mors in Annum 854. incidit.
(10) Exploratum jamdiu est, Ludovicum II. Augustum Anno 850. a Leo-

(a) C.V. & alii: *Valide eam jam nudatam videbant*. (b) *Praeerat Basilius*.

coronaque suo capite septus, & ab omnibus Imperator Augustus nimirum est vocatus. Dum vero talia fuissent ordinata, cum valido, ut diximus, exercitu ad Campaniae fines venit, & suum adventum nuntiandum Principibus misit, quatenus & ipsi cum suis hominibus ad bellum se praepararent.

CAP. XCVII.

Cum aliquo tempore Dauferius praenominatus una cum suis germanis tenti essent in carcere cum ingenti dolore, taliter prorumpunt in verba: *Pro nulla alia re nos in vinculis macerat nefandissimus noster patruus Guaiferius, nisi ut nostras opes sibimet societ: quod facere omnimodo non praevalet*. Ut verba inepta Principi Guaiferio fuissent comperta, valde iratus est, in verbis talia promit: *Nisi protinus omnes facultates illorum ante nostrum ditionem praesentaverint, illico eos lumine coeli privari facio*. Sed ut germani minas Principis comperissent,

a Leone IV. Romano Pontifice Imperiali corona redimitum fuisse. Attamen Salernitanus noster vel post illum Annum nominare pergit eumdem tantummodo *Regem*. Id ab eo factum, puto, quod Ludovicus vivente adhuc Lothario I. Augusto patre suo, Romanorum Imperator inunctus fuerat; ac propterea Historicus noster eum, post patris mortem, rursus coronatum censuit. Constat etiam ex Annalibus Bertinianis Tom. II. Collectionis hujus, eumdem Ludovicum Romae Anno 873. a Johanne VIII. Papa coronam accepisse. Sed coronatio ista aut Imperatoria non fuit, aut certe post bellicam Ludovici expeditionem heic enarratam peracta. Quare quid heic sibi velit Chronographus iste, non intelligo. (Prat.) Confundit Anon. priorem contra Saracenos adventum A. 851. cum altera ab A. 866. ad 870., quo Saracenos ab Apuliae Provincia expulit; Basiliique tunc Imperatoris Legatos irrisit, qui titulum Augusti ipsi adtribui renuebant, ut infra patebit. Quare in priori hujus Imp. itinere inunctus fuerat Ludovicus, non autem in altero. Neque verum ab aliis putatur quod Ann. Bertin. habent, novam scil. Ludovici coronationem, a Johanne VIII. sed confusam potius cum illa Caroli Calvi A. 875. Ludovico Germaniae Rege ejus fratre reluctante.

sent, statim omnes suas opes ante illius obtutum venire faciunt. At Princeps continuo a (a) loco, in quo nexi erant, jussit absolvi, & ante suum aspectum jussit venire, & in hunc modum verba praedixit: *Opes vestras tollite, & ubi vobis competens videatur, pergite. Tantum in nostra arva minime nimirum morate*: At illi, licet cum moerore, Neapolim adierunt.

CAP. XCVIII.

DUm Principi Guaiferio adventus Imperatoris Ludovici fuisset cognitus, protinus in diversis suis finibus misit, quatenus omnes in civitatem, ubi ipse degebat, sine dilatione properarent. Dum omnes simul in unum adiissent, ipse Princeps in hunc modum promit tunc talia dicta: *Dicite*, inquit, *mihi fideles, meique consanguinei, qualiter, vel quo modo Imperatorem Ludovicum recipiamus, etenim, ut mihi relatum est, Ademarium nobis illaesum poscere cupit*. At illi in hunc modum Principi verba promserunt: *Nos, Domine, ante rem talia operemus, ut illaesum ipse Imperator Ademarium minime reperiat*. Et statim rem ipsam *Rachanaldo* (11) *Episcopo* indicare studuerunt; erat siquidem Rachanaldus in hac Sede Salernitana Episcopus ab ipso Guaiferio praeordinatus. Fuerat denique inclusus, non pro alia re, sed pro (b) perpetua vita. At ubi etiam intimatum fuisset, ut Praesulatus honorem ipse gereret, ex improviso

A a inde

(11) Quem electum Salernitanum Episcopum Anno 942. Ughellius scribit. Quam male calculos ille inierit, aut Gaspar Musca, qui in Salernitanorum Praesulum Vitis contexendis ei praeluxit, Lector, vel me tacente, intelliget, quum Rechanaldus floruerit, antea quam Ludovicus II. Augustus ab Adelgiso Principe Beneventano fuerit ignominiose captus, hoc est ante Annum 871.

(a) C.V. & Fr. *A loro in quo* Fr. *cum quo*. (b) *Praecipua ejus vita* Fr.

inde exiit, & ad tantae ſublimitatis faſtigium ipſe pervenit. Sed ut eum interrogaverunt, utrum Ademario, qui in carcere nexus erat, eruerent oculos, an non, ipſe praediceret: ipſe in hunc modum verba depromit: *Non dico, ut illius oculos eruatis; ſed tantum fuerat bonum, si minime ille lumen aſpexiſſet* (LVII).

C A P. IC.

IGitur Princeps Guaiferius collecta multitudine, Imperatori Ludovico obviam exiit haud procul a Salernitana urbe ad locum, (LVIII) cui Sarnum nomen eſt. Utrique inibi in unum convenerunt. Praedictus autem Imperator Ludovicus Ademarium ab ipſo Principe expetiit, quatenus illaeſum illum ſuis, vivumque traderet. Cui Princeps; *Quid eſt, quod Dominus noſter ipſum nimium anxie quaerit? Eſt namque* (a) *jure privatus, & veſtrae Sublimitati jam quid eſt opus?* Et e veſtigio nimirum clam ipſe Guaiferius famulos ſuos Salernum miſit, & in arduo carcere Ademarium luce privarunt, juſto Dei judicio. Nam Redemtor noſter Petro ſic ait: *Omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit*. Ademarius jam fatus una cum ſuo genitore *Siconem liberum Siconolfi* Galliae extorrem fecerunt; poſtremo per hauſtum lethalem eum fecerunt ſpiritum exhalare. Genitor praedicti Ademarii, ut diximus, Siconem ſalvum facere praeſtiterat bis terque jusjurandum ſuo genitori. Unde horta-

(LVII.) Rachanaldus Epiſcopus ſuo deerat officio, ut qui Principi aſſentabatur, ut vides: unde in cap.ſequ. ejuſdem pravitas obfirmatur ex Domini noſtri (quando vera fuerit) apparitione. Langobardi ad hujuſmodi diviſionem ſomnia frequentiſſime commenti ſunt, eaque poſteris credenda tradiderunt, veluti ſub fide parentum. Nationis, ſeculique vitio haec potius adſcribenda.

(LVIII.) Sarnum Urbs non procul a Nuceria Boream verſus etiamnum *Sarno* vocitatum.

(a) *Luce*. C.Fr.

hortamur, atque omnibus modis vos fideles omnes non modice obsecramus, ut Praelatis omni moderamine subjiciatis, atque fidem servetis, dicente Apostolo: *Subditi estote omni creaturae* (subaudi omni homini): quanto magis illi, cui fidem accommodatus es? Ea interim, quae obmisimus, rursus indagemus.

C. A. P. C.

ET ut certo certius Imperator Ludovicus Ademarium effossis agnovisset oculis, cum omni suo exercitu Beneventum (12) abiit, digneque eum *Beneventi Princeps Adelchisius* (a) accepit. Atque cum ipso Imperatore ipsi Principes Apuliam properarunt, & civitatem Barim, ubi Sagdan Agarenus cum non paucis degebat, cum omni conamine undique constrixerunt, & variis machinis expugnare coeperunt. Hiis itaque gestis, praedictus ille *Rachinaldus Episcopus* saepissime Ecclesiam Dei Genitricis nocte, dieque pergebat, & pro suis delictis Dominum indesinenter efflagitabat. Factum est autem, ut ex more intempesta nocte Ecclesiam jam dictam introiisset, atque ante vestibulum jam fessus resideret: illico apparuit ei Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus cum immenso splendore. At ille ut eum conspexit, obriguit, & in faciem ruit. Cui Dominus trina voce praedixit: *Scis meum nomen*? Idem Episcopus: *Scio, & vere scio*. Ad haec Redemtor subjunxit: *Utinam fuisses calidus, aut frigidus*: hoc est nec in Fide fervidus, nec in totum fidelis. Haec dicens coelo receptus

Aa 2

(12) Expeditio haec Ludovici II. Augusti in Saracenos referenda videtur ad Annum 866. vel ad sequentem. Annales enim Bertiniani hoc innuere videntur. Vide etiam Chronicon Vulturnense part. II. Tom. I. pag. 403.

(a) A.866.

ceptus est. Praedictus ille Praesul statim elanguit, & cuncta, quae ei dicta fuerant a piissimo Domino, suis Clericis enodavit. At illi cognoverunt, quod pro nulla alia re Redemtor talia dignatus est promere, nisi ut suos fideles enormiter a recto tramite deviantes duceret, atque suis Electis denique sociaret.

C A P. C I.

Imperator jam dictus Ludovicus una cum (a) ipsis Principibus Apuliam, simulque & Calabriam properarunt, atque minutas civitates suo dominio pacifice subjecit, & quotquot ex Agarenis reperiunt, denique trucidavit. Sed imminente peccato Neapolitani Agarenos suscipiunt, alimentaque illis nimirum praebent. Expulsis, ut diximus, Agarenis ab Italia tamen Barim, ubi ipse Sagdan praeerat, & aliquantae aliae civitates illis omnimodo resistebant propter Agarenorum metum. Sed ut cognovisset ille Imperator, quod minime Barim expugnare valeret, & quod non haberet marinos hostes (LIX), statim Constantinopolim Basilio Imperatori legationem misit, quatenus sine mora navalem exercitum mitteret, ut Barim una cum ipso posset atterere. *Basilius Imperator Graecorum*, ubi hujusmodi verba captasset, valde gavisus est, atque sine mora non pauca (LX) scelendria misit, & qui illis

(LIX.) *Marinos hostes*: maritimam nempe classem qua, portu Saracenis penitus intercluso, subsidia nequaquam exspectare possent. Ex ea etiam parte urbem facilius adgredi, atque expugnare hostes potuissent.

(LX.) *Scelendria* navigii genus, quod *scedio* opponitur, navis quippe incondita quaedam trabibus inepte contextis (quam nunc vulgo *scafa* & *schiffo* vocamus) quo mercimonia post amissam navem, aut longe a litore dissitam circumferuntur. Unde etiam mala poemata a Lucilio in Sat. & a Sidon. in Epist. *Scedia* vocantur, ut ex Laurenbergio in Antiquar. verbo *Scedium*.

(a) *Cum dictis* Br.

illis praeesset, quemdam *Patricium (a) Gregorium* nomine direxit, eumque admonuit, ut solerter invigilaret, & strenue pro suo posse decertaret. Ille vero una cum suis blandissima aequora omni nisu sulcantes, Barim adierunt, & ab Australi parte undique eam obsederunt. Cumque per multos dies undique eam obsiderent, atque variis machinis Langobardi, Francique scilicet expugnarent, idem Imperator Basilius quemdam Johannem Patricium Imperatori Ludovico Legatum misit, atque ad eum vehementer redarguendum direxit, eo quod ipse Ludovicus se *Imperator Augustus* in epistolis, quas dudum ipsi Basilio direxerat, scribi jusserat; & quod pauci essent, & sic infimi, ut si Graecorum exercitus ad illos adire potuissent, Graeci labentes sine dilatione ad nihilum deduxissent. Ille namque Ludovicus confusionem sufferre non valens, Autprandum fidelem ac familiarem suum cum luciflua Epistola Constantinopolim dixerit, ut de omnibus, unde illum redarguendo miserat, mira relatione dicta ejus compesceret: & ideo illam huic Historiae innectere facimus.

CAP. CII.

„ IN nomine (13) Domini nostri Jesu Christi Dei aeter-
„ ni. Ludovicus divina ordinante providentia Impe-
„ rator Augustus Romanorum. Dilectissimo, spirituali-
„ que fratri nostro Basilio gloriosissimo, & piissimo aeque
„ Imperatori novae Romae. Probabile quidem, & lau-
„ da-

(13) Epistolam hanc Cardinalis Baronius in suos Annales antea integram intulit ad Annum 871. ex hoc eodem Chronico excerptam. DuChesnius quoque inter monumenta Scriptorum Francic. Tom. III. eamdem exhibet. Rursus heic ipsam accipere, Lectorem non pigebit, quum multa habeat Codex noster, unde Baronianae editioni plurimum lucis ac subsidii accedat. Ego paucula tantum attingam.

(a) C. V. & Fr. *Georgium nomine*.

„ dabile constat, aliquem fratrem fratris monitis quasi
„ quibusdam flatibus ad ignem Caritatis accendi; pro-
„ babilius autem est, sic ipsius ultroneae voluntatis ad
„ hoc motibus inflammari. Sed probabilissimum est,
„ quandocumque viam quemquam virtutis arripere, &
„ magis magisque miris successibus in sublime proficere.
„ Nam ille semper miles a Duce magis diligitur, qui
„ post veniens hostium vires fortiter premit, quam is,
„ qui maturius quidem accessit sed forte aut nihil, aut
„ certe modicum gessit. Secundum, quam regulam di-
„ vinitus sublimatum (a) Imperium nostrum ex die, qua
„ coepit erga fraternitatem tuam dilectionis radicem in
„ corde suo plantare, multiplices fructus exhibere non
„ destitit, non minus quam quae nostra, quam quae ve-
„ stra sunt, procurans & vindicans, quamvis quae circa
„ Missos nostros de (b) tua familiaritate, & benignitate
„ te gloriaris egisse: nos prius erga *Johannem famosis-*
„ *simum Patricium* gessisse patescat; quem revera non
„ sicut amicum, vel quemadmodum fratris, idest Impe-
„ rii tui hominem, sed quasi consanguineum nostrum,
„ & tamquam Excellentiae tuae sobolem tractavimus, &
„ dileximus; nec hunc penes nos positum aut tarditas
„ umquam temporis, aut intima locorum a penetralibus
„ nostris fecere extorrem. Ceterum spiritualem fraterni-
„ tatem tuam miramur tot sermonum ambages conten-
„ tiosius adversus Apostolum praetendentem, qui (c) di-
„ cit (d): *Si quis vult contentiosus esse, nos talem con-*
„ *suetudinem non habemus*; Neque Ecclesia Dei, cum
„ Imperii dignitas apud Deum non in vocabuli voce,
„ sed in culmine pietatis gloriosa consistat; nec nobis
„ quod (e) appellatu mirandum, sed quod sumus, pro-
vi-

(a) *Stabilitum* leg. Baronius.
(b) *In causa familiaritatis, & benignitatis* legit Baron.
(c) *Dixit: Si* Fr.
(d) 1. Cor. 11.
(e) C. V. *Appellamur, curandum, sed quod sumus magnopere providendum*; Fr. *quid appellatum mirandum, sed quid*.

„ videndum. Verum quia de Imperatorio nomine mul-
„ ta nobis scripsisti, cogimur & nos quoque ad scripta
„ tua quaedam rescribere, ne si usquequaque super hoc
„ siluerimus, non ut contentionem vitantes, sed quasi
„ ratione convicti, siluisse ab insipientibus videamur.

CAP. CIII.

„ INdicat itaque dilectio tua, se maledictum Legis (a)
„ pavescere, & idcirco terminos aeternos transferre,
„ & veterum Imperatorum formas commutare, ac prae-
„ ter canonica, ac paterna praecepta (b) conversari re-
„ nuat & recuset. Et tamen qui sunt illi, vel ubi, vel
„ unde fuerunt prolati termini aeterni, vel veteres for-
„ mae, aut illa canonica, ac paterna praecepta, minus
„ aperte declarat, nisi forte super Imperatoris nomen ve-
„ lit haec cuncta sentiri. Verum apud nos multa lecta
„ sunt, multa quidem indefesse leguntur: numquam ta-
„ men invenimus terminos positos, aut formas, aut
„ praecepta prolata, neminem appellandum *Basileum*,
„ nisi eum, quem in urbe Constantinopoli Imperii te-
„ nere gubernacula contigisset, cum singularum gentium
„ monumentis, interim postpositis, sacrae nobis affluen-
„ ter Historiae monstrent, plurimos fuisse *Basileos* nun-
„ cupatos, & non solum electos quosque, quales videli-
„ cet fuere Melchisedech, & David; verum etiam repro-
„ bos, quales Principes Assyriorum, Ægyptiorum, Moa-
„ bitarum, & ceterarum nationum (quas dinumerare
„ longum esset) extitisse probantur. Ergo cum ita sit,
„ frustra causandum ducit prudentia tua, alios praeter
„ te *Basileos* non appellandos, nisi forte radendos ducat
„ totius Codices Mundi, in quibus pene cunctarum gen-
„ tium Principes a temporibus priscis, & deinceps *Ba-*
„ *silei* inveniuntur scripti. Et certe ut de Latinis Co-
„ dici-

(a) *Deuteron. c.* 19. (b) *Conservari. Ex.*

„ dicibus interim taceamus : si Graecos, & noviter editos, revolvas Codices, invenies procul dubio plurimos tali nomine vocitatos, & non solum Graecorum, sed & Persarum, Epirotarum, Indorum, Bithyniensium, Parthorum, Armeniorum, Saracenorum, Æthiopum, Vuandalorum, & Gothorum, atque aliarum gentium Praelatos *Basileorum* appellatione veneratos. Intuere igitur, frater, & considera, quod multi fuerunt, qui *Basilei* diversis temporibus, & in diversis locis, & nationibus nuncupati sunt, vel hactenus nuncupantur. Et noli vel nobis, quod dicimur invidere, vel tibi singulariter usurpare, quod non solum nobiscum, sed & cum pluribus Praepositis aliarum gentium possides. Grave namque vitium est, singularis dignitatis fastigium, quod qui in principio ambierit, quid ei, ambiendo talia, contigerit, commemorare nolumus, ne fraternitas tua commemoratum ad injuriam suam existimet.

C A P. CIV.

„ DIcis autem, quod quatuor Patriarchales Sedes, unum Imperium inter sacra mysteria memorari, a Deiferis Apostolis usque nunc traditum habeant. Moxque hortaris, ut persuadeamus eis, quod nos *Imperatorem* appellent : quod tamen nec ratio dictat, nec opus est. Primo quidem, quia nobis non congruit alios, (*a*) qualiter nos vocent instruere ; deinde vero quia nobis etiam minime suadentibus tam Patriarchas singulos, quam ceteros homines, qui sub coelo sunt, excepta fraternitate tua, tam honoratos, quamque privatos, tali nos (*b*) novimus appellare cognomine, quoties eorum accipimus Epistolas, & Literas invenimus:

„ praesertim

(a) *Quomodo*. Baron. (b) *Nominis*. Baron.

„ praesertim cum & ipsi patrui (14) nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitent, & Imperatorem esse procul dubio fatentur, non profecto ad aetatem, qua nobis majores sunt, attendentes, sed ad unctionem & sacrationem, qua per Summi Pontificis manus impositionem, & (a) orationem divinitus sumus ad hoc culmen provecti, & ad Romani Principatus Imperium, quo superno nutu potimur, aspicientes. „ Porro si unum Imperium Patriarchae inter Sancta Sacramenta & sacrificia memorant, laudandi sunt, non utique inconvenienter agentes; unum est enim Imperium Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cujus pars est Ecclesia constituta in terris, quam tamen Deus (b) non per te solum, nec per me tantum gubernari disposuit, nisi quia sumus tanta ad invicem caritate connexi, ut non jam divisi, sed unum existere videamur. „ Non autem credimus, Sanctissimos Patriarchas sic tui memoriam facere, ut aliorum quoque Principum (ut mittamus nostram) mentionem praetereant, cum pro hujusmodi etiam Apostolus (c) orare jusserit, cum persequerentur Ecclesiam, ut securam & tranquillam vitam agerent cum omni pietate: praesertim cum eos etiam pro impiis orare non diffidamus, sub quorum ditione consistunt, sicuti Judaeae quoque Populus in Babyloniam ductus pro Rege Babyloniae per (d) Hieremiam jubetur orare; nam in illorum pace (e) fidelis etiam populus constituit pacem.

(14) Ii erant Carolus Calvus Franciae Rex, & Ludovicus Germaniae Rex.

(a) Tes. *orationem* ap. Baron.
(b) *Nec per te*. Baron.
(c) 1. Timot. 2.
(d) *Baruch*. 1.
(e) Des. *fidelis in Baron.*

C A P. CV.

„ ILlud autem mirari merito possumus, quod tua Sublimitas ad novam vel recentiorem appellationem „ aspirare nos autumat, cum quantum ad generis lineam pertinet, non sit novum, vel recens, quod jam „ ab avo nostro, (*a*) non jam usurpante, ut perhibes, „ sed Dei nutu, & Ecclesiae judicio, Summique Pontificis per impositionem, & unctionem manus obtinuit, „ sicut in Codicibus (*b*) nostris invenire facile poteris. „ Verum quid mirum, si novum sit, cum omne vetus „ a novo principium habeat, & non novum a veteri. „ Et certe cum primi Romani Principes imperare coeperunt, novum fuit; Sed de die in diem devênit in „ vetustatem. Non ergo quaecumque novitas in culpa „ est, sed (*c*) reprehensibilis injusta novitas. Unde & „ Apostolus cum dilecto discipulo scriberet, non ait: (*d*) „ *Vocum novitates devita*; *sed profanas vocum novitates* „ *devita*. Sane antiquam esse nostri Imperii dignitatem, „ nullus ambigit: qui vel nos successores antiquorum Imperatorum esse non nescit, vel divinae pietatis divitias non ignorat. Nam quid mirum, si in fine temporis palam exhibuit, quod ante tempora in abdito consilio suo praedestinavit?

CAP.

(a) C.Vat. & Fr. *Non usurpatione, ut*.
(b) *Lege tuis, ut apud omnes Codd.*
(c) *Scilicet*. Baron.
(d) *1. ad Tim. 6.*

CAP. CVI.

„ SEd nec hoc (a) ambitione caret; quod asseris,
„ Principem Arabum *Protosymbolum* (15) dici, cum
„ in voluminibus nostris nihil tale reperiatur & vestri
„ Codices modo *Architon*, modo *Regem*, vel alio quo-
„ libet vocabulo nuncupent. Verum nos omnibus Lite-
„ ris Scripturas Sacras praeferimus, quae per David (b)
„ non *Protosymbolos*, sed *Reges Arabum*, & *Saba* perspi-
„ cue confitentur: *Chaganum* (16) vero non *Praelatum*
„ *Avarum*, non *Cazarorum*, aut *Nortmannorum* nuncu-
„ pari reperimus, neque *Principem Bulgarum*, sed *Re-*
„ *gem*, vel *Dominum Bulgarum*. Quae omnia idcirco
„ dicimus, ut quam aliter se habeant, quae scripsisti le-
„ gens in Graecis voluminibus ipse cognoscas, quos ni-
„ mirum suis cognominibus acquiescere perhibes, nec ta-
„ men propria ipsorum cognomina recolis. Verbum id-
„ circo ab his, & ab omnibus astute (c) *Basilei* debitum
„ vocabulum adimis, ut hoc soli tibi non tam proprie;
„ quam violenter inflectas. Illud autem ridere libuit,
„ quod de Imperatoris nomine dixisti, neque paternum

Bb 2 „ esse,

(15) Certe in Historia Miscella Tom. I. pag. 138. Collectionis hujus legitur: *Mortuus est Mubavias Protosymbolus Saracenorum* &c. Idest *Amira*, sive Princeps. Utuntur hac voce non pauci ex Scriptoribus Historiae Byzantinae. Vide Du-Cangium in Glossario Graeco.

(16) Uti adnotatum a Valesio ad Panegyricum Berengarii Tom. II. pag. 393. Collection. hujus, *Hunni* ac *Avares* eadem gens fuere, qui postea *Hungri* seu *Hungari* appellati sunt, & adhuc adpellantur. Eorum Reges olim *Chagani*, seu *Cagani*, & *Cacani* appellatione singulari distinguebantur, ex *Cham* seu *Can* derivata, quae *Principem* significat, Paulus Warnefridi Lib. IV. Cap. 39. de Gest. Langobard. *Rex Avarorum*, *quem sua lingua Cacanum appellant*. Sigebertus quoque ad Annum 520. scribit: *Ab hinc Regnum Hunnorum annotare cessabo*, *quia omnes gentis illius Reges Caganos vocatos lego*. Alios testes omitto.

(a) Cod. V. & alii: *admiratione*. (c) Def. *astute* in Baron.
(b) *Psal.* 71.

„ esse, neque genti convenire. Quomodo enim paternum „ non est, quod jam in avo nostro paternum fuit? Quomodo autem genti non conveniat, cum sciamus, ut „ de ceteris brevitatis gratiâ taceamus, ex Hispanorum, (*a*) Isaurorum, & Cazarorum gente Imperatores Romanos effectos? Neque enim veraciter asseverabis, Nationes has gente Francorum, aut Religione, aut „ Virtutibus clariores; & tamen admittere non renuis „ Imperatores ex (*b*) hiis, & praedicare non despicis. „ Porro de eo, quod dicis; non in tota nos Francia imperare, accipe, frater, breve responsum. In tota „ nempe imperamus Francia, quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro, & „ sanguis sumus, ac unus per Dominum spiritus. Praeterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quod „ non *Francorum*, sed *Romanorum Imperator* appellemur. Sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis „ enim hoc nomen & dignitatem assumsimus, apud quos „ profecto (*c*) nimirum primo tantae culmen sublimitatis, „ & appellationis effulsit, quocumque (*d*) gentem & Urbem divinitus gubernandam, & Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam (LXI), atque sublimandam suscepimus, a qua & regnandi prius, & postmodum

(LXI.) Non itaque Ludovicus Pius Aug. Romanae Urbis dominium aliquod sibi reservarat in celebri illa constitutione, sive Donationis diplomate (quod penè omnes, etiam H. Grotius, P. Marca, Labbeus, alijque Galliarum, & Germaniae Scriptores tanquam veram, legitimam, certamque modò fatentur) in quo apertissimè legitur Pontifici jurisdictionem in Romanum Ducatum cessisse, sibi tantummodo reservato intercedendi jure pro recurrentibus, atque pro Ecclesiae defensione, ac tutela, quam iidem Reges sibi cum adtributis juribus ac privilegijs (*Patriciatus* nempè, seu Patronatus) sibi, suorumque successoribus reservarunt. Quae quidem donatio, seu cessio dominij Urbis cla-

(a) C.V. *Histurorum* C.Fr. *Austurorum* Bol. *Isucrorum*, *&* *Cazarenorum*.

(b) *Et eos* Bar.
(c) *Def. in Baron.*
(d) *Quorumque*. Baron.

„ dum imperandi auctoritatem prosapiae nostrae semina„ rium sumsit. Nam Francorum Principes primo Re„ ges, deinde vero Imperatores dicti sunt, hi dumta„ xat, qui a Romanis Pontificibus ad hoc Oleo Sancto „ perfusi sunt. In qua etiam Carolus Magnus abavus „ noster unctione hujusmodi per Summum Pontificem de„ libutus, primus ex gente & genealogia nostra, pieta„ te in eo abundante, & Imperator dictus est, & chri„ stus Domini factus est; praesertim cum saepe tales ad „ Imperium sunt adsciti, qui nulla divina operatione per „ Pontificum ministerium, propositi solum a Senatu & „ Populo, nihil horum curantibus, Imperatoria dignita„ te potiti sunt. Nonnulli vero nec sic, sed tantum a „ militibus sunt clamati, in Imperio stabiliti sunt, ita „ ut etiam eorum quidam a feminis, quidam autem „ hoc, aut alio modo, ad Imperii Romani sceptra pro„ moti sunt.

CAP.

clarius evincitur ex testamento Caroli Magni Imp., & Ludovici divisione apud Pagium A. 853. In cujus primo apud Aeginardum legitur: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres Fratres* (Caroli scilicet filij) *curam & defensionem Ecclesiae S. Petri simul suscipiant, sicut quondam ab Avo nostro Karolo, & beatae memoriae genitore Pipino Rege, & a nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam quantum ad ipsos pertinet, & ratio postulaverit habere faciant*. Pari modo locutus est Ludovicus Caroli filius: *Super omnia jubemus, ut ipsi tres Fratres* (Lotharius, Pipinus, & Ludovicus ejus filij) *curam, & defensionem Ecclesiae S. Petri simul suscipiant sicut quondam a proavo nostro Karolo, & Avo nostro Pipino, & Karolo genitore nostro, & a nobis postea suscepta est, ut eam ab hostibus defendere nitantur* &c. Haec ideo a me repetenda duxi, ut futilia quaedam argumenta, quae nuperi scriptores afferunt, quibus Romanam Urbem sub Impp. Occidentalium dominio fuisse contendunt, diluantur; & rejecta satis habes apud Romani Pontificatus vindices.

C A P. CVII.

„ POrro si calumniaris Romanum Pontificem, quod „ gesserit: calumniari poteris & Samuel, quod spreto Saule, quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Verum super hoc si est, qui Summo Pontifici saltim unum faciat (17) motum, congruo profecto illius non carebit responso. Sed interim si paginas revolvas Graecorum Annalium, & (18) quae (a) indiscriminate ab alienis, per vos nequaquam defensi, (LXII) & quae a vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profecto invenies, unde illos juste non valeas redarguere. Verum haec illi, quae extrinsecus agebantur, facile parvipenderunt; nisi quae (b) intrinsecus per diversas haereses perimere conantium „ mo-

(17) Baronius legit *unum faciat muttum*, &, asterisco adjecto vitiatam vocem monet. Sed revera retinendum *muttum*, quam vocem Italica & Gallica Lingua adhuc servant, nempe *Motto* & *Mot*. Antiquitatem autem vocabuli hinc intelligis. Cornutus in Persii Satyr. I. *Proverbialiter dicimus: Muttum nullum emiseris, idest verbum.* Consule Menagium in Origin. Linguae Italicae. Supra etiam vidimus *clamati*: nunc dicimus *chiamati*. (*Prat.*) Bene legerat Baronius in Cod. Vat. *faciat muctum*: sic etiam in *Frecc. & Bolv.* At in nova Baronii editione inepte reponunt *multum*.

(18) Est apud Baronium: *utique discriminatos ab aliis, per quos &c.* Nullus ibi sensus. Amplectere lectionem Codicis nostri.

(LXII.) Alludit heic Ludovicus ad Iconomachorum haeresim, qua Graeci Imperatores a Pont. Max. divisi, immo illos odio semper habentes persecuti sunt, mortemque in eos per Exarchos, aliosque Duces molientes. Insuper cum Romanus Ducatus, aliaeque S. Sedis Urbes a Langobardis oppugnarentur ab iisque Augustis subsidium Pontifices implorassent, nedum ipsis opitulatum fuit, quin immo novas semper persecutiones passi, desperantes omnino Orientalium Impp. auxilia, ad Gallorum regum opem implorandam coacti fuerint Romani Pontifices. Ab iis Regibus tandem, ex Italia exactis Langobardis, Occidentalis Imperii jacta fuere fundamenta; ut supra in notis ad Erchempertum.

(a) C. V. & B. *discriminata*.

(b) Baron. &.

„ molimina deprehenderunt. Unde merito Apostatis de-
„ sertis (quae enim communicatio Christi cum (a) Belial?)
„ adhaeserunt genti adhaerenti Deo, & ipsius Regni fru-
„ ctus facienti. Quoniam personarum non est acceptor
„ Deus, sed ut eximius Apostolus (b) innuit, (c) *in omni*
„ *gente, qui timet Deum, acceptus est illi*. Ergo cum ita
„ sit, cur nos satagis reprehendere, quoniam ex Fran-
„ cis oriundi, Romani moderamur habenas Imperii, cum
„ in omni gente qui timet Dominum, acceptus sit illi?
„ Et certe Theodosius major, & filii ejus Arcadius, &
„ Honorius, atque Theodosius minor Arcadii filius ex
„ Hispanis ad Romani Imperii culmen assumti sunt: &
„ tamen non invenimus, quod aliqui clamaverint, vel
„ reprehenderint Theodosium, quod non Romanus, sed
„ Hispanus existeret, vel restiterint, vel prohibuerint,
„ filios ejus in loco patris, & honore succedere; quem-
„ admodum, ut (cum pace tua dicamus) nunc tua co-
„ nari videtur diligenda fraternitas, & sustinenda dile-
„ ctio, quasi gens Francorum non pertineat ad heredi-
„ tatem, de qua Pater ad Filium loquitur. *Postula*, (d)
„ inquiens, *a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*,
„ & cetera. Et alibi: *Glorificantes me glorificabo* (e), &
„ alia innumerabilia (f).

C A P. CVIII.

„ Ergo, frater carissime, desine in hoc contentiosius
„ agere; desine adulatoribus quibusque aures tuae
„ pietatis inflectere. Denique gens Francorum multos (g)
„ & foecundissimos Domino fructus attulit, non solum
„ cito credendo, verum etiam nonnullos alios salutifere
„ convertendo. Unde vobis a Domino jure praedictum
est:

(a) 2. Cor. 6.
(b) *Apostolorum*. Baron.
(c) *Act.* 10.
(d) *Psalm.* 2.
(e) 1. *Reg.* 2.
(f) C. Vat. & Fr. *mirabilia*.
(h) *Justos*. Baron.

„ eſt : (a) *Auferetur a vobis Regnum* ; *& dabitur genti*
„ *facienti fructus ejus* : Sicut ergo potuit Deus de lapi-
„ dibus ſuſcitare filios Abrahae , ita potuit de Franco-
„ rum (b) duritia (c) ſuſcitare Succeſſores Imperii . Et
„ ſicut ſi Chriſti ſumus ſecundum Apoſtolum (d), Abrahae
„ ſemen exiſtimus, ita ſi ſumus Chriſti, omnia poſſumus
„ per gratiam ipſius, quae poſſunt illi, qui videntur exi-
„ ſtere Chriſti. Et ſicut nos per Fidem Chriſti Abrahae
„ ſemen exiſtimus, & Judaei per perfidiam Abrahae filii
„ eſſe deſierunt : ita quoque nos (e) per bonam opinio-
„ nem, ideſt Orthodoxiam, regimen Imperij Romani ſu-
„ ſcepimus. Graeci vero propter Cacodoxiam, videlicet
„ malam opinionem , Romanorum Imperatores exiſtere
„ ceſſaverunt , deſerentes (f) non ſolum Urbem & Se-
„ dem Imperii, ſed & gentem Romanam, & ipſam quo-
„ que linguam (g) amittentes , atque ad alia (h) tranſ-
„ migrantes.

C A P. CIX.

„ SEd ne, frater deſiderabilis , triſtitia cor tuum re-
„ pleat, audi ſequentia : (i) quia *non repulit Deus*
„ *plebem ſuam , quam praeſcivit* . Dico (k) ergo, num-
„ quid ſic offenderunt, ut caderent? abſit. Sed illorum
„ delicta honor noſter , & diminutio ipſorum plenitudo
„ noſtra effecta eſt. Cum enim fracti ſunt rami, nos in-
„ ſerti ſumus in illis . Cum oleaſtri (l) quidem amodo
„ fuiſſemus, & ſocii radicum, & pinguedinum (m) olivae
eſſe-

(a) *Matth.* 21.
(b) C. Vat. *Duritia Romani ſuſcitare*.
(c) *Romani* addit Baron.
(d) *Ad Gal.* 3.
(e) *Propter* Bolv. Baron.
(f) Def. *Scilicet* .
(g) *Penitus*. Def.

(h) Cod. Vat. & Bol. *Ad aliam Urbem , Sedem, Gentem, & linguam per omnia tranſmigrantes* . Fr. *Ad aliam ſedem* .
(i) *Ad Rom.* 2.
(k) *Die*. Frecc. Baron.
(l) C.V. *Quodam modo*.
(m) C.F. *Pinguedinis*.

„ effecti sumus. Dicimus ergo: fracti sunt rami, ut nos „ insereremur (a): & bene. Non enim nisi propter credu- „ litatem non rectam fracti sunt; nos autem fide stamus. „ Qui habet aures audiendi, audiat. Sed dicis, quod „ esset tempus, secundum quod fraternitati nostrae re- „ promiseris, quando & hac potiremur appellatione, si „ Deus ad finem ea, quae (b) consiliati sumus, perdu- „ cere voluisset: equidem de consilio, quod asseris, quae „ diximus, haec ipsa & nunc dicimus; Non enim est in „ nobis Est, & Non, & a Verbo nostro nec ad dexte- „ ram, nec ad sinistram divertimus: sed in ipso immoti „ persistimus. Appellationem autem illam, sicut hacte- „ nus nec nos, nec patres nostri per carnem & sanguinem „ possedisse dignoscimur, ita quoque de cetero non im- „ merito possidere contendimus. Per patres enim nos, & „ non per filios, consuevimus honorari; & apud nos (c) „ gloria non a filiis ad patrem (d), sed a patribus (e) ad „ filios derivatur. Quod enim nos *a Patre luminum*, *a* „ *quo omne datum optimum*, *& omne donum perfectum*, „ sumsimus, neque a filio, neque per hominem, aut ab „ hominibus accipere (f) volumus.

CAP. CX.

„ POstremo scito, quia qui (g) *Riga* (h) quemque ap- „ pellat, quid dicat, nec ipse novit. Siquidem etiam „ si linguis omnibus more Apostolorum, immo Angelo- „ rum loquaris, cujus linguae sit *Riga*, vel cui dignita- „ ti sonus ille barbarus congruit, quod *Riga* (i) dicitur „ interpretari non poteris. Nihil enim (k) forte ad idio-

(a) *Inseramur*. Baron.
(b) *Conciliati*. Fr.
(c) *Cum gloria* F.
(d) *Patres*. Frecc.
(e) al. *in filios*.
(f) *Omnino* F.

(g) *Riga pro Rege usurpatum a Basilio*.
(h) *Quemquam*.
(i) C.V. *Quod Rex dicitur*.
(k) *Fore*. Baron.

„ ma propriae Linguae tractum *Riga Regem* significare „ monstraveris. Quod si ita est, quia non jam Barbarum, sed Latinum est, oportet ut cum ad manus vestras pervenerit, in Linguam vestram fideli translatione vertatur. Quod si factum fuerit, quid aliud nisi „ hoc nomine *Basileus* interpretabitur? quod non solum veteris, sed novi Testamenti omnes Interpretes attestantur. Unde si in (a) alteris personis hoc detestaris vocabulum, stude ex omnibus tam Latinis libris, quam „ Graecis, sive *Regis*, sive *Basileos* nomen eradere (b).

„ His itaque super hoc ita praelibatis, obstupescimus „ in iis, quae Serenitas tua prosequitur dicens: Suis, idest „ Graecis, Barim (19) ex parte sua debellantibus, & „ elidere decertantibus, nostros vel solum intuitos, vel „ prandiis (c) dissolutos, nullum auxilium praestitisse; „ hancque ideo civitatem capi minime potuisse: cum (d) „ nos sive intuendo tantum, sive prandendo, sive aliud „ quid agendo, Barim tamen, licet perpauci, & fine tenus impugnasse, & ope divina cepisse (20) (e) noscamur.

(19) Non uno anno obsessum ac oppugnatum a Ludovico II. Augusto *Barium*; qui & variam fortunae aleam ibi sensit. Anno 867. primum ad eam Urbem contra Saracenos castra posuisse videtur. Inde vero fugatus, obsidionem rursus instituit fortassis Anno 869. de qua te vide Chronicon Vulturnense, part. II. Tom. I. hujus Collectionis pag. 403. (Prat.) Haec alibi fusius expendenda duxi.

(20) Anno 871. (quamquam mihi suspicio erepta non sit de Anno 870.) videtur Barium a Ludovico II. receptum. Et quidem a Francis potius ac Italicis devictam Urbem fuisse hinc intelligimus, quam a Graecis simul junctis, uti Porphyrogenneta in Vita Basilii Imperatoris scripsit. Quare cum Baronio Epistola haec recte refertur ad Annum 871. (Prat.) Barium A. 870. captum fuisse puto (ut alibi dicam), ipso-

(a) *In alienis*. Fr. & Baron.

(b) C.V. *Evadere nam nihil lingua latina resonet, quam quod Graece dicitur*. Βασιλεύς. Not. in margine Fr. & Bolv.

(c) *Dissolutis agentes, nullum*. Fr.

(d) *Nostri*. Fr.

(e) *Noscantur*. Bar.

„ mur. Vestri autem sicut bruchi multitudine apparen-
„ tes, & sicut locustae primum impetum dantes, eo
„ ipso, quo conatum suum in prima fronte monstraverunt,
„ pusillanimitate superati protinus infirmati sunt; & mo-
„ re locustarum repente quidem salierunt, sed confestim
„ fatigati quasi a nixibus (a) volandi deciderunt; ac per
„ hoc neque intuendo, neque prandendo, neque bellan-
„ do quibuslibet insignibus triumphi monstratis, motu
„ subitaneo & clandestino recesserunt, & inefficaces; non-
„ nulli econtra, Christianis solummodo captivatis, ad
„ propria repedarunt. Ergo, frater noster, noli de ce-
„ tero Francos ridere, quia etiam inter mortis vicina,
„ student & prandia, & omnia caritatis indicia proximis
„ exhibere, & tamen a proposito non (b) lentescere;
„ quoniam secundum Apostolum (c) sciunt abundare, &
„ penuriam pati, & saturari, & esurire, & (ut compen-
„ dio dicamus) omnia possunt in illo, qui eos confor-
„ tat (d).

„ De paucitate vero quid miraris, si pauci fuerunt,
„ & tamen multa lucra detulerunt? Praeterea qua de re
„ pauci fuerunt nostri, pridem dilectioni tuae patefeci-
„ mus; sed quoniam nos super hoc pulsasti, denuo no-
„ strum sume responsum. Cum enim diu demorante Sto-
„ lo (LXIII) fraternitatis tuae, illius jam minime prae-

ipsoquemet anno hanc scriptam fuisse epistolam pro certo habendum erit; nam paulo post Barii expugnationem Epistolam ad Imp. Basilium missam legimus.

(LXIII.) *Stolus*, *stolum*, *stolium*, apud medii Aevi scriptores navalem expeditionem significat: de quo passim apud eos mentio. Vid. Ducang. in Glossar. Queritur hic Ludovicus de navali expeditione a Graecis tamdiu retardata.

(a) *Nisibus*. Fr.
(b) C.V. *Non lassescere*. Fr. *lacessere*.
(c) *Ad Philipp*. 4.
(d) *Domino*. Fr.

„ ſtolaremur adventum, & in anno ipſo de obſidione Bari „ nihil omnino fieri putaremus, omnes ad ſuas aedes re- „ dire permiſeramus, hiis ſolum retentis, quos ad pro- „ hibitionem recipiendorum alimentorum ſufficere crede- „ bamus. Et hoc eſt, quod Stolus inſperatus apparens „ non niſi paucos noſtros invenerit (*a*). Verumtamen iſti „ pauci, & adhuc pauciores, quibuſdam horum diverſo „ languore gravatis, effecti, antequam Baris caperetur, „ tres Ammireodas (LXIV), qui totam Calabriam depo- „ pulabantur, & innumeroſam multitudinem Saracenorum „ proſtraverunt, & magnam veſtratibus (LXV) ſalutem „ divino (*b*) brachio contulerunt. Quare non ſolum Ca- „ labritanorum Hiſmaëlitûm ingens ex tunc facta eſt di- „ minutio; ſed & Barenſium potentatus omnimodo diſſo- „ lutus; ac per id ad capiendum facilis adinventio. „ Cujus facti trophaea veſtros credimus tuo Imperio re- „ tuliſſe, & opera Dei, quae taceri non debent, mira- „ biliter enarraſſe.

CAP.

(LXIV.) *Ammireodas* intelligit, aut Praefectos fortaſſe, militaris alicujus cohortis Saracenicae, quas vulgo dicimus *Capi di Brigade*. Aut maritimae claſſis Duces; ſive Architalaſſos: unde nomen apud Hiſpanos primum, & ex iis apud alios *Almirante*, & *Ammiraglio* ortum; qui quidem & in navalibus, & in terreſtribus expeditionibus pro opportunitate deſervirent. Anon. infra cap. 108. dicit *Ammirandus tres, qui totam Calabriam depopulabantur*: quibus verbis manum, ſeu *Brigata*, militum deſignat, cujus caput *Ammiraglio*, ſive potius *Brigadiero*.

(LXV.) *Veſtratibus* ait, quod Saraceni Brutiorum, & Calabriae loca infeſtantes, ſenſimque occupantes, Graecorum tunc temporis in iis Regionibus dominatum, ac vires labefactabant. Langobardi Graecis tunc foederati Saracenorum copias delere curabant, ut opportuno eos praeſidio ſubvenirent. Alibi melius patebit.

(a) *Invenerunt*. Bar.

(b) *Beneficio*. Baron.

CAP. CXI.

„ CEterum fraternitatis tuae dilectionem rogamus, nul-
„ lam *Nicetae Patricio* molestiam inrogare, pro eo
„ quod nostrum tam insolenter offenderit animum. Nam
„ licet adeo protervus, & contumax erga nostrum fue-
„ rit Imperium, ut fidelium quoque nostrorum numero-
„ sa multitudo in eum severiore mente commoveretur,
„ nisi a nobis causâ tui honoris pariter & amoris prae-
„ venta compesceretur: tamen malum pro malo retri-
„ buere non tulimus, nec debemus. Et idcirco te depo-
„ scimus, si qui minarum super ipsum potestatis tuae
„ fortassis imminet, celeris benignitatis tuae manu (a)
„ pro nostro removeatur amore.

„ Non autem tales *Apocrisarios Apostolicae Sedis* esse,
„ vel professio decet, vel eruditio dictat, vel conversa-
„ tio anteacta demonstrat, quales illos scripta praedicant,
„ quae nobis fraternitas tua direxit. Electos enim, & ap-
„ probatos eos tam spiritualis Pater noster summus Pon-
„ tifex, quam Ecclesia per diuturna tempora scientes, &
„ Ecclesiasticae correctionis negotia strenue peragentes,
„ ad preces sublimis a Deo servandi Imperii tui, illos
„ direxisse noscuntur. Unde & decuerat Excellentiam
„ tuam ita munitos eos remittere, ut in nullos vel pira-
„ tarum, vel aliorum pravorum incursus inciderent: Gra-
„ ve namque contra te super hoc tam spiritualis Patris
„ nostri Apostolici Papae, quam totius Ecclesiae Roma-
„ nae murmur accenditur, eo quod illos a Sede Aposto-
„ lica tam desiderabiliter expetieris, sed tam improvida
„ dispensatione remiseris.

CAP.

(a) C. B. *Munus*.

CAP. CXII.

„ ET *Nicetas* quidem *Patricius*, Hadriatici freti servator cum classibus destinatus, accepta quasi pro „ hujusmodi re occasione, multas praedas ab ipsis Sclavonis abstulit, & quibusdam Castris diruptis (*a*) eorum „ homines captivos abduxit. Nec tamen quae praefati „ venerabiles Apocrisarii perdiderunt, hactenus restituta „ sunt. Sane spiritualem nolumus tuam ignorare fraternitatem „ super castra nostra diruta, & tot populis *Sclavoniae* (21) *nostrae* in captivitate sine aliqua (*b*) „ parcitate subtractis, supra quam dici possit animum „ nostrum commotum. Non enim congrue gestum est, ut „ eisdem Sclavonis nostris cum navibus suis apud Barim „ in procinctu communis utilitatis consistentibus, & nihil „ sibi adversi aliunde imminere putantibus, tam impie „ domi suae quaeque sua diriperentur, sibique contingerent, „ quae si praenoscerent, nequaquam prorsus incurrerent. Qua de re desiderabilem dilectionem tuam hortamur, „ & admonemus, quod mox id corrigere jubeat, „ & ipsos captivos ad propria cum suis reduci praecipiat, „ si Caritatis vinculum numquam inter nos fore „ cupiat dissolvendum. Nullus enim mortalium hactenus „ Imperium nostrum (22) talia commisisse recolit; ac per „ hoc nisi correptionem jussio tua praeveniat, juste severitatis „ nostrae proxime ultio procul dubio subsequetur, „ nec poterit remanere penitus impunitum, quod in con-

(21) Regni Italici fines penetrasse in Histriam quoque & Dalmatiam ex Annalibus Francorum constat. Lata significatione eae etiam Provinciae sub *Sclavoniae* nomine a nonnullis comprehenduntur, fortasse quod & ipsae Lingua Sclavonica utantur. Sed praestare nolim, quin aliqua Illyrici pars, adhuc Italicis Regibus subjecta heic indicetur.

(22) Baronius legit *vestrum*. Quaenam lectio sequenda sit, aliorum judicium esto.

(a) *Direptis*. Baron.

(b) *Qualibet*. Baron.

„ contemtum noſtrum tanta temeritate conſtat fuiſſe patratum.

CAP. CXIII.

„ Nihilominus etiam innoteſcimus (a), obſtupuiſſe „ nos, talia de Miſſis noſtris audientes, qualia tuae „ nobis dulcedinis literae intimarunt: adeo quippe illos „ inordinate ſignificas ambulaſſe, ut ſemper evaginato „ gladio deportato, non ſolum jumenta, ſed & homines „ interficerent. Quae res ſi ita ſe habuit, manſuetudini „ noſtrae valde diſplicet, & ut ad certitudinem perducatur, „ vehementer exoptat. Verum & ipſi diligenter „ a nobis inquiſiti, tale quid geſſiſſe modis omnibus negaverunt; „ & quia non eſt, qui in faciem illos arguat, „ non eſt profecto eis neque convictis, neque confeſſis, „ juſtae correptionis aliquid ingerendum (b). Verum nos „ illos nec ita educavimus, ut ad talia, qualia perhibes, „ laberentur, & ideo de illis quicquam eorum credere „ (c) facile non judicavimus. Ceterum indecorum ſonuit, „ quod fraternitas tua perhibuit dicens, ſuos (d) non gladiis, „ ſed dentibus noſtros dilaniaviſſe (e), niſi causâ timoris „ tui minime coërcerentur: cum ſi non eſſent in „ Imperio tuo, nil tale ſibi praetenderent; ſed nec in „ Regno tuo poſiti quicquam horum penitus formidarent. „ Quinimmo nec tanti numeri viros, & alios adhuc totidem „ (Deo gratias) expaveſcerent.

CAP.

(a) *Te exiſtimare ſcimus*. Bar. Cod. Vat.
(b) C.B. *Inquirendum*.
(c) *Non facile*. C. Vat. & Freec.
(d) Deſ. *Suos* in Bar.
(e) Bar. *Dilaniandos eſſe*.

C A P. CXIV. (a)

„ POstremo de *Neapoli* (23) nobis in Christo fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum „ ad incidendas arbores, & messes igne cremandas, & „ hanc ditioni nostrae subdendum. Cum licet ab olim „ nostra fuerit, & parentibus nostris piis Imperatoribus „ tributa persolverit; verum nos ab ejus civibus, praeter solitas functiones, nihil exegimus, nisi salutem ipsorum, videlicet ut desererent contagia perfidorum, & „ plebem desisterent insequi Chistianorum. Nam Infidelibus arma, & alimenta, & cetera subsidia tribuentes, „ per totius Imperii nostri litora eos ducunt; & cum ipsis „ toties Beati Petri Apostolorum Principis fines furtim „ depraedari conantur, ita ut facta videatur esse Neapolis Panormum (24), vel Africa. Cumque nostri quique Saracenos insequuntur, ipsi ut possint evadere, „ Neapolim fugiunt: quibus non est necessarium Panormum repetere, sed Neapolim fugientes, ibidemque „ quousque perviderint (b) latitantes, rursus (c) improviso ad exterminia (d) redeunt. Super quibus illos saepe monuimus, sed ex monitione pejores (e) fiunt, adeo „ ut Episcopum (25) proprium, quoniam eos, ut vitarent

(23) Nempe ea Civitas iis temporibus ab Italico Regno exclusa, a suis regebatur *Ducibus*, qui & *Consules* & *Magistri Militum* appellabantur. Ii tamen supremam Graeci Imperatoris ditionem super se agnoscebant.

(24) Tunc enim Sicilia universa Sarecenorum jugo premebatur.

(25) Nempe *Athanasium* spectatae sanctitatis virum, cujus Vitam ac aerumnas descriptas habes a Johanne Diacono in Vitis Episcopor. Neapolit. part. II. Tom. I. Rerum Ital. pag. 316.

(a) *Integrum hoc caput refertur a Freccia lib. 1. de subfeud. cap. de Provinc. &c. fol. 73.*

(b) C. B. *Pervenerint*.

(c) *Ex improviso*.

(d) *Certamina* Bar.

(e) *Effecti sunt*. Fr.

„ rent consortia malignorum monitabat, ex urbe (a) pro-
„ jecerunt; Illustres, ac Proceres civitatis compedibus
„ obsignarunt (b). Ergo si societatem non dissolverint In-
„ fidelium, secundum Apostolum, qui praecepit dicens:
„ (c) *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, & Pastorem
„ ac Episcopum proprium non receperint, (26) portio-
„ nem eorum ponemus cum hiis, quorum libenter am-
„ plexi sunt unionem, & in una lance appendemus utros-
„ que. Quoniam non solum qui faciunt talia, sed qui
„ consentiunt facientibus, dignos morte judicat memo-
„ ratus insignis Apostolus (d): praesertim cum unanimi-
„ ter arma contra Christianos ferant, & dimicent; & si
„ quos Fidelium capere possunt, Saracenorum manibus
„ tradant, cum ipsis ad bellum uno impetu proceden-
„ tes (e).

CAP. CXV.

„ DE cetero, frater carissime, noveris; cum virtute
„ summi Opificis nostri exercitum nostrum ordine
„ praenotato, Bari triumphis nostris submissa, Saracenos
„ Tarenti (27) pariter, & Calabriae mox mirabiliter hu-
„ miliasse (f) pariter, & comminuisse, ac hos celerius,
„ duce Deo, penitus contriturum, si a mari prohibiti
„ fuerint escarum admittere copias, vel etiam classibus a

Dd Pa-

(26) Ea enim de causa Sanctus Athanasius Neapolitanus ad ipsum Ludovicum Augustum se se contulerat.

(27) Obsidionem ejus Urbis Anno eodem 871. quo hanc Epistolam scripsit Ludovicus Imperator, suscepit, ut constat ex Chronico Vulturnensi part. II. Tom. I. Collectionis hujus pag. 403.

(a) C.V. *Projecerint*, *& illustres*.

(b) C. V. & Fr. *Obligarint*. B. *alligarent*.

(c) 2.*Cor.* 6.

(d) 6. *Rom.* 1.

(e) *In* Baron. additur sequens notatio: *Haec non Civium culpa acciderunt, sed Sergii Tyranni ipsis dominantis, cujus persecutione S. Athanasius eorum Episcopus ipsa pulsus est civitate*.

(f) *Simul* Fr. & Bar.

„ Panormo, vel Africa suscipere multitudines. Quapro-
„ pter spiritualis (*a*) fraternitas tua, quia (*b*) per si-
„ tum (*c*) nostrorum cunei populorum in utrisque locis
„ vix aut numquam deerunt (*d*) studeat necesse est suffi-
„ cientem stolum destinare, qui & illos a recipiendis ali-
„ mentis a mari coërceat; & si plurimas contigerit, si-
„ cut saepe nuntiatur, pessimae gentis advenire cater-
„ vas, facilius illis resistere divino munitus brachio va-
„ leat. Nam ipse Stratigus Georgius, licet solerter invi-
„ gilet, & strenue pro suo posse decertet (*e*), non tamen
„ (*f*) sufficiet obviare, si plures inimicorum naves ex
„ parte qualibet apparuerint (*g*); non videlicet, (*h*) nisi
„ pauca prorsus (*) chelandia possidens. Et quia nonnul-
„ li Saracenorum Panormi latrunculi cum sagenis (LXVI),
„ solatio & refugio jam Neapolitanorum memoratorum
„ freti, per Tyrrhenum mare debacchantur, oportet, ut
„ ad hos capiendos tuae fraternitatis stolus sine dilatio-
„ ne mittatur. Isti sunt, qui & (*i*) Calabritanis Sarace-
„ nis indefesse stipendia praebent, & hiis, qui Panormi
„ sunt, auxilia quotidiana ministrant: Unde si capiantur
„ sagenae, maxima ex parte Saraceni, tam Panormi, quam
„ Calabriae, constringentur. Nos enim Calabriâ, Deo
„ auctore, (*k*) purgatâ, Siciliam pristinae (*l*) disponimus
secun-

(*) Genus navigii. *Chelendria*, *Chelindros*, *Salandras* alii appellarunt.

(LXVI.) *Sagenae*; genus levis, subtilisque navigii, quibus Saraceni Tyrrhenum undique mare excurrebant, portumque Neapolis facile appellebant.

(a) *Spectabilis*. Frecc.
(b) C. V. & alii: *quia per siccum* (idest *per terram*).
(c) *Totum* legit Baron.
(d) Def. *Deerunt* in Bar. & Murator.
(e) Fr. *Decertare satagat*.
(f) *Sufficit*. Baron.
(g) *Apparerent*. Baron.
(h) *Eo quia pauca prorsus secum scelendria possidet*. Bar.
(i) *Cum* leg. Bar.
(k) *Expugnata*. Bar.
(l) Deest *pristinae* in Bar.

„ secundum commune placitum libertati restituere. Quod „ tanto erit utrumque facilius, quanto illi divinâ dexterâ, aptis navibus, & latrunculis, fuerint amplius & celerius infirmati. Nulla ergo tarditas, frater carissime, „ nulla mora in mittendo stolo proveniat, ne vel per „ escarum a mari receptarum abundantiam, vel per adventantium Saracenorum (a) classium numerositatem „ horum vires non infirmentur, sed roborentur; & sic „ roborentur, ut postea difficilius infirmentur. Sed & frustra nostri per siccum indefesse certamen arripient, si „ sic per aequora fuerint aliqua stipendia, vel copiosam „ multitudinem consequuti. Postremo misimus (b) desiderabili fraternitati tuae Auprandum fidelem, ac familiarem hominem nostrum, qui quaedam, quae huic desunt Epistolae, viva voce tuo a Deo tuendo referabit „ Imperio, qui a diligenda nobis in Christo fraternitate „ tua susceptus benigne, non (c) exceptis VIII. diebus „ quaesumus ullo modo retardetur, sed celerius ad nos, „ quia ita convenit, nulla impediente mora, Deo propitio, remittatur.

C A P. CXVI.

INterim tramitem, quem reliquimus, districtius gradiamur. Memoratus *Imperator Ludovicus*, antequam Baris caperetur, tres Ammiradas, qui totam Calabriam depopulabantur cum numerosa multitudine Saracenorum, missis suis fidelibus prostravit; & non solum Calabritanorum Ismaëlitûm ingens tunc facta est diminutio, sed etiam Barensium potestatum omnimoda dissolutio. Sed dum per prolixa tempora, eam videlicet undique obsedisset, postremo a Francis, & Langobardis est capta. Ipse namque

(a) C. Fr. & alii: *Agarenorum*. (b) C. V. *Desiderabilissimae*. (c) C. Fr. *Expectatis decem*.

Sagdan (28) in unam Civitatis illius turrem se communivit, & nominative *Beneventanum Principem Adelchisiam* acclamavit, inquiens: *In fide tua me suscipe, quia, teste Deo, tuam filiam incontaminatam penes me habeo*: habuerat enim nuper eam obsidionem, & minime, licet infidelis, adhuc contaminaverat. Quo audito Princeps Adelchis statim ab ipso Imperatore eum expetiit, & accepit (29), necnon & duos alios (*a*) sodales. Et totâ Apuliâ, simulque etiam Calabriâ, Deo propitio, ab hostibus potenter ereptâ, cum ingenti tripudio Beneventum venerunt (LXVII).

C A P. CXVII.

CUmque Beneventano (*b*) hostiliter insequeretur sua conjux; atque mulieres illorum omnimodis nimirum foedaret; & ipsa Beneventanos variis injuriis afficeret, asserens ad suos, quia minime se sciunt communire Beneventi clypeis: dum fere spatio trium annorum ipse memo-

(28) Idem est ac *Saothan* supra num. LXVI. memoratus, Princeps, sive Dux Saracenorum in Apulia. Ejusdem quoque mentionem habes apud Erchempertum num. XXIX. ibique *Sangolam* dicitur. Constantinus Porphyrogenneta in Vita Basilii Macedonis *Soldanum* illum appellat: nos nunc *Sultanum* dicimus. Et quidem veri videtur similius, appellationem hanc non ejus nomen, sed dignitatis titulum expressisse.

(29) Supra laudatus Porphyrogenneta, *Soldanum* hunc in potestatem Imperatoris venisse, atque ab eo Capuam perductum tradit. Italico homini de Italicis rebus scribenti fortassis heic fides major adhibenda. (Prat.) At de hac re melius infra in Chron. Com. Capuae disserendum est.

(LXVII.) Totam heic Apuliam intelligit, scilicet Dauniam, & Peucetiam Brundisium versus, ac Tarentum, quibus ex locis Calabria initium ceperat usque ad Brutios Consentiam versus. Alibi res opportunius pertractanda erit.

(a) Codd. omnes: *Alios sodales, quorum nomina fuerunt Annosum, & Abdelbach; & tota Apulia*.

(b) *Beneventanos cives nimis*.

moratus Ludovicus una cum dicta uxore Beneventanis praeesset, Beneventani eum extra urbem expulerunt in hunc modum, quemadmodum sequens sermo declarat. Ignis (a) undique succenditur, ubi ipse Imperator cum sua conjuge degebat; & sic arma tulerunt, & ibi cum grandi strepitu adierunt. Ille Imperator veniam postulabat; & inter haec verba suam conjugem cum magna ira injuriis afficiebat asserens: *Numquid dicebas, quia Beneventani minime se sciunt munire clypeis? Cerne nunc, qualiter undique se communiunt, atque ad bellum promto animo sunt parati?* Quapropter per jusjurandum juravit, ut citius una cum suis Beneventum linqueret, & sine mora Galliam properaret, & nulla damna, vel oppressionem in illorum amplius arva iniret. Et statim (b) (30) cum suis omnibus exinde est motus, Galliamque properavit, licet aliquanto tempore eum in custodia habuissent. Sed antequam Adelchis memoratus Princeps eum apprehenderet, consilium exinde petiit a praedicto Sagdan Agarenorum Rege, qui tunc in carcere tentus erat, videlicet utrum apprehenderet, & ex urbe (c) ejiceret Imperatorem, an non, ipse praediceret: Cui Sagdan: *Nequaquam talia facito, quia quantum conjicere valeo, minime me Agareni praetermittunt, sed indesinenter perquirunt*. Ad haec Princeps: *Confiteor, quia pluribus praedicta res innotuit.* At Sagdan, ut erat sagacissimus, in hunc modum verba

(30) Non certe statim; auctor enim est Herchempertus num. 34. Tom. II. Rer. Italicar. *consistente ipso Augusto in custodia*, Saracenos in Salernitanum agrum irruisse, divinamque ultionem non XL. dies a Deo dilatam. Et sane Salernitanus ipse infra addit, Ludovicum Augustum *aliquanto tempore in custodia habitum*. Haec Anno 871. peracta.

(a) C. Fr. & V. *Igne vero undique Palacium succenderunt, ubi.*

(b) Fr. *e palacio eductus in custodiam datus est, usque dum aliquando post tempore cum suis omnibus &c.*

(c) *Urbe sua* Fr.

ba depromit: *Quod inchoasti, perfice* (31), *ne forte consilium promulgetur*. Et sicut diximus superius, Augustum ex urbe sua expulit, omnemque thesaurum ejus Beneventani diripiunt (*a*), ditatique sunt valde.

C A P. XCVIII.

FActum est autem, ut aliquanto tempore post decessum Imperatoris Ludovici *Guaiferius Princeps Salerni* balneum pergeret; sed dum regredi una cum suis Palatium maluisset, quidam Agarenus in foro Salernitanae civitatis residens, Guaiferium acclamans inquit; *Da mihi, obsecro, tegmentum, quod in capite tuo geris*; At ille protinus suo capite denudato, (LXVIII) illico Agareno fasciolum condonavit. Dum autem jam fatus Agarenus Africam proprium solum adiret, & cerneret, quod omnis navalis exercitus altrinsecus ad pugnam se praepararet, quatenus Italiam pergeret, & nominative castrametaretur in Salerno, eamque diversis machinis expugnaret; & dum illuc Amalfitani (*b*) adessent: ipse Agarenus uni illorum talia verba depromsit: *Vidistine Guaiferium Salernitanorum Principem, aut scis eum?* Cui Amalfitanus: *Et scio eum, & creberrime, quando illic sum, ante illius obtutum*

(31) Paria scribit Constantinus Porphyrogenneta in Vita Basilii, *Seodano*, sive *Soldano* captivo consilium tribuens abominandi hujus facinoris.

(LXVIII.) Capite sibi denudato Princeps Agareno fasciolam praebuit: quibus ex verbis ostenditur, Langobardos Principes haud in capite pileum gestasse, sed fasciam pluries circumcirca evolutam, & lemniscatam, vittisque, gemmis, ac quandoque plumis colligatam, habuisse; quod apud Graecos quosdam, & Barbaros hactenus in usu; nostraque in Italia Duces Rerumpublicarum habent parum ab iis fortasse dissimiles ornatus, quibus Langobardi Dynastae utebantur, ut suo loco dicendum erit, cum de horum Principum habitu, eorumque figura verba faciemus.

(a) C. V., & Frec. *diripiunt, & inter se nimirum dispertiunt, ditatique sunt valde*.
(b) *Etiam* Fr.

tum sisto. Ipse quidem Agarenus: *Per filium Mariae obtestor, quem ut Dominum colitis, ut fideliter mea dicta illi innuas, ut omnimodo undique urbem suam reaedificari faciat, & antemuralem illum, qui est juxta mare, sine mora in altum elevet, & una turrim in uno capite, & aliam in alio, simulque & in medium non exiguas machinas faciat, & praeparet se ad praelium, quia omnes ex multitudine, quam cernis, illuc properant. Et si te percontat; quis tibi talia intimavit, illi dicito, quia Agarenus, cui fasciolum condonasti, ipse talia verba depromit* (a). *Tamen incunctanter credat. Agareni illius nomen Arrane erat.*

CAP. CXIX.

Cum in hunc modum Amalfitanus ille, Flurus nomine, seriatim Guaiferio Principi omnia propalasset, quae audierat, quaeque viderat, valde est nempe perterritus; nimiumque illius dicta credens, illico deposita omni segnitia, cum omni conamine undique urbem Salernitanam muniri jussit, atque quemadmodum Agarenus sagacissimus depromserat, a parte Australi turrim mirae magnitudinis, necnon & altitudinis, condere fecit. Illam vero, quae est ab Occidente, Capuani construxerunt, eo quod tunc sub ditione Salernitanae civitatis illi degebant. Aliam namque Salernitani construxerunt, quae dicitur Mediana. Et secus illam turrim aditum civitatis fecerunt, & (*b*) ferris & ferris illam munierunt. Illam vero, quae est ab ortu Solis, Tuscianenses (32) operarunt, etenim illi

(32) Nempe *Tusci*, qui eo tempore mercaturae causâ Salernum incolebant. *Tuscanenses* eos alii appellavere. (*Prat.*) Errat quidem hic Muratorius, cum Tuscianenses, non Tusci, mercatores fuerint, qui Saler-

(a) C. V. *verba depromsit tantum incunctanter credat. Vocabatur Agareni illius nomen Arane.*

(b) C. Vat. *& fortibus feris denique eam munierunt*. C. Fr. *& ferris fortibus ut ferris &c.*

illi illo in tempore fere duo millia fuerunt *(a)*.

Altitonus Dominus, *(b)* qui proprium suum cruorem pro suis ovibus fudit, quatenus Protoplasti contagionem deleret, nolens suos perire, Hismaëlitûm animum adversus suos suscitavit, ut flagitia, quae erga ipsum salvatorem (Imperatorem scilicet) Beneventanae Campanaeque patriae gesserant, ulcisceretur; & quemadmodum olim Judaicum populum Allophilis subjiciebat, eo quod ab ipso se alienarant: sic nimirum nûnc Agarenorum Regem, cui nomen Abdila fuit, adversus Christianos suscitavit, ut variis cruciatibus quippe attereret, & post corpora diu castigata animas ad Coelorum gaudia conferret. Agarenorum Rex, de quo praediximus, Abdila cum (33) XII. *(c)* millibus pugnatorum per Calabriam Salernum vênit, & nonnulla Oppida Calabritanorum cepit. Sed antequam civitatis moenia appropinquaret, *Princeps Beneventi Adelchisi* cum omnibus suis proeliatoribus ocius Salernum vênit, ut una cum Guaiferio bellum cum Saracenis iniret. Et statim ex urbe Salernitana cum ingenti audacia & Salernitana cum ingenti audacia & Salernitani, & Beneventani exierunt, & ad bellum se altrinsecus praepararunt. Agareni etiam contra omnimodo cum immani stri-

do-

lernum incolebant, sed eorum locorum incolae, qui vel citra vel ultra Tuscianum amnem sita erant non longe a Salerno, Orientem, ac Meridiem versus. Tusciani amnis mentio apud hunc Chronologum; illumque adhuc nomen idem obtinere scimus, Turremque ad mare sitam, quo se exonerat, Turrem Tusciani appellatam fuisse omnes norunt. Nulli dubium, quin multae circa illum urbes, oppidaque eo temporis extiterint; quare a sinu potius Tusciani fluvii Tuscianenses heic vocitati, quam ab Etruria, ut sup. not. XLII.

(33) Corruptum locum puto, & Erchemperto praeeunte scribendum XXX. *millibus*. Profecto Saraceni, qui tanto tunc terrore & rapinis Salernum, Capuam, Neapolim, & Beneventum afflixere, copiis & viribus non modicis ejusmodi rem tentarunt. Acta haec Anno 871. exeunte.

(a) *Qui inibi demorabant*.
(b) *A.* DCCCLXXI.
(c) C. V. *cum XXII. Fr. XLII.*

dore se ante faciem illorum objecerunt. Sed dum utraeque acies appropinquassent, & nec Agareni, nec Langobardi terga darent, sagax ille Beneventanorum Princeps Adelchis de equo, super quo residebat, illico exiliens, in faciem ruit, quatenus catervam Agarenorum contemplari valeret. Sed minime talia facere potuit propter densitatem equorum, & pedestrium; quare continuo equum ascendit, & Guaiferio Principi verba depromsit: *Urbem propriam ingrediamur, & inter nos consilium ineamus, quia quantum aestimare valeo, minime cum illis certare valemus*. Quapropter urbem jam dictam sunt nimirum ingressi, & consilio inito ab invicem sunt sequestrati. Beneventani propere ad sua propria redierunt, & Salernitani moenia Civitatis ascenderunt, & omnimodo se munierunt. Agareni a foris undique tentoria fixerunt, & hinc inde cuncta forinsecus stirpatim deleverunt, occisis innumerabilibus colonis. Et ex parte depopulati sunt Neapolim, Beneventum, & Capuam. Quid multa dicam? crebrissime Oppida universa atterebant.

CAP. CXX.

CIrcumdata namque terribiliter urbe, atque inaudite ad capiendum eam novis certaminibus per plurimum temporis pugnaverunt. At contra Guaiferius, ut erat magnanimus ac imperterritus, eis fortiter resistens, nunc ex muris, nunc per improvisam irruptionem plurimam suorum hostium partem attrivit; & licet pro paucitate sui exercitus, acies contra Agarenos in patulis pavebat dirigere, tamen expeditis suis irruentibus (*a*) incessabiliter hinc atque inde subito inimicorum prostrabat catervas. Sed praedictus Rex quanto plus sibi attentius cernebat obsistere, tanto eis ferventius nova certamina objiciebat. Sed Agareni (*b*) quotidie augebantur, & Salernitani nimium debilitabantur. Ee CAP.

(a) Fr. legit. *suis juvenibus*. *vires augebantur*.
(b) Lege: *Sed Agarenis quotidie*

C A P. CXXI.

FActum est autem ; ut una die cum ingenti audacia Agareni juxta mare deambulassent, & usque ad portam jam satam armati venissent. Sed praedictus Princeps non siniit, ut ex suis quisquam saltem (a) illis jaculum jactaret. Interim Agareni ad castra reversi sunt. Sed dum crebrissime talia iterarent, & nec lapis aliquis in illos injiceretur, inter se decreverunt, ut frequenter inermes (b) perambulassent, putantes ut metuerent Salernitani aliquam rem improbam illis objicere. Cum hujusmodi saepissime iterare satagerent, & Christianos injuriis lacesserent: Salernitani freti de Dei potentia, illico audaci animo super Agarenos irruunt eosque undique comminuunt, multos ex eis interimunt, ita ut cruore illorum litora maris replerent. Comperto suorum Agarenorum interitu, fistulae, sambucae, & musicorum universa genera cecinerunt, tubisque clangentes, ac perstrepentes undique mari, & terra praefatam urbem impugnare coeperunt in tantum, ut si divina pietas abesset, capi potuisset. Nam plurimi ex Salernitanis vulnerati, pauci vero extincti. Sed valde (c) ... erant denique valde percussi, nam mane a Solis ortu certamen iniebant, quatenus Salernitani (d) pugnam soli tamdiu sustinere nequirent, & illi valerent, denique laniarent; & versa vice sic serotina ut a Solis occasu peragebant. Ille Agarenorum Tyrannus in sanctissima aede Beatorum Fortunati, & Gaji, & Anthes cum suis satellitibus degebat, atque in luxuriis, & variis inquinamentis fervebat in tantum, ut ille Abdila thorum sibi parari jusserit super sacratissimum Altare, ibique puellas, quas nequiter depraedaverat, deludebat (e). Sed non diu perstitit tam immane contagium, immo & praesumtio, annuente Divinitate. Nam cum ei fuisset oblata quae-

(a) Fr. *in illos jaculum.*
(b) *Inermes.* In armis.
(c) C. V. *jubar solis eos denique valdè percusserat.*
(d) Fr. *viri soli pugnam.*
(e) *Opprimebat.*

quaedam Christiana, necnon & speciosissima puella, continuo ad thorum suum illam deportari jussit. Sed dum eam stuprare satageret, & illa omni nisu resisteret ei, immo & ei propria lingua diceret: *Ante morti incumbo, quam sacratissimam Altare nimirum polluam, quia multa sacrificia super illud oblatâ sunt*: Tyrannus Rex verba illius deludens, vi eam opprimere tentabat: cum repente per Angelorum manus trabs ex alto diruptus est, & super Abdilam Regem decidit, & sine mora extinxit. Et mirâ Dei potentiâ puella illa minime est ab ipso trabe contacta, & illaesa permansit. Et ne forte Agareni fingerent, quod non fuisset gestum per Dei clementiam, sed casu accidit, quomodo creberrime conspiciuntur per vetustatem plurimae Ecclesiae dirutae, & non solum trabes, sed & parietes usque ad solum prostratae (*a*): haud procul ab ipso Altari sectum (34) nimirum fuit, & ubi contumax ille, (LXIX) Deoque odibilis super sacratissimum Altare Dei ludebat, trabem projecit, eumque mortuum stravit. Et hactenus a parte Australi in testimonium reliquit Redemtor suis fidelibus caput de ipsa. Et non solum Tyrannum illum, sed etiam plures illorum subitaneo contagio perdidit, & extemplo de hac luce abstraxit. Ab illo namque die, quamvis Gentiles minime jam dictam Ecclesiam eo ordine intraverunt, Christiani

(34) Lego potius *tectum*; videlicet pars illa tecti, unde trabs cecidit. Posceret etiam locus, ut scriberetur *procul*, pro *haud procul*. (Prat.) Male heic, ni fallor, interpretatur Muratorius; nam *septum* legitur in aliis Codd., quod fortasse *cancelli* erant, quibus altare circumsepiebatur, ne omnibus pateret ingressus. Judicet Lector, ut voluerit.

(LXIX.) Sensus est, ut ad miraculum ostendendum trabs non supra altare rectâ corruisset, sed vel ultra, vel citra ipsum superiori Templi parte situm, invisibili Dei manu super altare projecta fuerit, ut impium Saracenum opprimeret.

(c) C. V. & Bolv *prostrati, haud ab ipso Altario, quasi gubita tria septum*: Fr. *haud procul Altari ipso quasi praeceptum*.

indefinenter Redemtorem omnium collaudabant. Agareni e contra minime obstupescebant (a). Extincto, quemadmodum diximus, Rege illo tyranno, Agareni illico Regem procreaverunt nomine Abemelec, licet fuisset Eunuchus, erga res humanas audax fuit, & sagax.

C A P. CXXII.

PEr idem tempus Comites duo, amboque (b) nominis unius *Lamberti* (35) vocitabantur, Augusti furorem metuentes, Beneventum recesserunt, & ab Adelchisio honorifice suscepti sunt. Cumque in hac obsidione prope terminaretur annus, & nullum suffragium Salernitani obtinerent; & saepissime cum Agarenis certamen inirent, factum est, ut unus eminentissimus Agarenus, tres testiculos gerens, voce ingenti clamaret, ac promeret: *o exsecrande* (LXX) *fili Petre, veni, & ineamus singulare certamen: & tunc conjicere poteris Agarenorum virtutes*. Sed dum diu exsultaret, eademque verba repeteret, Petrus ille, fixus in Redemtoris clementia, audaci animo Aga-

(35) Erchempertus etiam & Leo Ostiensis *duos Lambertos* ad Arechisium Beneventanum Principem se recepisse scribunt. Horum certe unus Spoletano Ducatui praeerat, & celebris est in Historia. Alter plane incertus. At Ignotus Casinensis apud Peregrinium Tom. II. pag. 267. Collection. hujus ita rem narrat: *Lampert filius VVidonis, & Ildepert Comites nisi sunt manus erigere contra Hludovicum Imperatorem* &c. *Demum ante faciem ejus fugerunt Beneventum apud Adelchisum Principem* &c. Pro altero Lamberto hic *Ildepertum* habet. Verum cum Scriptore nostro consonant Annales Bertiniani ad Annum 871. Tom. II. Collection. hujus, quos vide, si lubet. (Prat.) Ambos Spoletanae Dinastiae praefuisse, alibi diximus: cui Comitatus Theatinus adjunctus, illiqui fortasse praeerat unus e Lambertis.

(LXX.) Petrus hic strenuissimus miles, cognatus erat Principis Guaiferii, de quo infra loquitur Cap. 116.

(a) C. V. *nimirum obstupescebant*. Fr. *obstupebant*.

(b) *Nomen unum* C. Fr.

Agareno exiit obviam, suos interminans, ut nullum auxilium illi cederent. Agarenus ille penes civitatis moenia cum ingenti audacia venit, loricaque indutus, & caput *(a)* galea septus, sex lanceas, manu propria gestans, super eum irruit. Petrus ille jam dictus impetus illius omnimodo evitavit. Sed dum iterum Agarenus cum expedito equo super illum venisset, & lanceam omni nisu, ut eum protinus in terram straret, misit: Christianus quamvis cum metu agiliter feritam illius evasit, & continuo Dominum invocans, & suos Martyres, ante quorum Ecclesiam certamen inibat, scilicet Sanctos Cosmam, & Damianum, hastam, quam manu gestabat, in illum protinus misit, eumque inter duas percussit scapulas; & statim vitalis calor *(b)* aufugit, & sine mora, extinctus est. Christiani una omnes Dominum collaudabant, necnon & vires recipiebant; & Agareni plus plene erga Christianos *(c)* premebant mandatum, ut machinam, quam nos Petrariam nuncupamus, construerent mirae magnitudinis; & valde turrim unam, quae nunc dicitur (LXXI) Solarata, attererent. Salernitani nullo modo resistere valebant, & nesciebant, quid agerent, statimque *Landemarius filius Ademari* talia verba depromsit: *Securem mihi acutam deferte, adjuvante Deo, ego illuc pergo, & quantum valeo, machinam illam confringam.* Statim acutam securim ei obtulerunt, & illico per murum eum deposuerunt, & cum ingenti audacia illuc properavit, & dextera laevaque profanas falanges prostravit, & machinam vehementer quantum valuit, excidit, & ocius moenia adiit. Et in eadem turre illico machinam construxerunt, & jam

(LXXI.) De Turri hac *Solarata* mentio habetur in quadam charta anni 1147. quae extat in Tabulario Cavensis Monasterii, ibique tunc praefuerat Alfridus comes.

(a) C. V. & Fr.: *& capite galea septus, & sex lanceas manu.* Fr. *manibus suis gestans.*

(b) C. V. *aufugit, amplexoque collo equi, ad suos confugit, & sine.*

(c) Codd. omnes: *fremebant intantum, ut.*

& jam minime eadem parte metum habuerunt.

CAP. CXXIII.

HElim filii erant quatuor, qui saepissime vehementer Salernitanos atterebant, eo quod prae ceteris Agarenis eminentiores erant, & praepotens statura illorum erat una, & similes equos habebant, & inter omnes illi anticipabant. Unus illorum audacior ceteris Salernitanis quotidie acclamabat: *Unus ex vobis veniat, singulare certamen mecum iniat, & tunc experiri valebitis, qualis est Helim filius*. Tunc unus ex Salernitanis Landemarius (*a*) nomine, ocius urbem egressus est, & omni modo ad bellum se praeparavit; Dum ergo Helim filius super eum magna virtute veniret, eum forti ictu percussit; sed Domino non sinente, nequaquam illum umquam sauciavit, Revolvente itaque illo ocius equum, qualiter eum prosterneret, ille Christianus non segniter se gessit; sed continuo omni nisu lanceam in illum protinus misit, & secus (*b*) illum percussit. Ille vero jam nequaquam cum illo certamen iniit, sed ad suos reversus est, & non diu supervixit.

CAP. CXXIV.

JAm Redemtor a suo populo iram & indignationem abjiciebat, & gratiam condonabat. O incomprehensibilia Dei judicia! Castigat, & salvat; castigat, quatenus unusquisque cognoscat, quia omnis virtus, & gratia, nec non & sapientia ab ipso Domino est, cum ipso fuit, & est ante eum (*c*). Nam ipse dixit: *Ego occidam, & vivere faciam*. Delinquente suo populo, castigat, quia propter scelera tradidit suos (*d*) injustos, & indisciplinatos, qua-

(a) Fr. *qui supra*.
(b) C. V. *& cum secus illum percussit*.
(c) C. V. *ante aevum. Nam dixit: ego vivere faciam*.
(d) C. V. *injustis, & indisciplinatis*.

quatenus eos variis cruciatibus atterat, & ut recogitent & intelligant, quia a se nihil sunt; & ut talia recogitaverint, statim iram suam ab eis amovet, & profanos conterit. Guaiferius vero pro sua obsessione primo *Petrum cognatum suum*, *& Guaimarium filium suum* Legatum ad jam fatum Augustum misit, quos ille consilio *Praesulis Landolfi* (36) retinuit, & exilio destinavit. Postea duos filios reliquos suscepit.

Sed dum fames valida praedictam urbem consumeret, conjux Dauferii Principis semetipsam per muros civitatis gradiebat, alimentaque defensoribus deferebat nimirum, & confortabat. Cumque se praefatus Princeps jam, ejusque Concives undique artatos se aspicerent, ita ut extra murum egredi non auderent, & crebrissime saevissimis praeliis vexarentur, funditusque ab eis spes salutis esset ablata, & capiendos se fore universos, a praedonibusque dirimendos, valido ululatu flerent, & eos valida fames attereret in tantum, ut canes & mures comederent: decreverunt, ut si (a) annum continuum (LXXII) misericordia Dei abesset, Agarenis se subderent.

CAP. CXXV.

PEr idem tempus Amalfitanis *Marinus* praeerat; qui parem (37) cum Agareno primatum habebat, sed Sa-

(36) Scilicet Episcopi Capuani, de quo multa habes infra, & apud Herchempertum, aliosque a Peregrinio editos. Nempe illum Ludovicus Augustus *tertium in Regno suo constituerat*, eodem Herchemperto teste.

(37) Sensum non assequor. Legerem: *qui pacem cum Agarenis primitus habebat*. (Prat.) Ita quidem ex *C. Vat. & Frecc.* emendatius legitur.

(LXXII.) Tam supra cap. 114. narraverat obsidionem Salerni pene ad annum perduraffe. Ideò decrevere tempus complendi anni fore expectaturos, quo elapso, Urbem hostibus traderent.

(a) *Per annum*.

Salernitanos pleniter diligebat. Statim ut hujusmodi dicta audiebat, valde se perterruit; atque illico omnes suos vocavit, & in verbis talia promsit: *Eja mei consanguinei, meique fideles, inter nos consilium iniamus, quatenus Salernitanis subveniamus*. Et probum consilium inierunt, suaque alimenta omnia dispertierunt, & arte, qua poterant, clam Salernitanis obtulerunt, eosque refoverunt; necnon & consilium dederunt, ut solemniter (a) invigilent, & nimitum decertent.

C A P. CXXVI.

His ita gestis, *Praesul Landolfus* per semetipsum (LXXIII) Papiam pergens, quatenus *Imperatorem Ludovicum* suppliciter exoraret, ut patriae praedictae subveniret. Sed ut talia perficere (b) mos est, Gallis ipsis quos cum suo exercitu in praediis reperit, statim suum adventum misit denique intimandum (c). Ille solitâ clementiâ non negavit, & honorifice ante suum obtutum venire jussit. Cumque a longe, ubi ipse Augustus in throno aureo residebat, & secus ipsum similiter sua conjux residebat (d), & hinc inde Optimates assistebant, advenisset: honesta voce praedixit: *Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis*; & inter verba immensas lacrymas fundebat, & se in faciem stravit. At (e) ille Imperator illico suos Proceres illuc misit, eumque a terra levaverunt, & cum magno honore ad ipsum Augustum perduxerunt. Imperator eum seriatim percontavit:

Pro

(LXXIII.) Heic falso asserit Anonymus noster, Landulfum Papiam ad Ludovicum perrexisse. Hoc quidem, dum in Sabina degerat Imperator, evenit; ut infra in Chron. Comitum Capuae expendi debet.

(a) C. V. & Fr. *ut solerter invigilent, & strenue nimirum.*

(b) C. V. & Frec. *perficere mallet, ut mos est, Gallis.*

(c) C. V. *intimando* Fr. *intimare. At ille.*

(d) *Sederet.*

(e) C. V. & Fr. *At clementissimus Imperator illico.*

Pro qua re praesidium a nostra mansuetudine poscitis, quando nuper perfidi Beneventani me meamque conjugem turpiter comprehenderunt, necnon & in carcerem injunxerunt (a)? Cui Praesul: *Audi me, benignissime Imperator. Rex omnium rerum propter nos in hunc per uterum Virginis vênit Mundum, ut qui eramus sub nodo Diaboli, absolveret; nam & pro crucifigentibus se oravit, addens hoc: Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt. Et nisi ipse misericors* (b) *orasset, nequaquam ad Petri verbum uno die tria millia, alioque die quinque millia, postea multa millia ex Judaeis, qui Dominum comprehenderant, credidissent. Ipse etenim dixit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et paulo post adjecit: Ego sum via. Et nemo potest gaudia coelestis patriae attingere, nisi per Christum. Nunc ergo qui est via, invitat & vos, qui quamvis honorem terrenum gestetis, mortales homines estis. Quapropter imitate Redemtorem, & Agarenos, Deo propitio, debellate. Et dum fideles suos ab oppressione humana eripitis, ipse vos ab invisibilibus hostibus potenter liberet, atque inter Sanctorum agmina copulet.* Cum haec, & hiis similia promeret, ut mos est feminarum saepe adversa dicere, sic uxor praefati Augusti tentavit dicere. Sed vir suus illius verba omnimodo abdicabat, & flebat. Et statim omnes suos Proceres vocari jussit, & in verbis talia promit: *Omnes parati estote, quatenus Agarenos de finibus Italiae exturbemus, vel estirpemus.* Et vinum, ut illorum mos est, adscire fecit. Cumque pincerna Imperatoris cum aureo poculo vinum dedisset exiguum, deinde sumsit, & statim pincernae poculum reddere voluit. At Imperator adjecit: *Vestro famulo poculum reddite, sitque vobis donatum.* At ille capite inclinato resalutavit eum. (LXXIV.)

Ff CAP.

(LXXIV.) Una ex ridiculis Anonymi Salern. narratiunculis haec profecto est, qua Landulfo Episcopo Capuano poculum avreum ab Im-

(a) *Immiserunt?* C. Fr. *Vinxerunt*. (b) C. F. *non orasset*.

C A P. CXXVII.

DIe vero altera Praesuli jam dicto praebuit commeatum, eique promisit, ut non multo post illum obsequeretur. At ille dicens: Vale, arva sua cum gaudio repedavit. Imperator praedictus, collecta multitudine (*a*) Campaniae finibus vênit, & locum, (LXXV) qui Patenara dicitur, adiit, quo ad eum Legati de diversis urbibus venerunt, inter quos *Landolfus* jam dictus Praesul, & nepotes sui ex diverso venerunt, omnes suos Proceres sibi sistere jussit, & tunc promsit talia verba: *Consilium unanimiter faciamus; quatenus catervas Hismaëlitûm, Deo praevio, atteramus*. Et vehementer indagavit quot tunc essent. At Praesul: *Sunt V. millia super Capuam*. Idem Imperator: *Æstimo, quod plus*. Ad haec Episcopus: *Confiteor Domine, quia X. millia super Capuam, & X. millia super Beneventum. At reliquum vulgus degit in Salerno*. Et continuo unus ex circumstantibus tellure tenus prostratus, & pedes Imperatoris amplexatus est, asserens: *Da mihi, obsecro, potestatem, quatenus cum Agarenis certamen iniam*. At Imperator cum fletu subjunxit. (LXXVI.) *Nequaquam talia facio*: (*b*) quia immaturae aetatis erat, namque fere XV. annorum, & vo-

Imperatore donatum adfirmat, postquam ebibisset. Qua de causa hoc Imperator? honoris ne, an subsidii? At neutrum verisimile, ut vides.

(LXXV.) Locus *Patenara* in finibus Teanensis Comitatus (in quo olim & Campaniae fines, ut probat Peregrinius in Camp. Disc. II. cap. 5.) ubi nunc vulgo *Cajanello*, via qua Capuâ Casinum itur, ut in Appiae Viae descriptione dixi. Huc pervenit cum aliis urbium Legatis Landolfus, qui Imperatoris adventum praecessit, cum exercitum e Sabina in Campaniam duxisset. Non igitur Papiâ Augustus discesserat, ut sup. monuimus.

(LXXVI.) *Indolae aetatis*, idest absque dolo, ac propterea parum pugnandi expers. Idem revera ac *immaturae*, ut habet lectio Muratorii: & *imberbis*, ut Bolvitus.

(a) *In Campanis*.

(b) C. F. *facio; quia indolae aetatis es: erat namque fere XVI. annorum, & vocabatur Guntart nomine, pronepos que erat &c.*

& vocabatur *Gontar* (38) nomine, & nepos erat praedicti Imperatoris. Sed cum pedes illius diu teneret, tamdem baculum, quem manu gestabat, illi dedit, annectens: *Sit Dominus in suffragium vestrum*, (a) Comitemque dedit *Suavium* nomine. Et cum magna audacia Capuam venerunt, Missamque ab Episcopo Landolfo audiverunt; & Corpore, & Sanguine (39) Domini nostri Jesu Christi participati sunt. Et continuo Saracenis (*b*) cum Capuanis obviam exierunt. Cumque unus Diaconus, Petrus nomine, illuc proficisci armatus voluisset, neque ipse Episcopus sinebat eum; ille vero nullo modo obtemperans dictis ejus, profectus est; (LXXVII.) ipse Episcopus (*c*) publica voce ei depromsit. *Vide, quia minime es reversurus*: quod ita factum est.

CAP. CXXVIII.

Guntar *Comes* jam dictus una cum *Suavio*, & cum omnibus suis adversus Agarenos sunt egressi socantes sibi Capuanos. Sed dum utraeque acies inter se appropinquarent, & non Agareni Gallos aspicerent, neque Franci Agarenos propter aëris densitatem: tamdem jam fatus Guntar, dum fremitus (*d*) aequoris, stridorque Agare-

Ff 2 no-

(38) Nempe Gontharius, quo nomine alii appellati reperiuntur. Is *Comes* infra dicitur.

(39) Tunc enim adhuc in usu erat, ut Laicis quoque praeter Corpus Domini, Sanguis etiam ad Sacram Mensam traderetur.

(LXXVII) Codices omnes habent: *prophetica voce*, hoc est, cum gens illa nimium credula portentis inhaereret, etiam Anonymus credidit popularem illam vaticinationem Landulfi, quae facillime in Clericum cadere poterat, quippe qui in militaribus factionibus minime versabatur.

(a) C.V. & alii; *comitemque ei dedit quemdam Comitem, nomine Suavius*.

(b) *Una cum*.

(c) CC. *omnes*: *prophetica voce*.

(d) CC. *omnes*: *equorum*.

norum aures ejus percuteret : illico *manus ad hos* ducens , & dentibus (*a*) frendens , clangere jussit tubas ; moxque super eos irruit , ultimaque caede eos vastavit . Novem millia ex eis prostravit ; ipse vero Guntar ibidem occubuit , & exigui alii praeter ipsum jam dictum Diaconum . Mille vero , qui evaserunt , absque armis fugerunt . Sed ut talia comperit *Landolfus* , (LXXVIII) qui illo (*b*) tempore Suessanis praeerat , acie illis cum suis exiit obviam , & omnes , quos inveniebat , nempe debilitabat, ut de mille pauci Salernum redirent (LXXIX) .

Idem Imperator clementissimus (*c*) suos , videlicet Ardingum , & Remedium Beneventum misit , quatenus una cum jam dicto Adelchisio Agarenos debellarent . Dum autem Beneventum adiissent , Missam ab Episcopo (*Ajone , ut puto* (*d*)) , qui in Sancta Beneventana Sede praeerat , audierunt , & incunctanter una cum Beneventanis , & memoratis ambobns *Lambertis* , qui ibi exiliati degebant cum suis hominibus ; obviam Agarenis perrexerunt . Agareni ad locum , cui Mamma (LXXX) nomen est , degebant . Cumque haud procul Beneventani Agarenos lustrarent , & metuerent , ne forte Agareni fugam arriperent , hac arte eos denique deluderunt . Omnes ramos de arboribus caederunt , & unusquisque ante se propriis manibus tenuerunt , & sic contra Agarenos densi nimirum properarunt . Sed dum Agareni a longe conspicerent , & requirerent , quid esset aestimare : alii dicebant : *mons*

quasi

(LXXVIII.) Landulfus hic non *Suessanis* , sed *Suessulanis* praeerat, & ita in emendatioribus Codicibus; quod ab Cl. Muratorii oculis aufugit.

(LXXIX.) Pugna haec Acerras inter , & Atellam accidit , ut alibi in Cinglensi Chronico adhuc inedito dicam .

(LXXX.) Locus mill. III. circiter a Benevento orientem versus, nec longe a Sabbato fluvio distans , qui sequioribus seculis *Mammola* dictus est , ut ex chartis Benevent. eruit Vir olim Cl. Johannes de Nicastro illius Metrop. Eccl. Archidiaconus, mihi amicitia , dum vixit , conjunctissimus .

(a) C. V. *abstringens*, *clangere.*

(b) CC. V. & F. *illo in tempore Suessulanis praerat ocius illis una cum suis obviam exiit.*

(c) C. F. *duos Comites suos .*

(d) Codd. omnes : *ab Episcopo Ajone , qui illo tempore in Sancta .*

quasi contra nos venit. Sed dum Christiani approximassent, statim ramos jactarunt, & armis se munierunt. Sed dum hujusmodi Agareni conspicerent, quamvis territi, & ipsi ad pugnam se praepararunt. Cum autem Pagani altrinsecus inchoassent pugnam, diu pugnarunt viriliter: tamdem Franci, nec non & Beneventani eos fortiter debellarunt, adeo ut pauci ex eis remanserunt, qui devia, (a) silvasque petierunt; postremo quamvis confusi, Salernum remearunt.

CAP. CXXIX.

SEd dum res, quae acciderat, *Regi Abemelech (b)* seriatim promulgassent, valde est perterritus; sed ad solitam vergens iniquitatem, immo & saevitiam, suos omnes ad bellum praeparari jussit (LXXXI), ne forte ex improviso Francorum Scara (40) super eos irrueret. Quapropter Agareni sunt in unum conjuncti, & inter se hujusmodi verba depromserunt: *Venient attamen super nos Francorum cunei, & debellabunt nos, quemadmodum sodales nostros prostrarunt?* Sed cum Regi fuisset cognitum, his verbis exorsus est: *Mibi de ipsa Civitate promissiones non paucae venerunt, ut omnimodo nobis se subdent: & quomodo tam praeclarissimam civitatem linquamus?* At Agareni metuentes adventum Francorum, illico super suum jam dictum Regem irruunt, eumque comprehenderunt, manusque vinxerunt, & in navim retrudunt, & iter arripiunt,

(40) Bellatorum acies, qua voce saepe usi eorum temporum Scriptores: (*Prat.*) Nosque supra monuimus.

(LXXXI.) Ex hac Anonymi narratione aliquod revera expiscandum arbitror. Nam si Augustus Beneventanos impulit ad Saracenos debellandos, difficile quidem creditur, quod alii adfirmant, Ludovicus iterum Beneventum obsedisse, quod ab iis merito quidem offensus fuerit, ut infra aptius differam.

(a) *Montium, silvarumque*.

(b) A. 871.

ripiunt. Sed priusquam fugam (41) arriperent nefanda gens, hujusmodi signum de Coelo Redemtor multis ostendit: flammam igneam per marinum praepete cursu in medio navium jecit, quam mox sequuta est tempestas (LXXXII), quae cunctas liburnas frustatim disrupit. Alii vero Calabriam adeunt, eamque intra se divisam (LXXXIII.) reperientes, funditus depopularunt. Reliquerunt autem non modicam supellectilem, & immensa tritici, hordeique modia. Sed dum talia Salernitani conspicerent, statimque aliquantos expeditos miserunt juvenes, qui omnia denique igne consummarunt, putantes facere rectius, in pessimum corruere.

C A P. CXXX.

MEmoratus Augustus persemetipsum Capuam vênit, & mortuorum corpora contemplavit (*a*) invenitque corpus praedicti sui Nepotis, totumque corpus sauciatum. Diu illuc flevit, adnectens: *In hoc enim cognosco, quod de nostro stegmate duxit prosapiam*. Deinde cum de

(41) Saracenórum caedes tum Capuae tum Beneventi, eorumque fuga e Salernitana obsidione contigere Anno 872. Vide Part. II. Tom.I. Rer. Italicar. pag.245. ubi Chronicon Arabico-Siculum ad eum Annum haec habet: *Periit exercitus Moslemicorum in Salernah*. (*Prat.*) Vere haec exeunte anno 872. contigisse fatendum est. Quare quod Peregrinius, aliique ajunt, nullo pacto sustinendum videtur: capturam nempe Ludovici Aug. Beneventi anno 871. accidisse. Quomodo enim unius anni spatio Ludovicus in vinculis Beneventi immorari potuit, suo cum exercitu inde discedere, Capuae aliquantulum demorari, Romam pergere, aliaque ibi expedire, Landulfi legationem excipere, exercitus sui cohortes adunare, illinc proficisci, Beneventanos in Saracenos impellere, pugnas cum iis committere? Dicendum potius anno 870. Imperatorem captum fuisse, ut alibi contra Peregrinium, aliosque probandum erit.

(LXXXII.) Eadem narrat Erchemp. ut ibi dictum est.
(LXXXIII.) Divisam nempe inter Graecorum, Langobardorumque factiones, ut infra.

(a) C. Vat. *invenitque sui nepotis praedicti faciem, totamque*.

(*a*) uno exercitu Beneventum cupiebat pergere, ut, si valeret, eum denique obtineret; sed suis praedictam rem minime propalavit. Sed dum altrinsecus inter se sciscitarent, ac promerent: *Quo pergit Dominus noster?* & nullus sciret, quo pergeret: illico *Gualperto* (42) *Episcopo*, qui ceteris eminentior erat, indicare studuerunt. At ipse Praesul Augustum inde percontatus est: sed quae clam gestabat, minime promulgavit. Dum moenia Beneventani (*b*) cuneatim adiissent, statim Beneventani undique se munierunt, ipsumque Imperatorem variis injuriis afficiebant adjicientes etiam (*c*): *Quo pergis? Numquid, numquid Beneventum ingredi cupis?* Ludovicus autem volens, quemadmodum diximus, Beneventum acquirere, sed minime valens, ad propria recessit, conjugem, natamque suam Capuam relinquens. Qua occasione arrepta, *Praesul Landolfus*, de quo supra diximus, *Principem Guaiferium*, qui illuc perrexerat, ut se (*d*) ad Augusti solamen annecteret, cui noviter juraverat ipse, & alii, (*e*) Capuam apprehendi fecit, & in custodia (*f*) retinuit. Sed quia non ea contigere illis, (LXXXIV) quae putabant, dimissus est; & *filios Landonis Landonem*, & *Landolfum* (43) cognatum suum pro se obsides dedit, quos secum remeans Augusta detulit; & Ravennam exilio reliquit. Sed non diu ipse Augustus supervixit,

(42) Cujus Sedis incertum. Florebat iis temporibus Gualpertus Patriarcha Aquilejensis. Sed Patriarcham Historicus appellasset.

(43) Ita quoque Erchempertus num. 36. Peregrinius legit *Landonulfum*. Pro *cognatum suum* Erchempertus posuit *cognatos suos*: hoc est consanguineos. (*Prat.*) Vere cognatum, ut in Erch. meminimus.

(LXXXIV.) Scilicet ut Guaiferius Capuanos Comites jurejurando absolveret, eosque liberos Dominos Campanae Dynastiae recognosceret, quod Landulfus, Landonesque filii exoptabant. *Nec verum quidem, nec verisimile id videtur.*

(a) C. F. *cum universo*,

(b) C. V. *cuneatim adiissent*.

(c) C.Vat.& Fr. *adjicientes: Caece quo pergis?* In Vat. Variant. Lection. ap. Murator. Fortasse pro Caesar Caesar illudendi causa Ce Ce.

(d) C. V. *Ad Augustae*. Fr. *in Augustae*.

(e) *Capuae* C. Fr.

(f) *Retrudi*. C.Fr.

ripiunt. Sed priusquam fugam (41) arriperent nefanda gens, hujusmodi signum de Coelo Redemtor multis ostendit: flammam igneam per marinum praepete cursu in medio navium jecit, quam mox sequuta est tempestas (LXXXII), quae cunctas liburnas fructatim disrupit. Alii vero Calabriam adeunt, eamque intra se divisam (LXXXIII.) reperientes, funditus depopularunt. Reliquerunt autem non modicam supellectilem, & immensa tritici, hordeique media. Sed dum talia Salernitani conspicerent, statimque aliquantos expeditos miserunt juvenes, qui omnia denique igne consummarunt, putantes facere rectius, in pessimum corruere.

C A P. CXXX.

MEmoratus Augustus persemetipsum Capuam vênit, & mortuorum corpora contemplavit (a) invenitque corpus praedicti sui Nepotis, totumque corpus sauciatum. Diu illuc flevit, adnectens: *In hoc enim cognosco, quod de nostro stegmate duxit prosapiam*. Deinde cum de

(41) Saracenorum caedes tum Capuae tum Beneventi, eorumque fuga e Salernitana obsidione contigere Anno 872. Vide Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 245. ubi Chronicon Arabico-Siculum ad eum Annum haec habet: *Periit exercitus Moslemicorum in Salernah*. (*Prat.*) Vere haec exeunte anno 872. contigisse fatendum est. Quare quod Peregrinius, aliique ajunt, nullo pacto sustinendum videtur: capturam nempe Ludovici Aug. Beneventi anno 871. accidisse. Quomodo enim unius anni spatio Ludovicus in vinculis Beneventi immorari potuit, suo cum exercitu inde discedere, Capuae aliquantulum demorari, Romam pergere, aliaque ibi expedire, Landulfi legationem excipere, exercitus sui cohortes adunare, illinc proficisci, Beneventanos in Saracenos impellere, pugnas cum iis committere? Dicendum potius anno 870. Imperatorem captum fuisse, ut alibi contra Peregrinium, aliosque probandum erit.

(LXXXII.) Eadem narrat Erchemp. ut ibi dictum est.

(LXXXIII.) Divisam nempe inter Graecorum, Langobardorumque factiones, ut infra.

(a) C. Vat. *invenitque sui nepotis praedicti faciem, totamque*.

(*a*) uno exercitu Beneventum cupiebat pergere, ut, si valeret, eum denique obtineret; sed suis praedictam rem minime propalavit. Sed dum altrinsecus inter se sciscitarent, ac promerent: *Quo pergit Dominus noster?* & nullus sciret, quo pergeret: illico *Gualperto* (42) *Episcopo*, qui ceteris eminentior erat, indicare studuerunt. At ipse Praesul Augustum inde percontatus est: sed quae clam gestabat, minime promulgavit. Dum moenia Beneventani (*b*) cuneatim adiissent, statim Beneventani undique se munierunt, ipsumque Imperatorem variis injuriis afficiebant adjicientes etiam (*c*): *Quo pergis? Numquid, numquid Beneventum ingredi cupis?* Ludovicus autem volens, quemadmodum diximus, Beneventum acquirere, sed minime valens, ad propria recessit, conjugem, natamque suam Capuam relinquens. Qua occasione arrepta, *Praesul Landolfus*, de quo supra diximus, *Principem Guaiferium*, qui illuc perrexerat, ut se (*d*) ad Augusti solamen annecteret, cui noviter juraverat ipse, & alii, (*e*) Capuam apprehendi fecit, & in custodia (*f*) retinuit. Sed quia non ea contigere illis, (LXXXIV) quae putabant, dimissus est; & *filios Landonis Landonem*, & *Landolfum* (43) cognatum suum pro se obsides dedit, quos secum remeans Augusta detulit, & Ravennam exilio reliquit. Sed non diu ipse Augustus supervixit,

(42) Cujus Sedis incertum. Florebat iis temporibus Gualpertus Patriarcha Aquilejensis. Sed Patriarcham Historicus appellasset.

(43) Ita quoque Erchempertus num n. 36. Peregrinius legit *Landonulfum*. Pro *cognatum suum* Erchempertus posuit *cognatos suos*: hoc est consanguineos. (*Prat.*) Vere cognatum, ut in Erch. meminimus.

(LXXXIV.) Scilicet ut Guaiferius Capuanos Comites jurejurando absolveret, eosque liberos Dominos Campanae Dynastiae recognosceret, quod Landulfus, Landonesque filii exoptabant. *Nec verum quidem, nec verisimile id videtur.*

(a) C.F. *cum universo*.

(b) C.V. *cuneatim adiissent*.

(c) C.Vat.& Fr. *adijcientes: Caece quo pergis?* In Vat. Variant. Lection. ap. Murator. Fortasse pro Caesar Caesar illudendi causa Ce Ce.

(d) C.V. *Ad Augustae*. Fr. *in Augustae*.

(e) *Capuae* C. Fr.

(f) *Retrudi*. C.Fr.

xit, & diem clausit extremum (LXXXV.); sicque filii Landonis, & Princeps Guaiferius absoluti sunt. Qui dum ad proprium solum repedassent, filios Pandonis extra urbem suam exules invenerunt, sociatique sunt illum: quorum nexionem ut ille Praesul Landolfus (a) doluit, mox Principem Guriferium in suum suffragium evocavit, qui sine mora veniens, utrosque fratres famulatui subdidit illius.

C A P. CXXXI.

Receptis (b) viribus Agareni Tarentum (44) receperunt, eoque (c) minime jam metuebant adventum Ludovici; audierant enim, qualiter confuse abscesserat. Ceperunt ergo pedetentim Barim, (d) & Canensem valide depraedarunt. Quibus ter occurrit *Adelchis Beneventanorum Princeps* in finibus Apuliae, quibus nihil praevalens, is invictus, & triumphator abscessit. Quo tempore, & (e) *Imanus*, qui a *Saogdane* exul fuerat, ab Africa cum Annoso veniens, Tarentum intravit, & Rex effectus est, egressusque Beneventum, graviter depraedavit Telesam, & Alife, & tantam victoriam adeptus est, ut Saogdanem saepe dictum ab Adelgisio in potestatem recolligeret; nam Annosum, & Adelbue (f) ante Apocrisario miserat. Hoc audientes, qui Barim residebant, *Gregorium*

(44) Testem quoque hac de re habes Anonymum Casinensem Tom. II. pag. 267. Ret. Italicar. Cui adde Herchempertum num. 38.

(LXXXV.) Ludovicus II. defunctus est A. DCCCLXXV. 12. Aug. Ind. VIII. in finibus Brescianis, ut habet Andreas Presbyter in Chron. To. 1. Rer. Germ. Menkenii. Errant qui vel ejus mortem anticipant, vel postponunt.

(a) *Intellexit, doluit*. F.
(b) C. V & Fr. *Receptis iterum viribus Agareni Tarentum ceperunt*. Fr.
(c) C. Fr. *eo quia*.
(d) C. Fr. & *Canusiam valde depraedari*.
(e) *Ismanus*.
(f) C. V. *Abdelbac*.

gorium (45) *Bajulum Imperialem Graecorum*, qui tunc in Hydronto degebat, cum multis exercitibus asciverunt, & Barum introduxerunt ob Saracenorum metum; qui statim apprehensum Ganst (46), illiusque primores Constantinolim misit, ut (47) quolibet mirando jurejurando dederat fidem. Interea Graeci saepius Legatos Beneventi, & Salerni dirigebant, ut ab iis auxiliarentur contra Agarenos, sed hi uno animo eorum spernebant flagitationes.

Tunc Salernum, Neapolis, Cajeta, & Amalfia pacem habentes cum Agarenis, navalibus incursibus Romam gravi angustiabant depopulatione. Sed cum Carolus Ludovici (48) filius sceptrum insigne Romam suscepisset; *Lambertum Ducem*, (49) & *Guidonem germanum illius*,

Gg Johan-

(45) Hujus etiam mentionem habet Herchempertus num. 38. atque inde haec mutuatus fuisse videtur noster.

(46) Ita quoque in Herchemperti textu. Sed utrobique legendum puto *Gast*, idest *Gastaldium* urbis, (*Prat.*) sive Gubernatorem, & militiae Praefectum.

(47) At nemo non videt, vitiata haec sunt. Erchempertus num. 38. legit: *ut quibus jurejurando fidem dederat*. Fortassis *ut ut cuilibet* in nostro legendum. (*Prat.*) *C.V.* ut quibus jurejurando dederat. *Fr.* quomodolibet, eis jamdiu jurejurando &c. *Bolv.* quibus prius jurejurando dederat fidem, ne vita privarentur.

(48) Scilicet Ludovici Pii filius, & patruus Ludovici II. quem *Calvum* appellare consuevimus. Erchemperto dicitur *Carolus Judittae filius*: recte & ipse: *Sceptrum* autem Romanum Carolus Calvus suscepit Anno 775. (*Prat.*) Librarii error; nam anno 875. die natalis Domini Carolus Calvus Romae coronatus est.

(49) Scilicet *Spoleti*. Et *Guidonem* ejus fratrem, aut ex fratre nepotem, qui Lamberto in Ducatu successit. Istorum Ducum genus adhuc perquam obscurum est, neque facile verum statuatur. Inter ceteros *Guido* Spoleti Dux, qui subinde Romanum Imperium, adnitente contra Berengario, est assequutus, *Lamberti filius* in Annalibus Francorum dicitur. Verum ab Erchemperto num. 58. a Leone Marsicano, & infra a Salernitano nostro aperte appellatur *Guidonis senioris filius*. Horum auctoritati, quia res Italicas novisse certius, quam Annalistae Fuldensis, & Metensis, Regino, aliique exteri Scriptores, sunt credendi, si nos plus hac in re deferemus, consentientem habebimus ipsum Ha-

Johanni (50) *Papae*, qui tunc in tempore aderat, in adjutorium dedit, cum quibus Capuam, & Neapolim profectus est. Sed Salernitanorum Princeps Guaiferius in cunctis obtemperans, (51) & foedus rupit, & multos ex eis peremit. *Sergius* (52) vero *Magister-militum* consilio Adelchisi Principis, & praedicti Lamberti deceptus, noluit se ab illis alienare, qui statim anathematizatus est, & cum Guaiferio belligerare coepit. Unde contigit, ut ipso VIII. die anathematis XXV. Neapolites milites apprehensos decollari fecit: sic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate multatus idem Sergius non multo post a proprio germano (53) captus est, Romamque mittitur suffossis oculis, ibique miserabiliter finivit vitam. Ipse autem frater ejus in loco ipsius se ipsum instituit.

C A P. CXXXII.

UT retro (*a*) sermonem traham, cum Ludovicus supradictus praeerat Samnitibus XXXII. Philosophos illo tempore Beneventum habuisse perhibetur. Ex quibus illorum unus insignis *Ildericus* nomine inter illos degebat, & non solum liberalibus Disciplinis apprime imbutus erat, sed etiam probe virtuti deditus, cujus facta minutatim obmittimus pandere; sed quamvis exigua, omnimodo non prae-

Hadrianum Valesium in Not. ad Panegyr. Berengar. pag. 400. & 401. Tom. II. Rer. Italic.

(50) Hoc est hujus nominis Octavo. Acta sunt haec Anno 876. & 877.

(51) Ex Erchemperto ista descripsit Salernitanus noster. Apud eum recte pro *obtemperans* scriptum *contendens*. Ergo ita corrige, aut scribe *Adelgiso obtemperans*.

(52) Idest Neapolitanorum Dux, qui cum Saracenis faciebat.

(53) Athanasio videlicet Episcopo Neapolitano, qui postea ex vitiis suis famosum sibi nomen comparavit.

(*a*) CC. omn. *Stilum traham*, *saepe dictus praeerat. tempore quo Samnitibus Lodogvicus*

praetermittam. Dum idem Ludovicus quadam die Notarium suum vocasset, & ei praecepisset, quatenus epistolam componeret, eamque quodam loco dirigeret: Notarius verba Augusti oblitus est. Die vero altera recordatus est rei, quam ei praeceperat, sed nequibat in mentem venire, qualiter ei intimaverat: unde non exiguum exinde angustiatus est. Postremo ad virum Dei Ildericum properavit, adjiciens: *Mi pater, praecepit mihi Augustus heri, quatenus juxta morem epistolam componerem: ego autem oblitus sum dicta illius, & , quid faciam, nescio. Tantum te enixius exoro, ut mihi auxilium impendas*: (a) Cui Principalis dixit: *Et quomodo scire potero quod auribus non audivi* (b); *dicente Domino*: (LXXXVI.) *Nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ad haec Notarius: *A Deo, & ejus Genitrice obtines*. Idem Vir Dei Ildericus statim Dei Genitricis Ecclesiam est ingressus, & indesinenter Sanctam Dei Genitricem, ejusque Natum efflagitavit, ut secreta rei suo servo intimaret. Illico domum suam abiit, & praedictum virum flentem reperit, eumque consolari coepit, & adjecit: *Sede; cito scribe*. Sed dum ille cum stupore resideret, ei praecepit, quomodo scriberet, & qualiter verba distingueret, (c) quemadmodum Augustus ei depromserat. Cumque juxta morem Augusto epistolam ille Notarius cum magno gaudio detulisset, eamque legisset, in hunc modum verba depromsit: *Veritatem mihi dicito: qualis fuit vir ille, qui hanc epistolam indicavit?* Cui Notarius: *Confiteor, Domine, quia dictorum tuorum oblitus sum, & , quid agerem, nesciebam. Quapropter perrexi ad virum Dei Il-*

 de-

(LXXXVI.) Aliam e suis fabellis, ab aliis fortasse traditam, heic recoquit toto hoc capite Anonymus.

(a) C. V. *Cui Philosophus Christi dixit*.

(b) *Hausi*.

(c) C. F. *& in illo ordine, ut Augustus*.

dericum, (LXXVII) *eique omnia intimavi*. *At ille illico Ecclesiam est ingressus, & dum paulisper ibidem moraretur, ad me est reversus, & omnia, quae cernis, mihi studenter indicavit*. Statim Augustus mirari coepit, & Principem Adelchisium acclamavit, & ei verbis talia promit. *Volueram veraciter agnoscere, in hac urbe quis liberalibus disciplinis super omnes est deditus*. At Princeps coepit nominare ceteros Sapientes: verum virum Dei Ildericum obmisit. Tum Augustus: *Numquid scis Ildericum?* Cui Princeps: *Veraciter scio; sed eum exosum habebam, eo quod ei non adulatoria verba, sicut ceteris, sunt exhibenda*. Quapropter Rex omnia suis Optimatibus enodavit, & ab illo die magnam ei reverentiam obtulerunt. Sed virum Dei nec adversa, nec prospera urgebant; sed plus plane in jejuniis, & vigiliis se se cohortabat in tantum, ut in terra positus coelestia obsequia auribus hauriret, atque fidelibus intimaret. Agmina vero Angelorum ante obtutum Redemtoris sistebant, & in hunc modum laudes in versibus referebant: *O Redemtor Mundi, & Salvator hominum Christe, poenitentes, & dolentes suscipe, & qui sunt septi peccatorum pondere*. Cumque vir Dei aures in Angelorum dicta innecteret; statim (*a*) eadem propria manu scripsit, & suo ingenio accommodavit similia, quae nos huic Historiae necti jussimus.

Angelicam Dominus naturam condidit olim,
Humanamque simul laudis honore suae.

CAP.

(LXXXVII.) Ildericus iste, qui *vir Dei* appellatur, Monachus Cassinensis fuit, a colega Anonymo Salernitano commendatus, ut suos quoquo modo extolleret. De eo Petrus Diac. de vir. ill. Casin. & Gattula Hist. Cass. Sec. IV.

(a) C. V. *Statim, distinctius propria*.

CAP. CXXXIII.

Cumque Ildericus Angelorum dicta hausisset, illico & ipse hujusmodi verba deprompsit:

Hic Opifex Mundi, verbo qui cuncta creavit,
Ex nihilo finxit omnia nempe simul.
(a) *Absque labore labor, cui posse & scire quod esse;*
Cujus opus velle est, cui labor alta quies.
Laudet eum hinc Coelum, cuncta & coelestia semper
Luminis Angelici castra beata nimis.
Laudet eum tellus, omnisque creatio Mundi,
Omne genus hominum, (b) reptile, belva, volans.
Dicant, dicamus: tibi sit Rex gloria perpes,
Omnia qui retines, jure regisque tuo.
Te decet omnis honos, tibi virtus, gratia (c) cessit;
Quem digne metuunt, Inferus, arva, Polus.
Une, ac Trine Deus, Lux, & Sapientia vera,
Regnum immortale (d) ut sine fine tenes,
Tempora tu condens solus, (e) & sine tempore regnans:
Vere ut principium, sic tibi finis abest.
Principium, & finis; primus, (f) novissimus es tu,
Quem currunt infra tempora, secla, dies.
Cuncta arcens mutas, (g) & non mutaberis umquam:
Semper eras, qui nunc, semper erisque manens.
Quem Cherubim, Seraphim cunctis cum coetibus (h) Orbis
Proclamant Sanctum, concelebrantque, tremunt.
Tu pietas, bonitas, requies, patientia, paxque
Vita, salusque, decus, castus amorque timor.

Sim-

(a) *In Cod. Vat. ante:* Absque labore, *legitur* Angeli: *& inde alio sequenti disticho:* Item Angeli: *ita alio disticho:* Dicant, *legitur:* Item Angeli. *In sequentibus, tum* Angeli, *tum* Hildericus *alternatim versus hosce canunt.*

(b) C.V. *reptile, nansque.*
(c) C.V. & Fr. *laus sit.*
(d) CC. omn. *tu sine.*
(e) al. *solus sine*
(f) *Primusque.* Fr.
(g) C.F. *tu non.*
(h) *Aethris.* Fr.

Simplicitas prudens es tu, prudentia simplex
Te recte metuit Mundus, adorat, amat.
Quaesumus, ut coeli cito det mihi tegmina, Christe,
Una (a) & laudemus et tua membra caput.
Longanimis, verax, fortis, mirabilis, alme,
Terribilis, mitis, suscipe vota precum.
Cunctorum factor, tu censor, tutor, & altor,
Rex Regum, populo parce tremende tuo.
Confer opem famulis, veniam da, destrue culpas,
Daemones expelle, noxia cuncta fuga.
Duc Coelis plebem, tuus emit quam cruor Agni,
Denuo quam peperit spiritus, atque latex:
Respice propitius gemitum, suspiria, voces.
Ad te clamantum, ac miserere pie.
Sancte tua Jesu sic morte tuere (b) Redemtor,
Pestiferos perimat ne leo, sive draco.
Sit tibi cunctipotens benedictio, sitque potestas
Secla per immensa, sit vigor omnis. Amen.

C A P. CXXXIV.

Adelchis vero cum Castrum Trevetense (LXXXVIII) obsidere cuperet, & dum maluisset propriam urbem adire, a longe conspexit suos contra se properare. Statim *Ajonem* (54) *Episcopum* vocavit, eique dixit: *Si evenit aliqua inepta res absque jussione omnipotentis Dei?* Sciebat enim illorum consilium, & volebat retribuere malum. Cui Episcopus: *Non: Sed dicit Apostolus: Date locum irae:* Ille Princeps nequaquam ab eorum aspectibus declinavit, sed ut eis approximavit, dulcia verba depromsit; & illi salutaverunt eum. Sed dum paulisper simul

(54) Beneventanum.

(LXXXVIII.) De Castro Trevetensi superius disseruimus To. I.

(a) *Ut laudemus.*

(a) al. *redemtor Pestifer hos.*

mul ambularent, ab Agarenis nimirum), & nepotibus extinctus (55) est. Fuit autem (a) sagax, & sagacissimus, (b) qui praefuit Beneventanis annis XXIV. cum dimidio. Et statim in loco ejus *Gaideris filius Radelgari*, nepos extincti, ordinatus est; & statim ejectus Gailo (56), & (c) Guidaferius gener illius. Hic etenim principare voluit; cujus cupiditate socerum suum peremit. Hic quoque susceptus est ab Athanasio Episcopo, & Magistro-militum Neapolis. Ubi corpus illius volutatum est, & cruor tabefactus, ab illo ergo tempore nequaquam (LXXXIX) ibidem herba orta est, donec usque nunc nostris quoque temporibus centum anni expleti sunt, & sic herba gignere coepit. Quapropter, quantum conjicere valemus, omnipotens & misericors Deus delicta illorum, quae in suo Domino gesserunt, obmisit, atque coelestia regna partecipavit.

CAP.

(55) Adelgisi Principis mors Anno 878. aut 879. accidit. (*Prat.*) Anno potius 877. ut ex Epist. Johannis PP. VIII. 159. data III. Non. Mart. A. 877. Guiderisio filio Radelchis jam vita functo, qui ipsum super Agarenorum sibi illata damna consolatur, auxiliumque spondet: Aliamque epistolam eodemmet die scripsit Ajoni Benev. Episcopo Radelchis germano, illum super hujus infortunio confirmans. Sedit Adelchis ab anno 853. usq. ad 877.

(56) Erchempertus num. 39. *Cailo & Duiferius*. Scribo *Daiferius*, aut *Dauferius*, ut infra diserte habet noster num. CXXX. In altero Codice Erchemperti, uti Peregrinius monuit, non legitur *&*, quasi haec de uno homine scribantur.

(LXXXIX.) Igitur Salern. Anonymus haec describebat post centum annos, idest, circa ann. 980., ut patet.

(a) CC. omn. *Fuit autem, audax, & sagacissimus, necnon mitissimus, qui*. (b) A. 877. (c) C. Fr. *Dauferius*.

C A P. CXXXV.

His quoque diebus *Landulfus* (57) jam fatus Praeful languore percuffus interiit. Videntes autem nepotes fui difpofitionem, in unum collati, diviferunt inter fe fub jurejurando Capuam aequa diftributione; fed facramentum fraternum non diu exftitit illaefum. Cupiditate enim (*a*) exorta filii *Pandonis Landenulfum*, & *Atenulfum* fratres fuos, filios *Landenolfi*, dolo ceperunt, & cuftodiae indiderunt. Sed ut coepta breviter profequar, Landolfi filii uniti cum filiis Landonis, ad fuffragium *Principis Guaiferii* fe contulerunt, a quo aliquandiu tutati funt. Similiter *Pandonulfus* ad eumdem Guaiferium Legatum cum variis chirographis mifit; fed ab eo mininime receptus eft, favens fupradictis fratribus. Cernens autem praedictus vir omnimodo fe deftitutum, *Gaiderifium Principem*, & *Gregorium Augufti Bajulum*, qui tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerant, ad Beneventum properanter Legatos invitabat, ut quam primum venirent eum ad adjuvandum, & effet illis fubditus. Quibus ex diverfis fine mora per (*b*) Cajacium advenientibus, ab occafu juxta urbem Capuanam (XC) refederunt. Princeps Gaiferius econtra ab ortu Solis adveniens, Amphitheatrum applicuit, & vallata eft civitas hoftibus. Inter haec Pandonulfus renuit fubdi Gaiderifio Principi Beneventano, ficut promiferat, renitente maxime Landone filio (*c*) Landolfi cognati ejufdem

(57) Capuanus Epifcopus & *Princeps*. (*Prat.*) Male ait Muratorius *Princeps*, cum Comes tantummodo fuerit Landulfus, ejufque nepotes, ut diximus.

(XC.) Utrobique Capua obfidebatur, nempe tam citra, quam ultra Vulturnum amnem, ut alibi in Erchemp. e quo haec Hiftoricus nofter fumfit.

(a) al. *cupiditate enim extorti*.
(b) *Gajaciam*.
(c) C.V.F. *Landenolfi*.

dem Gaiderisii. Qua de re, & dictus Bajulus, & idem Gaideris alienati sunt ab illo. Mox alii per urbem Capuanam, nonnulli per (a) Linaris (58) fluvium transmearunt partem ad alteram; Guaiferio autem Principi, proprio Domino, sociati sunt. Et recollectis Landonolfo, & Atenolfo fratribus dictis, volentes Pandonolfum subdere Guaiferio Principi; sed non quiverunt, eo quod nolebat fratrueles suos recipere infra urbem: idcirco a Guaiferio respuebatur. Recognoscentes autem supradicti viri versutias Pandonolfi, ad propria reversi sunt. Guaiferius tunc remansit Capuam.

Hac quoque tempestate pene omnes Capuae illustres, & omne vulgus cum uxoribus, & liberis, omnibusque supellectilibus, urbem egredientes, alii filiis Landonis, nonnulli ex eis filiis Landonolfi adhaeserunt. Factaque est inter eos valida concertatio, & pessima desolatio. Namque Guaiferius Princeps hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat eam; ultra fluvium vero eum Francis *Lamberti Comitis* Landonem constituit. Alio quoque Anno superveniens jam fatus audax Guaiferius ille Princeps cum Amalfitanis tempore messionis, obsedit dictam urbem undique, donec inter se fratres sub sacramento pacem inierunt; & sic Guaiferius Princeps cum Amalfitanis, & Salernitanis propriam adiit urbem.

CAP. CXXXVI.

PEr idem tempus *Athanasius Praesul* Neapoli militum Magister praeerat. Qui, ut praemisimus, (b) exulato

(58) Quinam sit hic fluvius Linaris, Capuani doceant. Equidem non novi. Sed Erchempertus, quem noster heic, & supra totidem fere verbis descripsit, habet: *nonnulli lintris fluvium*. Librarius ad vocem ignotam fortasse cespiraverit. (*Prat.*) Hæc in Erchemp. notavi, quæ vide, & in Cod. Frecc. *lintris*.

(a) C. F. *Lintres Volturnum*. (b) C.V.Bolv. & Frecc. *exoculato*.

lato fratre, cum Agarenis pacem iniit, ac populum infra portum aequoreum, & urbis murum collocans, omnem terram Beneventanam, necnon Salernitanam, simulque & Romanam, simul etiam & partem (XCI) Spoleti diruentes, cunctaque Monasteria, & Ecclesias, omnesque urbes, & oppida, & vicos, montes, colles, insulasque depraedarunt. A quibus & Sancti Benedicti Coenobia (59) decentissima toto Orbe veneranda, & Sancti Vincentii Martyris Monasterium igne exustum est, aliaque innumerabilia exusta sunt. Sed dum creberrime Agareni huc illucque pergerent, omniaque denudarent, & maxime Salernitanorum tellurem attererent, atque demolirent: habitandi locum sibimet elegerunt, ubi (XCII) Cetara dicitur, non procul a Salernitana civitate, & undique, ut diximus, praefatam urbem affligebant, in tantum ut altrinsecus, inter se foedus inirent Agareni, (a) sicut & Salernitani. (b) Sed non probum consilium inierunt; clam enim arma tulerunt, & ubi Agareni sine exercitatione degebant, audaci animo properarunt quatenus profanos potenter attererent. Sed justus Judex Dominus minime Christianis victoriam tribuit, eo quod obliviscerentur jusjurandum, quod Agarenis juraverant. Nam Agareni protinus cedulam, ubi indita erat Sanctissima, & inseparabilis Trinitas, lanceae nexuerunt, & in hunc modum promserunt. *O Jesu Mariae fili, in hoc cognoscemus veraci-*

(59) Pergit noster expilare Erchempertum. Vide Chronicon Casinense Leonis Marsicani Tom. IV. Collection. hujus, & Vulturnense part. II. Tomi I. ubi de his agitur.

(XCI.) Partem scilicet Spoletani Ducatus, quae Beneventano Principatui contermina erat, idest Comitatum Theatensem, Marsiam, aliaque iis finitima loca.

(XCII.) *Cetara* oppidum adhuc exstans in Tyrrheno, sive Salernitano sinu Amalfim inter, & Salernum, ad mare situm.

(a) Fr. *& ficte*.
(b) C. V. & Fr. *Sed Salernitani non probum*.

raciter, si Coelum terramque regis, & totius es creaturae Dominus, si istos perjuros potenter atteres. (*a*) Sed illico Salernitani terga dederunt, & partim percussi in mare se necaverunt, partimque gladio ceciderunt; reliqui quamvis confusi per devia, silvasque propere adierunt. Ibi magna pars Salernitanorum interiit; & sic putantes rectius facere, corrueruut in pessimum. Qua occasione, ut diximus, Agareni agmine uno coacti stirpitus a foris cuncta demoliebunt in tantum, ut Salernitani potius mortem, quam vitam cuperent. Nam & a foris civitatis moenia quis egredi minime valebat; & si quis temerarius propter necessitatem foris moenia properabat, statim Agareni eum (*b*) debilitabant. Factum est autem quadam die, ut Salernitani non pauci adolescentuli in unum se congregarent, atque extra urbem exilirent, forsitan ut fruges aliquas reperirent, ibique refocillarentur. At dum non procul ab urbe properarent, & mala, ceteraque alia poma gustarent, & altrinsecus se onerarent, tamdem adierunt locum, ubi Agareni aliqui degebant; & dum ex improviso Salernitani cum magno strepitu Dominum invocarent in suffragium, super Agarenos irruerunt, eosque fortiter debellarunt, adeo ut nec unus evaderet: & sic magno tripudio Salernum remearunt, supellectilem, multaque spolia secum gestantes (XCIII). Ab illo ergo die vires Christiani sumunt, & (*c*) multi ex eis perierunt.

(XCIII.) Ne novum legentibus miraculum venditet Salernitanus, credendum potius, multos fuisse adolescentulos, hominesque, qui e Salerno Urbe egrederentur, ac paucos admodum Agarenos invaderent, debellarentque.

(a) C.F. *Et continuo quamvis exiqui illis obviam exierunt, bellumque inchoaverunt. Sed illico.*

(b) Fr. *debellabant*.

(c) CC. omnes: *& multos ex iis perdiderunt*.

CAP. CXXXVII.

UT retro redeam, quod ipse saepedictus Princeps Guaiferius gessit mirabiliter, loco proprio inseram. Dum idem Princeps Salerno, Capuaeque, simulque etiam diversis Castellis, & civitatibus praeesset, & ad praesidium undique illi adirent: factum est, ut una die non exiguum triticum a Capuana urbe Salernum sui famuli cum plaustris vectarent. Sed, ut cognitum Neapolitanis fuisset, repente ex sua urbe prosiliunt, quatenus triticum Neapolim nimirum veherent. Sed ut comperit audax ille Langobardorum Princeps Guaiferius, illico ex sua urbe cum paucis, scilicet (a) XVIII. egressus est, & agiliter illuc profectus est. Sed dum a longe cernerent Neapolitani Salernitanos, coeperunt inter se promere: *Legati sunt isti*. Sed dum eis approximassent, continuo ille Princeps Guaiferius suo filio *Guaimario* talia verba depromsit. *Vide fili: ubi ego super Neapolitanos irruo, statim ex adverso forti ictu percute*. Et protinus galea ex suo capite exilivit, & magnam vocem emisit: *Ego sum*, inquit, *Guaiferius*: & continuo super eos irruit, ultimaquecaede eos vastavit, adeo ut exigui ex eis evaderent: qui fuerunt firmiter ducenti: aliquanti comprehensi. Sed dum unum adolescentulum inter eos comprehendissent, ille adolescens veniam postulabat: at Princeps cuidam suo fideli verba depromsit, quia (b) eum de hac instabili luce extingueret; qui statim cum ingenti virtute per medium cerebrum mucrone percussit, ita ut pars capitis dextera parte laeva humero superjaceret; & jam exanimatum corruit miserabiliter corpus; & sic magno cum gaudio Salernum Princeps regressus est.

CAP.

(a) XXIV.

(b) Fr. *quantocius eum*.

CAP. CXXXVIII.

Circa haec tempora Guaiferius saepedictus Princeps Monachus effectus est, languore depressus gravi. Quapropter Coenobium Beati Benedicti anxiabiliter pergere cupiit, ut ibidem vitam finiret. Et statim per marinum iter Neapolim profectus est (XCIV). Sed ut cognitum fuit *Dauferio suo nepoti* cum ceteris suis sociis, qui tam prolixo tempore inibi exiliati degebant, statim magno ululatu fremere coeperunt. At Princeps illis hujusmodi verba praedixit. *Nequaquam gaudete, quia minime Salernum revertemini, quia Guaimarius filius meus* (a) *illic est*. Sed cum Coenobium praedictum properare satageret, in itinere diem (60) clausit extremum. Et quia in incursione Agarenorum corpus illius ad Coenobium Benedicti Patris non valuit ferri, Theani in claustro ejus Ecclesiae humatum est.

CAP. CXXXIX.

Per idem tempus Beneventani cum suo Principe *Gaiderisi* foras deambulabant; sed dum devenissent ad locum, ubi extinctus fuit memoratus *Princeps Adelchis*, statim unus Clericus (b) Erecipretus nomine (c) talia verba exorsus est: *In hoc loco nefandissimum Principem non*

(60) Guaiferii Salernitani Principis mors ad Annum 880. referenda videtur.

(XCIV) Difficile marinum iter per Neapolis finum arripiendum fuit Guaiferio, cum parum in hunc Principem benevolo animo essent Neapolites.. Terrestri potius itinere Capuâ ei incedendum fuit. Plura de his in Erchemperto supra To. I. notavimus, quem consule. Inverisimilia quoque sunt quae de Dauferio promit Anon. Textus forte corruptus.

(a) C. Vat. *meus illuc praeest*. C. Fr. *illis praeest*.
(b) CC. omnes. *Erchempertus*, vel *Erecipertus*.
(c) *Clam*. Fr.

non paucis plagis extinximus: illico ultio divina eum percussit; nam mox (*a*) ipse Gaideris famulis suis praecepit, ut brachia illius abscinderent: quo facto, prolixo tempore miserabiliter vixit (XCV).

Eodem namque tempore suasus (*b*) jam dictus Gaideris, a *Landone* cognato suo alienatus (*c*) *Pandolfo* sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio. Sed in proximo a Tribulibus dicti Landonis captus, custodiae mancipatus est; ejusque (*d*) in loco (61) *Radelchis filius Adelchisi* Princeps est constitutus, qui (XCVI) tribus vixit annis imperans; tum a Beneventanis ejectus est, & *Ajo* (62) *frater ejus* loco ipsius subrogatus est. *Gaideris* vero Francis traditus in custodia, fuga lapsus, pervênit urbem Barensem, quo morabantur Graeci, a quibus missus est urbem Regiam *Basilio pio Augusto*, a quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus (*e*) Oriam urbem ad convivendum accepit. Inter haec Agareni totam supradictam terram Beneventanam crudeliter laniabant, ita ut desolata terra, olim cultoribus, (*f*) vestibus, rebusque repleta, fatisceret (XCVII).

CAP.

(61) Anno 881. Principatum Beneventi iniit. Haec & sequentia ex Erchemperto desumta.

(62) Qui Beneventi Princeps constitutus est Anno 884.

(XCV.) Frecciana lectio tutior videtur. A verosimili quidem abhorret, in Beneventani Principis conspectu patrui sui mortem commemorare, cujus & ipse auctor fuerat. Verosimile quidem clam ipse locutus videtur.

(XCVI.) Gaideris, nondum exacto triennio, Principatum Beneventi tenuit, scilicet ad ann. usque 879. evecto ad sedem Radelchisio Adelchis Principis filio, qui eum sacris Ordinibus initiandum curavit, ut solus absque timore imperaret. Sed justo Dei judicio post annos IV. videl. Anno 883. fratre expulso, Principatu potitus est.

(XCVII.) Miror, cur hos errores non adverterit Muratorius.

(a) *Audiens ista*. Fr.

(b) *Supra*.

(c) C. V. *Pandonolfo*, sicuti omnino legendum est.

(d) A. 881.

(e) CC. omn. *Oeream Urbem ad conjubendum accepit*.

(f) CC. omn. *restibus*, *vepribusque repleta*.

CAP. CL.

TUnc agmina Agarenorum in unum congregata funditus, ut diximus, omnia denudabant; atque prius Agropoli (63) morarunt, deinde per juga montium degebant, omniaque demoliebantur. Hiis diebus *Athanasius Praesul Neapolitanus*, de quo praemisimus, missis Apocrisariis in Siciliam Agarenis ad radicem montis Vesuvii (*) residentibus, *Sithamum Regem* exposcit, & illis veniens praefecit. Sed justo Dei judicio primo omnium super eum insurgens coepit Neapolim (a) affligere, & devorare omnia exterius, ac puellas, equos, & arva vi expetere. Hoc turbine exagitatus, & ut Apostolicum anathema, (64) quo erat innodatus, a se, & urbe sua expelleret, Guaimarium Principem cum omni suo exercitu validissimo Salernitanorum, (b) Cunsinos quoque, necnon & Capuanos, seu etiam cetera Castra in adjutorium advocavit, & Saracenos ab eodem loco vi repulit. Hoc facto, non multo post praedictus Praesul a Guaimario Principe, qui eum ab oppressione Agarenorum eripuerat, (c) liberatus (65) est. Agareni namque in unum sunt coacti, & Garilianum properarunt, & ibidem prolixa tempora nimirum morarunt, & undique Capuam, Beneventum, Salernum, Neapolim affligebant. Sed Athanasius ad solitam

(63) Idest *Acropoli*, quae Urbs Lucaniae olim Episcopalis fuit, atque ita appellata, quod in promontorio sita foret ad oram maris Tyrrheni. Nunc excisa. (*Prat.*) Errat hic Adnotator, cum Acropolis nobile Castrum in Salernitano sinu adhuc exstet licet pluries a barbaris bello attrita, & iterum exstructa: arcemque munitissimam habet.

(*) Inde nobis proverbium ortum est. *Quattro sono li luoghi della Saracina, Portici, Cremano, la Torre, e Resina*. P. Caracc.

(64) Anno 881. a Johanne VIII. Papa anathemate perculsus fuit irreligiosus ille Episcopus, quod cum Saracenis tam arctum foedus iniisset.

(65) Quaedam heic desiderari videntur. Consule Erchempertum num. 49. Tom. II. pag. 249. Collection. hujus.

(a) C.F. *graviter*.
(b) *Compsinos*.
(c) CC. V. Fr. *alienatus est*.

tam vergens fallatiam, cum Agarenis pacem iniens, Salernitanorum (*a*) fines fortiter affligebat.

C A P. CXLI.

BAsilio (66) *Sereniſſimo Auguſto* hiis diebus defuncto; duo filii in ejus Imperium ſunt electi, ideſt *Leo* primogenitus, & *Alexander* ſubſequens; & tertius *Stephanus* nomine Archiepiſcopatum ejuſdem (*b*) Urbis (ejecto Photio, qui a *Nicolao primae Sedis Epiſcopo* ob invaſionem Epiſcopatus, adhuc ſuperſtite *Ignatio*, perpetuo anathemate fuerat multatus, & a Johanne (67) Papa, (ut ita dicam) ignaro ad priſtinum gradum reſuſcitatus) regendum coepit. *Leo* jam dictus non (68) diu ſupervixit (XCVIII). Ipſe *Alexander* dum germani ſui vidiſſet interitum, in magnam ſuperbiam eſt elevatus, & non tantum coram hominibus, ſed & contra Dominum conabatur ſe jactitare: Nam LXX. (*) (69) ſtatuae, quas olim Romani in Capi-

(66) Qui Anno 886. diem ſupremum obiit. Haec eadem habet Erchempertus num. 52.

(67) Scilicet Octavo hujus nominis Papa, qui Photium a Nicolao I. damnatum Anno 863. & 868. nimia facilitate reſtituit in Sedem Conſtantinopolitanam Anno 879. (*Prat.*) De hoc in Erchemp. Notis plura dixi.

(68) Quare? quum Leo iſte Graecorum Imperator, poſt Baſilii patris mortem ultra XXV. annos thronum Conſtantinopolitanum tenuerit. Plane illud *non* expungendum videtur: ita in Cod. Frecc.

(*) De 70. ſtatuis, quas olim Romano in Capitolio poſitas ſcimus, quibuſque repraeſentabantur ſingulae Provinciae, Caracc. in margine. At fabellam hanc e Graecis hauſerat Anonymus noſter.

(69) Anilis fabula.

(XCVIII.) Leo Imperator obiit Ann. 911. poſtquam Conſtantinum Porphyrogen. ejus filium quinquennem Auguſtum creavit, quem fratri Alexandro commendavit.

(a) C.V. *fines una cum illis fortiter*.

(b) Fr. *qui ad Archiepiſcopatum ejuſdem Urbis evectus fuerat, ejecto Photio*.

Capitolio consecrarunt in honorem omnium gentium, quae scripta nomina in pectore gentis, cujus imaginem tenebant, gestabant, & tintinnabulum (a) uniuscujusque statuerant, & Sacerdotes die ac nocte semper vicibus vigilantes eas custodiebant. (b) Quae gens rebellis in Romanorum Imperatorem consurgere conabatur; statua illius gentis commovebatur & tintinnabulum in collo illius resonabat, ita ut scriptum nomen continuo Sacerdotes Principibus deportarent (c), & ipsi absque mora exercitum ad reprimendum eamdem gentem mittebant. Sed dum fuissent praedictae statuae aereae Constantinopolim deportatae, ille jam fatus Alexander hujusmodi verba depromsit: *Illo denique tempore Romanorum Imperatores erant gloriosi, quando istae statuae venerabantur*. Unde statim sericis (d) vestibus vestire jussit, & singulas circumdedit. Nocte igitur subsequente, cum se sopori dedisset, vir clarissimus ei apparuit, & comminanter super eum venit; eumque in pectore forti ictu percussit, & nomen suum protinus propalavit adjiciens: *Ego sum*, inquit, *Romanorum Princeps Petrus*. Et statim cum magno taedio evigilavit, sanguinemque suum vomere coepit, & sic exitiali morbo defunctus (70) est. Eo defuncto, Constantinus Imperatoris filius Leonis, quem supra memoravimus, in Imperium est electus (IC).

(70) Anno scilicet 915. si Pagio acquiescendum est. Sed mihi res incerta, neque vacat altius penetrare. Vide Chronicon Vulturnense part. II. Tom. I. Rer. Italic.

(IC.) Alexander diem clausit extremum A. XCXII. Neque tunc Constantinus imperium suscepit: vix enim septennium aetatis numerabat; sed imperii administratores fuerunt Zoë Augusta ab exilio revocata, aliique Palatini Proceres cum Romano, qui, Regia tandem occupata, pri-

(a) C.V. *Et tintinnabulum cujusque statuae erat, & Sacerdotes*.
(b) C.V. *Et quae gens in rebellionem consurgere conabatur contra Romanum Imperium, statua*.
(c) CC. *omnes deportarent*.
(d) C. Fr. *Sericas vestes*.

CAP. CXLII.

ATo *Beneventi Princeps* ante Principatum, & poſtea; partim imbecillis, partim roboreus exſtitit. Poſt haec Princeps praedictus (*a*) animoſe cum Beneventanis, & Capuanis (71) egredientium filiis Landonolfi Amalfitanos habentibus certamen iniit, & aliquandiu pugnatur juxta portam urbis; cumque neutra pars alteri cederet; utraeque acies ad ſua reverſae ſunt.

Eo tempore Guaimarius ſupradictus Princeps Salerni per ſemetipſum Conſtantinopolim eſt profectus, & honorifice ab Auguſto ſuſceptus eſt, Patriciuſque factus, & donis regalibus ditatus, cum magno honore ad propria remeavit.

Per (72) idem tempus valde inter ſe Capuani, & Neapolitani certamen iniebant. Nam *Athanaſius Epiſcopus, & Magiſter militum*, omnimodo ſatagebat, quatenus Capuanos ſub ſua ditione attribueret (*b*), & inter fratres diſcordias crebriſſime ſeminabat. Succeſſit ergo, ut Decivilis Gaetanorum Dux clam Saracenos ad praedandum Capuam mitteret. Itaque ſtatim CXX. Agareni miſſi Theanum abierunt, ſuper quos Lando ceu leo audacter cum

(71) Locus corruptus, quem attingere vix audeo. Legerem: & *Capuam egredientibus filiis*, &c.

(72) Quae ſequuntur, ex Erchemperto Anonymus noſter deſcripſit, multis tamen breviatis.

primas ejuſdem dignitates obtinuit, ejuſque filiam Conſtantino Auguſto uxorem dedit, titulumque *Patris Imperatoris* aſſumſit. Errat igitur Anonymus initium Imperii Conſtantini Porphyrog. figens cum morte Alexandri ejus patrui.

(a) C.V.Fr. *Ayo cum Beneventanis, & Capuanis egrediens cum filiis Landonulfi Amalfitanis habentibus certamen iniit, & aliquandiu pugnatus eſt juxta portam Ubis Capuae, cumque*.

(b) C. V. *Attribueret, & inter fratres diſcordiae rixas creviſſime ſeminabat, cum ſe a fratribus delufum cerneret, ſucceſſit Decivilis Gaetani* (ideſt Docibilis Cajetae Dux).

cum suis irruens, usque ad ultimam internecionem protrivit eos, ita ut de tanto numero non amplius quam quinque evaderent, ceteris interfectis, ni fallor, CXV. (*a*) Tum Athanasius cernens se superatum, callide cum Capuanis pacem fecit, & tempore vindemiae una cum (*b*) Graecis super Capuanos irruit, apprehensis multis, & praestantissimis viris, (*c*) peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans Liburiam vendicabat sibi. Nam & Saracenos Agropolitanos clam evocavit, & Capuam misit, ubi tunc (*d*) egredientes Capuam restiterunt valde eis. Ob hoc, & absque praeda, ad castra repedarunt. (*e*) Itaque ille, prout mente conceperat, novis & inauditis machinis insurgebat adversus Capuanos, adeo ut tempore Quadragesimali cum omnis plebs Christicola, & praeterita deflet mala, & poscit a Deo, ut flenda minime committat: ipse mediante festo Dominico, subsequente crepusculo, collectis Graecis Materensibus, Agarenis, & Neapolitibus, (*f*) consilio Guaiferii, urbem Capuanam tentavit invadere, (*g*) ascensis muro quasi CCC. viris armatis diversorum generibus armorum. Sed omnes, Domino adjuvante, alii ex eo sponte desilierunt, quidam cervice tenus in imis jacti sunt; nonnulli vero gladio occubuerunt. Ex Capuanis autem unus solus Monericus (C) nomine, & ut fertur, a suis extinctus est. Bellum quidem hoc (*h*) navatum in muro arbiter Judex non per belligerantes egit viros; sed per (*i*) impuberes mirifice gessit ad laudem nominis sui. Nam & Salernum per Agarenos prius, & postea per Graecos ca-

Ii 2 pere

(C.) Ab Erchemperto haec exscripsit.

(a) C. F. *Interea*.

(b) CC. omn. *cum Graecis clam super*.

(c) *Pecudibusque*. Fr.

(d) CC. omn. *Egredientes Capuani valide restiterunt*.

(e) C.V. *Dictus itaque vir, idest Athanasius*.

(f) C.V. & F. *conscio Guaiferio*.

(g) *Atque*.

(h) al. *narratum, in muro*.

(i) C. V. *per impuves mirifice gessit ad laudem nominis sui. Confractis itaque viribus, quod concepit, minime cessavit. Nam &c.* C. F. *per quatuor impuveres*.

pere multoties molitus est ; sed minime talia facere potuit, viriliter ei resistente Guaimario Principe.

C A P. CXLIII.

EOdem quoque tempore *Guido* (73) *filius Guidonis* (a) *senioris* super Agarenos in Gariliano castrametatus (ut retro redeam) hostiliter irruens, castra eorum diruta depraedavit, & aliquantos eorum gladiis interfecit ; aliqui montium peropaca, ut aqua, diffusi sunt. Hic autem Capuam appropians, (*b*) ultra transvadavit, & ad pontem, qui Teudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu ; & continuo ex (*c*) cibariis, frumento, aliisque victualibus per Capuanos ejus milites refocillati sunt ; Capuani tamen eodem Duce non sunt foederati. Sed cum retroverteretur, urbemque praedictam transiret, metu coacti subdiderunt se illi. Illo abeunte, Athanasius praedictus, suffragante Graecorum auxilio (*d*) stipatus, a foris omnia denudabat. Post haec suggestum est eidem Duci, ut adveniret quanto citius, & liberaret confidentes. Qui mox veniens Capuam, *Ayonem* (74) *Principem* a Benevento ad se venientem consilio Capuanorum cepit, & sub custodia Beneventum duci fecit ; in quam introiens ordinavit eam. (*) Inde proficiscens, Sipontum est ingressus, & praedictum Principem reliquit in castris. Cum autem cognovissent Sipontini Ayonem Seniorem suum captum, in supradictum Ducem unanimiter irruentes, clauserunt eum quodam in Templo, captis ejus Optimatibus. Hac illacque

(73) Erchempertus quoque num. 58. (quem noster expilavit) *Guidonem* hunc *filium Guidonis senioris* appellat. Is autem certe est, qui post Caroli Crassi mortem Romanorum Imperator creatus est.

(74) Acta haec fuere Anno 884.

(*) Vide quae supra in Erch. Notis dicta sunt.

(a) A. 884.

(b) *Lanim* (*Clanium*).

(c) C. V. *ex Liburiae.*

(d) C. V. *Stirpitus.*

que tunc missum est, ac adductus est Ayo, & redditus suis. Alia vero die sacramento dato, vix cum dedecore elapsus est.

CAP. CLXIV.

PEr idem tempus Monasterium Beati Benedicti a Saracenis prius dirutum, Anno Domini (a) DCCCLXXXIII. ab *Angelario Venerabili Abbate* coeptum est (b) aedificari de jussu, Domini Anno DCCCLXXXIV. mense Augusto. Hiis ita gestis, Atenolphus Spoletum pergens, dato pretio, Suavium Castaldeum Marsorum cum aliis sociis, Bassis (c) quasi ad CCC. armatos secum adduxit; cum quibus consilium iniit, ut Castaldatum Capuanum illi (d) firmaretur. Sed ingredientes Capuam, cum haec adimplere nequissent, dicti Franci ad sua reversi sunt. (e) Quid multa feram? Omnimodo Atenolphus satagebat, quatenus solus Castaldatum obtineret. Quapropter consilio habito cum suis, Sadi cognatum suum ad Athanasium saepe jam dictum sub dolo misit, ab eo auxilium poscens, ut adjuvaretur singulariter fieri Comes Capuae. Hoc autem audiens, gavisus est, & spopondit in omnibus se (f) auxiliaturum. Cumque hoc a plurimis terque quaterque Landoni fuisset relatum, ille solita segnitie detentus, pro nihilo ducebat hujusmodi nuntium. Quid multa dicam? Athenolphus per semetipsum Neapolim adiit, & foedus cum Athanasio iniit, & spopondit *Landolfum filium suum* obsidem dare, & propere sine mora est reversus. Sed dum cerneret sibi tempus adesse, quod coeperat perficere, & consanguineos suos aemulos ibidem non esse: cum (g) omne tempus advenisset, Sabato primo Epiphaniae,

(a) C. V. F. DCCCLXXXIV.
(b) *Raeedificari jusso suo.*
(c) *Bassisque.*
(d) C. V. *illi firmarent.*
(e) C. V. *quid plura referam?*
(f) C. V. F. *se illi auxiliaturum. Cumque hoc a plurimis, & maxime terque,* &c.
(g) C. V. *Cum sompni tempus advenisset; sabbato per Epiphaniam.* Fr.

niae, advocatis sodalibus suis, super filios Landonis irruit, eosque ex urbe ejecit. At illi Theanum adierunt, Landenolfus, Pando, & nepos (a) ejus. Athenolphus Castaldatum Capuanum singulariter suscipiens, continuo se (75) Miles appellari jussit, moxque praedictum filium suum ad Athanasium obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, & Liburiam, (CI) & Capuam jurejurando illi concessit.

C A P. CXLV.

His quoque diebus *Theophylactus Stratico* (76) a Bari Theanum hostiliter venit hyemis tempore, Agarenos tentans impugnare; nihilque proficiens, infructuosus abscessit. Adiensque Neapolim, *Marinum Castaldeum Castri Sanctae Agathae Ayoni Principi* rebellem percepit; & Apuliam rediens, nonnullas munitiones ejusdem Ayonis vi apprehendit. Unde, occasione arrepta, idem Ayo adversus Augustale dominium rebellionis jurgium initiavit: quod suo loco inseretur.

Dum *Princeps Guaimarius* Constantinopolim, ut superius diximus, adhuc degeret, Athanasius dolo concepto in opus erumpens, Graecos, & Neapolites suos, seu omnes

(75) In Erchemperti Historia num. 65. quam noster, ut saepius innui, his in locis totidem pene verbis descripsit, legitur: *continuo se Comitem appellari jussit*. Non abjicienda tamen Scriptoris nostri lectio: constat enim, veteres Principes Militiae honore, sive Militari cingulo (idque solemni ritu peragebatur) fuisse donatos, antea quam populos aut acies regerent.

(76) Sive *Stratigo*. Ita appallati Militiae Duces, Magistri militum, & Provinciarum Rectores a Graecis.

(CI.) Quam Liburiae partem Athenolfus Athanasio concesserit, alibi opportunius videndum erit. *Et Capuam*, nempe veterem, seu Amphitheatrum.

(a) CC. omn. *& Pando nepos eorum*.

omnes Capuanos generaliter convocans, super (*) Avellanum misit Castellum, (a) cui tunc praeerat *Landolfus* (CII) *Suessanus*. Mox autem ut illis supervenit exercitus, fraude illorum, qui intus erant, captum est, apprehenso in eo Landolfo, & filio ejus juniore; nuruque illius, uxore videlicet Landonis, qui cum Guaimario profectus fuerat.

Per idem tempus Agareni, qui in Gariliano degebant, omnia denudabant. Et quando cum Salernitanis pacem iniebant, Neapolitanos, Capuanosque graviter affligebant; & quando Neapolitanis pacem dabant, urbem Salernitanam, seu Beneventanam hostiliter atterebant. Sed dum plura Castella invasissent, & Christianos palam venumdarent, pervenerunt ad Castellum, cui nomen est (*,) Monte (b), & undique eum circumdederunt, eumque hostiliter expugnare coeperunt: Sed Christiani, qui de intus degebant, omnimodo (c) resistebant. Sed dum Castellum illud obsedissent, in tantum, ut etiam veniam postulassent, adhuc ajebant: *Tamdiu illud Castellum expugnemus, donec per vim illud obtineamus, omnesque, qui in eo degunt, gladio transverberemus*. At illi preces Domino obtulerunt, & ab eo mirabiliter liberati sunt. Nam illico columba tam mirae pulchritudinis ex adverso veniens, undique Castellum illud circumvolitavit; deinde intro ingressa est, Ecclesiaeque resedit. Sed cum diu resedisset, illico omnipotens Deus tenuem nubem super Castellum

(*) Avella in Campania, ut sup. in Erch.
(*,) Rocca Montis prope Nuceriam.

(CII.) Cur ex Erchemp. Anonymum non emendaverit diligentissimus Muratorius, ignoro. Non enim *Suessanus*, sed *Suessulanus* legendum est, ut supra notavi.

(a) C. V. Fr. *Qui tunc praeerat Landolfus Suessulanus*.
(b) al. *Apud Montem Nuceriae*.
(c) al. *Illis omnimodis resistebant*. *Sed dum Castellum illud obsedissent, & acriter afflixissent, postremum penuria aquae illum videlicet abligassent intantum*, &c. V. & Fr.

ſtellum obduxit, & abundantia aquae Chriſtianis pluit; tanta denique, ut omnes altrinſecus ſe ſatiarent, & vaſcula alternatim replerent. Et ut certo certius Agareni cognoſcerent, quod per deificam virtutem fuiſſet geſtum, a foris Caſtellum illud ne una quidem ſtilla (a) tetigit; Sed dum illi talia manifeſtius cognoviſſent, exinde ſunt moti, adjicientes: *Deus magnus illos defendit*. Propter quae pacem illis dederunt. In ſolemnitate S. Viti Martyris fuit hoc miraculum factum (CIII).

C A P. CXLVI.

His itaque decurſis, ſuaſus praefatus Lando a Capuanis per quamdam tractoriam plauſtro ſuppoſitam intromiſsus, Capuanam urbem ingreſſus eſt; atque ad Epiſcopalem abiit Aulam, ubi pauci ex ſuis congregati ſunt. Athenulfo accelerante, tunc commiſſum eſt praelium, mortuoque (b) Gualano illuſtri viro, diſſolutum eſt cor eorum (77) militiam promſit idem Athanaſius, eamque ſivit in tantum prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis terque praedari faceret (*). Ayo autem Bari tunc Princeps

(77) Heic una pagina excidiſſe videtur. Verum quae deſiderantur, habes apud Erchempertum num. 68. Verba etiam ſequentia apud noſtrum deſcripta fuere ex eodem num. 71.

(*) Athanaſius jam dictus in dolo Atenolfum comprehendere conabatur. Sed dum talia perficere mallet, minime potuit, & totam Capuam depraedavit. Praeſciens autem Deus dicti viri malitiam, permiſit eundem Athanaſium rabiem in tantam prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis terque praedari faceret (*Prat*).

(CIII) Miraculo obortam pluviam adſcribit, quae naturaliter contingere poterat. Seculi parum exculti pietati indulgendum.

(a) *Cecidit*.

(b) C. V. *Vallane illuſtri viro diſſolutum eſt cor eorum, qui in parte Landonis erant, & coeperunt illum relinquere, & Atenulfo aſſociari. Tunc licet ficte pacis oſcula ſibi mutuo fratres dederunt, quod quam in arca cordis minime retinebant*. Reliqua vide apud Erch. num. 68.

ceps degens, valide impugnabat Graecos. Cum vero intellexit Neapolitanos residere super Capuam, & radicitus eamdem vastare: statim recto itinere super eos audaciter adventare studuit. Sed quidam naturaliter zizaniorum sator Dauferius urbem Beneventi subdole egressus, ac si sequuturus Principem praedictum Ayonem, ex diverso Capuam citius properavit, & dicto exercitui Ayonis adventum indicavit. At Neapolites, Graecique, relictâ Capuâ, (a) Neapolim sunt reversi. Ayo autem iter, quod coeperat, peregit; illisque minime repertis, Liburiam cum magna audacia est ingressus, cum quo & Athenolphus abiit, & exustâ totâ pene Liburiâ, ac depraedatâ, populisque, & animalibus ablatis, puteisque lapidibus repletis, Amphitheatrum profectus est: Quo residens, per aliquot dies machinis, & diversis telis fortiter expugnavit. Tamdem abiens, super Castrum Sanctae Agathae insedit, atque Marinum Castaldeum, sibi rebellem in fide, ad se remeantem (b) abscessit. Tum aliquandiu Beneventi commorans, per Sipontum Barim reversus est. Et quia ut erat audax, minime in propria residebat, sed certaminis campum quaerebat. Athenolphus autem a Guaimario diffidens, eo quod Landenolfum, Pandonemque, ceterosque alios germanos, qui erant per ipsum Athenolphum a Capuana urbe expulsi, in urbe Salernitana recepisset, atque crebrissime terram illius depraedarent. Quapropter Ayoni Principi se subdens per sacramentum, ab eodem Principe in adjutorium sui CCXX. bellatores suscepit, cum quibus totam Liburiam graviter depraedavit. Guaiferius enim, qui jam (c) prolixa tempora Amphitheatrum degebat, per quem omnia mala in Capuana, Beneventanaque (d) pervenerunt, a suis comprehensus est, vinctumque Athenolfo adduxerunt, opesque ejus inter se altrinsecus dispertierunt, atque se omnes tunc Athenolfo subdiderunt; factumque

Kk est

(a) C.C.omn. *Capua, confusi Neapolim.*
(b) C. V. *Remeantem suscipiens abscessit.*
(c) *Per prolixa.*
(d) *Regione.*

est gaudium magnum, pax, & securitas; coeperuntque praeesse, qui subesse soliti erant.

C A P. CXLVII.

INterea videns se Athanasius in omnibus superatum, pudore abjecto, pacem expetiit, foedusque adeptus est, praevioque jurejurando pacti sunt ad invicem. Sed non diu perduravit sacramentum illaesum. Denique Agareni hac illacque discurrentes, invitantur ab omnibus, omnia devorant, universa consumunt, & contra Neapolim, & Salernum unanimiter consurgunt. Sed Salernitanorum Princeps Guaimarius viriliter illis restitit; nam misso suo ex improviso exercitu; in itinere, quod Nuceriam pergit, catervam reperiunt Agarenorum, cum quibus bellum inchoarunt; atque Deo praevio Agareni devicti sunt; nam plurimi extincti sunt, aliquanti comprehensi; reliqui quamvis confusi per devia silvasque ad sua propria adierunt. Salernitani vero cum magno (*a*) gaudio Salernum remearunt, supellectilem Agarenorum secum gestantes. Usque hodie locus ille *Pugna* dicitur.

Princeps audax, de quo praemisimus, Ayo a Benevento, ut diximus, per Sipontum Barim profectus est, super quam *Constantinum Augustorum Bajulum* (78) & *Patricium*, insidentem reperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem. Adversus quem dictus Princeps Ayo, ut erat magnanimus, audaciter insurgens, quamvis fultus auxilio Agarenorum, & vallatus agmine pedestrium Apuliensium, primo impetu victor existens, (*b*) plures interfecit. Dehinc a Constantino, qui cum tribus millibus equitum in tuto consistebat loco, valde contritus, vix cum

(78) Melior haec lectio, quam quae apud Erchempertum num. 76. ubi *Augustorum Aulicum*.

(a) al. *tripudio*.
(b) CC. omn. *De hostibus plures interfecit*.

cum aliquantis urbem ingredi valuit Barum, reliquis aut gladiis, aut traditis captivitati. Et post eum magnis vocibus pedestres clamitabant. *Mi Domine Ayo paululum erga nos revertere, quia pedestres desiriunt*. Et usque hactenus proloquio utuntur Salernitani, & Beneventani verbo illo. Ayo infra urbem Barum residens suffragium poposcit Athenolfi, quem provide protexerat, immo ab hostibus potenter eripuerat, & non invenit. Gallos quoque, & Agarenos promisso auro saepius mixtim invitans, obtinere nequivit. Nam a Guaimario Principe praesidium minime poscebat, eo quod Graeci Salernitanam urbem omnimodo die noctuque custodiebant, & nimium evigilabant propter Agarenorum metum.

Haec in Muratorio desiderantur.

„ Praedictus Princeps Ayo cernens se delusum doluit, „ quia Atenolfus, rupto foedere, cum Graecis pacem iniit; „ tandem necessitate coarctatus cum jam dicto Patritio pa„ cem faciens Urbem remisit, & ad propria remeavit.

Defuncto autem (a) Berto filio Guidonis senioris, filio suo Spoletum reliquit, quo etiam decedente, Guido Junior Spoletum & Camerinum suscipiens cum Agarenis in Sepino, ubi olim a Romoalt Principe Alczeco Dux Sclavorum constitutus est, fuit eastrametatus, pacem fecit obsidibus datis, & acceptis, cujus etiam non modica monasteria, urbesque, & oppida a Saracenis capta, & exusta sunt, Constantinopolim legationem dirigens contra jus faciens pecuniam accepit. Quamobrem a Carolo III. Augusto captus est; & nisi fugam arripuisset, capite plectebatur: unum quippe illius malefactum, aut non dissimile quod in Gariliano gestum est. Denique cum a Syponto idem Dux Atenulfus comitante Capuam pergeret ad Caudinas Furculas Arranum Ismaëlitam Tyrannum crudelissimum cum trecentis pene sequacibus suis peremit. Cognoscens autem Guido Carolum Augustum semineam (b) jace-

Kk 2

(a) i. *Lamberto*. (b) i. *Zizaniam*.

jacere cupiditate regnandi; devictus deceptusque a contribulibus suis relinquens Beneventanam Provinciam sibi subjectam, ad Spoletinum Ducatum abiit in Gallia (*) regnaturus.

C A P. CXLVIII.

AYo praedictus Princeps dum tenuisset Principatum Beneventanum annis VI. & Urso filio ejus una cum ipso anno uno, Sabbatitius (*a*) Stratigo per idem tempus cum valida manu Beneventum vênit, & undique tentoria non procul a dicta urbe figere jussit, quia minime Guidonis adventum metuebat. Cumque praefatam urbem undique coarctarent, & diversis machinis omni conamine expugnarent, Beneventani deintus omnimodo resistebant, & licet non in patulo, tamen furtim moenia urbis exiebant, undique Argivorum prostrabant catervas; sed dum a III. Id. Julii praedictam urbem diversis (*b*) telis expugnassent, & Beneventani fortiter restitissent, praesertim quod jam multos Graecos laniassent, callidus ille Stratigo cernens Langobardorum duram cervicem, mollia verba promere est exorsus, quatenus per pacem urbem ingredi mereretur; Beneventani namque, qui semper nimirum fuerunt sagacissimi, & robustissimi, dum viderent tempus non esse, quantenus Graecis resisterent, & copias non haberent, unde exercitus coadunarent, ut palam cum Graecis certamen inirent, inter se consilio habito, Graecorum phalangem pacifice Beneventum introduxerunt (*c*), quia jam eam undique obsederant, ut diximus, a III. Id. Julii usque ad XV. Kal. Novembris (*). Sed dum praedictam urbem Graeci dominarentur, & licet dona plurima Langobardi haberent, (*d*) illi tamen

(*) Idest Cisalpina.

(a) Aliis dicitur: *Simbaticius*. *Sabbatichi*. *Sabbaticius*.

(b) *Machinis* legit Bolvit. & Aegyptius.

(c) Videl. *se Graecis tradidere foedere firmato*.

(*) Ann. 891.

(d) al. *tribuerent*, aut *praeberent*.

tamen valde etenim durum gerebant de moribus Graecorum.

CAP. CXLIX.

FActum est autem, ut Princeps Salerni Guaimarius duos suos subditos propter scelus, quod commiserant, acriter caedere jusserat; at illi confusionem ferre non valentes, propriam liquerunt urbem; Beneventum properarunt, atque diu ibidem morarunt. Cumque duobus *(a)* annis Sabbatitius degeret Beneventum per subjectionem Augustorum, Beneventum deseruit, Regiamque adeptus est urbem; & quidam Georgius *(b)* Beneventum directus est. Sed dum & ille Langobardos donis augeret, atque nimirum omni modo altrinsecus honoraret, illi vero omnia pro nihilo ducebant.

CAP. CL.

JAm fati Salernitani, qui Benevento exiliati degebant, ad Georgium Patritium clanculo perrexerunt, & in hunc modum verba promserunt. *Quid dabitis nobis, si nos munitam Salernitanam urbem sub vestra ditione committimus?* Ad haec Patritius cum magno gaudio plurima, & praecipua dona promittebat. Illi vero subjunxerunt. *Statue diem, qua illuc cum magno exercitu pergamus, quia nos incunctanter promittimus illius civitatis fores esse patefacturos.* Ille Patritius, ut auribus *(c)* auxisset, valde gavisus est, atque ut id fieret omni modo gratulabatur, & sine mora per Calabriae, Apuliaeque fines *(d)* misit, & exercitus coadunavit, faciens famam,

(a) Vide Chronol. Principum Beneventi par. 2.
(b) *Sabbatieii successor*:
(c) *Haurisset*.
(d) *Graeci in Calabria Callipolim, Hydruntum, Uxentum, aliaque loca in Squillacensi sinu: sicuti & in Apulia Brundisium, Messapiam, Ostunum, aliasque Peucetiorum Urbes possidebant*.

mam, ut ſuper Agarenos, qui illo tempore in Gareliano degebant, ex improviſo irrueret. Intempeſta noctis quando feſſi gravi ſopore opprimuntur, dictus ille Patritius cum magno apparatu Salernum vênit, licet Beneventani cum eo miſti venerunt. Sed dum non procul (*a*) moenia properarunt, illi vero exiliati fores urbis properarunt, & arte, qua poterant, Portas patefecerunt, & ocius Patritio Georgio promulgarunt; ille namque valde ſeſe perturbavit, atque id ipſum unum ex ſuis ad explorandam urbem iterum miſit; ſed dum & ille eadem verba retuliſſet, ſagaciſſimus ille Praeſul Petrus, qui in Sanctam Beneventanam Sedem illo tempore praeerat, hujuſmodi verba exorſus eſt. *Pro qua re nos fatigaſti, & minime nobis, quae clam in pectore gerebas, enodaſti? Pro certo ſcitote, quia ſi hanc urbem furtim ingredimur, omnes ibidem pariter periemus; & dum tripudiare ſatagis, veremur ne veniat detrimentum*. Dum haec, & his ſimilia Praeſul praedictus verba repeteret, id ipſum & Beneventani exinde inter ſe ſuſurrarent, Patritius ille neſandiſſimus ictu percuſſus, ceterique Argivi in fugam converſi ſunt: (*b*) De civitate vero omnimodo nil, quae Graeci geſſerant, compererunt. Illi vero conductores malorum, qui fuerant orti ex Vico, cui Saranianus (*c*) nomen eſt, dum ſuperati eſſent, per eundem Vicum perrexerunt, uxores, liberoſque, ſupellectilemque ſecum geſtantes, Beneventi fines abierunt. Sed dum Graeci, Beneventanique cuneatim, ut diximus, graderentur Beneventum, quotquot ex Salernitanis in itinere reperiebant, nimirum comprehendebant, ſecumque pariter conducebant; quia metuebant, ne civibus occultam rem panderent, ne forte Salernitani illos ſubſequerentur. Igitur dum inter eos comprehendiſſet virum quendam, Adelpertum nomine;

(a) *A moenibus properarent*.

(b) Panici hi terrores frequentes, tum alibi, tum apud Anaſtaſ. Bibl. in Hadriano I. pag. 153. & apud Falc. Ben. pag. 148. & 371.

(c) *Vulgo* Sorignano *Feudum Marchionatus S. Severini ſupra Nucceriam, mill. circ. VI. a Salerno*.

ne; & Joannem, qui dicebatur Andreae Abbate; & dum simul graderent, Adelpertus ille fugam iniit; Sed antequam ille civitatem fuisset ingressus, Trasfelpoti filius Petrus Diaconus ante Nocturnum (a) Ecclesiam pergebat; sed dum valvas civitatis adiissent, patefactas conspexit, unde miratus est valde; quapropter veloci cursu domum Rodoaldi Sculdais perrexit, atque vocem magnam emisit. Inquit (b): *Tu ne es Rodoalt, qui fores patefacere intempesta noctis fieri jussisti?* At ille insolito clamore perturbatus est, annectens. *Claves penes me habeo: ocius illuc pergamus*. Sed dum fores patulas, & seras confractas cernerent, praedicto Principi indicare (c) studuerunt. At ille furibundus indignari coepit, sed nequibat certam rem exinde reperire. Cumque in tali re territi perdurarent, tandem illucescente Sole, Adelpertus urbem ingressus est; statimque Palatium adiit, & quae viderat, seriatim Principi aperuit, & adjecit: *Joannem Andreae Abbatis inter eos conspexi*. At Princeps ait. *Fraude legatus ille Graecos huc adduxit*. Inter dicta verba Joannes jam fatus urbem & ipse ingressus est, quia dum Graeci suos fines repetissent, quos comprehenderant, reliquerunt. Cumque acriter fuisset ipse Joannes injuriatus ab ipso Principe, ille, quamvis territus, ordinatim omnia Principi promulgavit; qua propter exinde satisfactionem recepit. Atenulfus saepe dictus ad instar arundinis se gerebat; nam pacem cum Athanasio, interdum cum Guaimario, plerumque cum Graecis iniebat, & (d) qui praevalebat, illi fidem servabat.

CAP. CLI.

Beneventani clam consilium inter se inierunt, quatenus se a nexione Argivorum eriperent, & qui prae-

esse

(a) Videl. *Ante mediam noctem, qua Nocturnum in Choro canebatur*.
(b) al. *Inquiens*.
(c) al. *Indagare*.
(d) al. *Cui*.

esse ceteris gentibus soliti erant, ad tempus quasi subesse se videbantur, fremebant, (a) eam Guaimario Principi Epistolam ibi in hunc modum miserunt. *Cum omni conamine, omnique nisu satagite, ut nos ab oppressione Argivorum eripiatis; quia dum nos sub illorum ditione degimus, vos, qui sanguineo* * .. *modo probaris, minime gloriosi persistitis. Tantum vos arctius exoramus, ut Guidoni* (b) *cognato vestro legationem dirigatis, ut citius cum magno exercitu, quasi sororem suam, vestramque conjugem visitaturus veniat; & quomodo vos scire faciemus, sic in antea peragite*. Statim ille Princeps strenuissimos aliquantos viros suos misit, ut quae supra retulimus (c) Marchioni Guidoni seriatim enodarent, & adjecit. *Quia si Divinitas abesset, me, meamque conjugem, vestramque sororem, meumque subjectum Populum a Graecis captos fuisse*. Dum hujuscemodi verba captasset, deposita omni saevitia, illico cum valido exercitu Salernum vênit, gaudium patriae, suaeque sorori dicto nomine dedit. Cum vero a foris moenia Guido jam dictus una cum Principe devenirent, altrinsecus inter se luxuriarent, Guido ille Marchio incredibilem causam peregit; nam sellam, super quam equitabat, staffamque (d) solitam ponebat, pedemque, super solitum firmabat, & huc, atque illuc discurrebat, equumque valide reventabat, & de suo pede minime diffidebat. Dictis finem demus, & quae mirabiliter gesserunt, omni modo indagemus (e).

C A P. CLII.

Dictus Guido una cum suis cuneatim Beneventum gradierunt. At Graeci, & Beneventani, licet ficte, omnimodo resistebant; moenia civitatis minime Beneventani

(a) Def. *Unde*.
(b) *Guido Dux Spoletanus innuitur*.
(c) *Guido etiam, Marchio Camerini fuerat*.
(d) al. *suam*.
(e) *Vana profecto, ac prorsus futilia Anonymi commenta*.

tani ascendere audebant, quia Graeci Turres, Moeniaque possidebant. Georgius ille undique se arctatum cernens, eminentiores (*a*) praedictae urbis ad se fecit adscire, & tunc promit talia dicta. (*b*) *Viriliter agite, atque hostes omnimodo expugnate, quia dum in gestis vestris agnovimus, patres vestri undique Imperatoris Constantinopolitani populo inferebant clades*. Ad haec Beneventani dedere responsum. *Urbem hanc illo tempore patres nostri possidebant, & Turres, & Moenia, aditumque civitatis ipsi observabant. Dum foras contra suos aemulos audaci animo properabant, adversos prosternebant, & ovanter propria revertebantur*. Idem Georgius: *Turrim unam, aditumque civitatis, qualem vobis comparet, eligite, vestrumque populum munite, & seras, & fores vos tenete, & aemulorum catervam, Deo praevio, vehementer atterite*. At illi una omnes dixerunt: *Collata nobis potestate, tunc videtis quomodo ab hostibus potenter denique, auctore Deo, (c) liberamus*. Hiis dictis, loricas unusquisque se induit, galeaque omnis se munivit, & contra aemulos, qui videbantur, alacri marte exierunt. At Guidonius (*d*) exercitus omni modo ad bellum sunt praeparati: sed dum utraque acies approximassent, Beneventani clam verba dixerunt; ut dum illi civitatem abirent, cum immani stridore, & ipsi civitatem introirent; quod & factum est. Nefandissimus ille Patritius cernens se delusum, veniam poposcebat, quam adeptus est; nam quinque millia aureos dedit, confusus, & illaesus abscessit. Praefuit & ille Beneventanis anno uno, & mensibus novem, & diebus viginti. (*e*)

Guido (*f*) vero Principatum Samnitum obtinuit, & un-

(a) *Nempe Primores, sive Patritios*.

(b) Historiam dicit Pauli Diaconi de Gestis Langobardorum.

(c) *Liberabimur*.

(d) *Guidonis, & Principis*.

(e) Ostiens. l. 1. c. 48. tribuit Georgio ann. 3. & mens. 9. vide Chronol. Principum Ben.

(f) Fallitur hic auctor nam iste Guido, qui Beneventum Graecis eripuit, filius fuit alterius Guidonis, de quo Erch. ista tradit num. 79. Fal-

undique ab hostibus liberavit; sed dum, & ille feliciter Beneventanis anno uno, & mensibus novem praefuisset, vênit nuncius, qui ei intimavit Augustum Carolum seminecem jacere: ille vero continuo Guaimario cognato suo legationem direxit, ut citius una cum sua conjuge, partimque ex suo populo veniret ad obtinendam Beneventanam dignitatem. Ille ovanter una cum jam dicta conjuge, relicto adolescentulo filio, & ipse Guaimarius nomine, qui jam Principatum gerebat Salernitanum, illuc pergere coepit. Dum properassent Castellum, cui (*) Montorium (a) nomen est, ibidem prandium habuerunt; sed cum alacriter comedissent, ingens pluvia erupit, ut extra limen egredi non auderent. Cumque paululum pluvia defuisset (b), sciscitaverunt incolae loci illius, si serenitas adesset: unus illorum ait: *Comparet serenitas adfutura*. Continuo exinde sunt moti. Avellinum oppidum gradierunt; sed antequam praedictum oppidum adirent, Joannem Clericum, qui prae ceteris audacior erat, ante se incedere jussit, & dum Adelferium, qui oppido illius (c) illo in tempore praeerat, obviam exinde Principi veniret., idem Johannes in eum audaci animo insurgeret, & protinus de hac luce extingueret; qui dum longe ante pergeret, Adelferius ille obviam Principi veniebat, illico praedictus Clericus Johannes super eum vênit, lanceaque nisus est, ut eum percuteret, in ipsum irruens, ut ab aspectibus illius eriperet; sed non pleniter res ignota cognovit; sed ex coepto itinere, quamvis territus, properavit. Dum autem ante obtutum Principis deveniret, mutuo osculum pacis sibi dederunt, quod in arca pectoris minime retinebant. At Princeps dulcia verba deprompsit. Ille vero Adelferius subjunxit: *Clericus ille, mi Princeps, aut fatuus est, aut Daemonio detinetur*; *quia cum*

Falsum quoque de legatione Guidonis &c. Vide Fragmen. Anon. Benevent. N 6.

(*) (Prat.) *Inter Salernum & Avellinum*.

(a) *De Montorio alibi*.

(b) *Defecisset*.

(c) *Illi*.

cum ingenti ira contra me venit, & nisi ab aspectu illius declinassem, forsitan de luce hac me extingueret. Cui Princeps subridens, atque ait: *Solitus est nempe crebrissime nobiscum, cum nostrisque Optimatibus ludere.* At Adelferius, ut erat sagax, de se rem gestam cognovit, recepit exinde satisfactionem; qua propter gradierunt simul, atque utrique Avellino oppido introierunt. His itaque gestis, Sol suas umbras attraxit, & optata nimium noctis pervênit, unde omnes coenam factam optata sumunt cum caritate. Dictus ille Adelferius hac, illac discurrebat, atque per se Principem ministrabat. Ille Princeps, licet finte (*a*), eum rogabat, ut Princeps (*b*) fieret convivii, atque secum ad mensam resideret. Cui Adelferius: *Nequaquam talia facio, (c) quia domui huic hodie salus facta est; (d) & nostra nunc anima magnificata est prae omnibus diebus meis, (eo quod talem Dominum una cum sua conjuge, ejusque fidelibus dignum fuit domum meam obtinere.)* Et haec dicens, vina optima, variaque potionum genera inferebat. At illi avide (*e*) propinabant. Coena sumta, Princeps idem, una cum sua conjuge thorum proprie requiescit; ceteri autem sui fideles per domos illius oppidi, quamvis non adunati, requiescere juberunt (*f*). Intempesta noctis cum ingenti audacia Adelferius praedictus una cum suis fidelibus super Principem Guaimarium irruit, eumque comprehendit (*g*), atque luce privavit. Dum vellet amputare testiculos, uxor illius memorata vota super eum ingenti fletu se collocavit, vocemque magnam emittebat, ut amplius malum non augmentarent. Unus ex Beneventanis, Joannes nomine, (*h*) per mamillam, Principissam illam attraxisse

 fer-

(a) *Ficte*. Bolv.
(b) Scil *Ut primo, nobiliorique loco assideret*.
(c) Lucae c. 19.
(d) Judith cap. 12.
(e) *Potabant*. Aegipt.
(f) *Jusserunt*. Id.
(g) Excaecatus est anno fere 896. Confer. Anon. Ben. N. 6.
(h) Sic locum hunc legit Freccia de subf. lib. 1. pag. 91. col. 1. At Scripti omnes alii Codd. *per tria millia* legunt.

fertur. Alia die mane facto Salernitani per domos ubi separati sunt, ibidem sunt detenti, nihilque scientes illud, quod Domino suo acciderat; cumque seriatim intimatum Guidoni fuisset, valide infremuit, sed nequibat Beneventum degere regnandi ductus cupiditate; & sine mora cum omnibus suis Avellinum properavit oppidum, & comminanter ab eis jam dictum Principem expetebant; at Adelferius quamvis foedatum Principem, & suam Conjugem, cunctumque populum abire permisit; at illi quamvis cum dedecore, Salernum reversi sunt.

CAP. CLIII.

PRaedictus Guido ocius Papiam perrexit, & Carolum defunctum reperit; cursim, quam ambierat, adeptus est Regalem dignitatem. Beneventum namque Imperatrix Racheltruda (a) nomine regendum suscepit, & praefuit Beneventanis anno uno, & octo mensibus. In eandem urbem ingressa est Prid. Kal. Aprilis, & cum consensu Beneventanorum Radelchis germanus suus in Principatum (b) restituitur; qui quippe fere duodecim annis ab eo fuerat expulsus, qui nihilominus simplex erat, & caritate praecipuus; in tantum, ut dicere suis Optimatibus solebat: *Quia si mons, (c) cui Virginis nomen est, argento purissimo fuisset, non sufficeret in tribus diebus; quia si quis ex vobis exinde tamen poposceret, statim partem tribuerem*; Et pro sua, ut diximus, simplicitate a Beneventanis terque, quaterque a praedicta urbe ferme fuerat expulsus, & iterum ad dignitatem pristinam illum videlicet revocabant.

CAP.

(a) *Radelchis Princ. Benev. soror.* Vide Fragm. Historiae Anonymi Beneven. N.6. fine.
(b) Ann. 898.
(c) *Mons Virginius, sive Virginianus appellatus parum ab Avellino distat, nec multum a Benevento, quocum Principatu includebatur. Nunc etiam* Monte Vergine *vulgo vocitatur, in quo celebre Sanctuarium Monachorum Guilielmitarum.*

CAP. CLIV.

PRinceps sæpedictus Guaimarius, quamvis foederatus una cum filio suo, qui & ipse *Guaimari* nomine Salernitano Principatui praeerat: attamen variis casibus ipse senior Salernitanos atterebat, licet filio minime complacebat. Salernitani (*a*) valde nimirum fremebant; unde inter se conveniebant, & saepissime consiliabant. Tamdem quae clam consiliarunt; in opere proruperunt, Legationem Magistro militiae saepe fato Athanasio, qui illo tempore Neapolitanis praeerat, miserunt, dicentes: *Nobiscum inite foedus, quatenus herum nostrum comprehendamus, aliumque Principem sublevemus. Herus* namque *Dominus*, aliquando *Sacerdos*, aliquando *vir fortis*, vel *potens*, vel *sapiens*; nam inter tres sensus dividitur, ita characteribus discrepans: Cum H aspiratione enim, sicut nunc annotavimus, Dominum dicimus; sine aspiratione Sacerdotem; cum diphthongo autem, virum fortem, aut sapientem dicimus. Credo equidem, quia peritis sufficiunt testimonia (CIV) ab imperito prolata. Iterum quae obmisimus, delicatius prosequamur.

Athanasius praedictus cum hujusmodi verba accepisset, valde gavisus est, atque ut id fieret, omnimodo gratulabatur; & Salernitanos exinde cohortandum misit, ut coeptum opus usque ad finem perficerent. Statimque Beneventum miserunt ad virum quemdam *Siconolfum* nomine, ut solicitus se gereret, quatenus si dignum fuerit, accipiat Principatus honorem. Fuerat namque idem Siconolfus filius cujusdam Sicardi, Sicardus dictus ex Beneven-

(CIV.) *Imperitum* se vocat Anonymus, & merito. Herus enim vel cum diphthongo, ut perperam is adserit, vel sine; aut cum aspiratione, aut illâ carens Dominum significat, unde etiam *Heres*, & apud Germanos *herr* Dominus appellatur. Scaliger C. 26. de caus. L. L. a Graeco *ἥρως* verbum istud deducit. Ab אחרין Hebraea voce alii i. libertas, quod plenius habes apud Vossium in Etymol. verbo *Heres*.

(a) *Vero*. Fr.

neventana civitate fuerat ortus, & unusquisque cum suis germanis exinde expulsus Salernum venerat, & aliquandiu ibidem morarunt. Deinde dictus Sicardus, una cum prole sua est motus, & Neapolim adiit. Iterum vero, per suggestionem Principis Radelchisi, ejusque concivium, Beneventum regressi sunt, nominati: alii consanguinei Salernum remearunt. Ipse Siconolfus Beneventum minime amabat: quapropter a Principe jam dicto Radelchisio Avellinum obtinendum suscepit: unde indesinenter, nocte dieque exinde satagebat, si forsitan arripere valeret principalem honorem. Unde legationem misit facto Athanasio, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum principalem honorem. Ille procax, immo denique Deo odibilis, qui fuerat bis terque cum Guaimario accomodatus, fidem datam oblitus, & abjecto pudore, Siconolfo misit intimandum, ut exinde indesinenter decertaret. Et adjecit: *Ego nunc mitto Salernum, & huc accersam Guaimarium juniorem Principem; & dum venerit, ex improviso eum comprehendo, ociusque vobis nuntiamus: Vos namque sine aliqua haesitatione arripitis principalem honorem.*

C A P. CLV.

Sed dum Siconolfo hujusmodi verba delata fuissent, valde gavisus est, & clam omnia Salernitanis, qui in illo consilio erant, studenter intimavit. Statim, ut diximus, ille nefandissimus Praesul Athanasius nuntiandum Salernum misit, ut citius Guaimarius incunctanter Neapolim perveniret, essetque cum eo consiliaturus. Illico Guaimarius junior veloci cursu aliquantos secum ex Salernitanis tollens, ad Athanasium, cum quo dudum foedus gesserat, pergere coepit. At Salernitani agmine uno coacti arma cum ingenti audacia sumunt, moeniaque ascenderunt, tubisque cecinerunt. Et illico Avellinum miserunt, ut sine mora Siconolfus praedictus veniret, & Principatum Salernitanum obtineret, *quia nos turres, moe-*

moenia, (CV) *& portam*, *quae dicitur* (a) *Rotensis*, *possidemus*. At ille expectans responsum ab Athanasio, minime est profectus. Unus ex Salernitanis, Ursus nomine, Johannis filius cognomento Mauchus, agiliter Principem Guaimarium est subsecutus, atque in extremis Nuceriae finibus eum reperit; & quae acciderant, studenter indicavit. Ille Princeps, quamvis territus, civitatem rediit, erat enim adhuc adolescens; sed dum portam praedictam veniret, una cum suis satagendo intrare, minime potuerunt; quia Salernitani cum grandi strepitu super illos irruerunt. Quapropter idem Princeps portam, quae est juxta mare, venerunt, ut una cum patre properarent in (b) exilio. Sed Johannes, quem supra memoravimus, hasta, quam manu gerebat, equi caput, super quo equitabat dictus Princeps, percutiens, in verba talia prorupit: *Revertere, revertere adolescens, atque pariter contra aemulos pergamus, eosque fortiter debellemus. Sin autem, illic nimirum pariter moriamur*. Statim cum ingenti audacia per plateas alias inibi (c) abierunt, bellumque inchoarunt; sed pars Principis terga dederunt. Cumque iterum utraque acies in unum adiissent, idipsum pars Principis fugere tentavit; sed ipse Princeps coepit plurima dona promittere, omnesque ad se vocare: quare multi coeperunt sodales suos linquere, proprioque Domino adhaerere. Idem ipse Princeps voces magnas emittebat, & adversarios proprio nomine acclamabat, asserens: *Inepta relinquite, & ad me properate, quia, teste Deo, omnia, quae adversus me gessistis, dimitto*. Et plurimi Principem sociabant, suosque relinquebant. Sed dum quidam (d) Rodolgrimus proprios deserens, Principi satageret

(CV.) *Porta Retensis* adhuc Salerni extat, vulgo *Porta Retese*; inter ortum, meridiemque sita. An *Rotensis* à *Rota*, quò respiciebat?

(a) Frecc. *Retensi*.
(b) *In auxilio*. Fr.
(c) *Adierunt*.
(d) Fr. *Radelgrimus*.

geret se sociare, ejus filius Grimoalt nomine post eum cum magna virtute lanceam misit, ut patrem extingueret, sed nequivit. Quapropter quantum valuerunt, diu cum eis pugnarunt. Tamdem spe salutis ab eis ablata, eo quod pars Principis praevalebat, & non tantum telis a terra, sed etiam per murum, undique se arctatos aspicerent: turrem illam linquere coeperunt. Alii autem Principi per vim se subdiderunt. Cumque Ursus filius Johannis, qui illo in tempore Palatii Scriba fuerat, prosperum sibi suisque sociis minime fore conspiceret, turrem illam descendit, portasque aperuit, & quid ageret, nesciebat: statim una vetula ei est allocuta: *Ut video, tua sapientia versa est in stultitiam: tui pereunt, & tu hic degis?* Illico quidam famulus Lodelgardi Diaconi advenit, qui ferebat equum cum sella. At Ursus exinde de equo famulum ejecit, & incunctanter illum ascendit, Neapolimque adiit. Ceteri alii, qui non evaserunt, valde sunt attriti, atque diversis suppliciis sunt macerati. Tamdem vincti Sirensum (*a*) sunt deducti, & in ardua custodia sunt retrusi.

C A P. CLVI.

JAm dictus autem Guaimarius una cum genitore praedictam urbem vehementer dominaverunt, necnon ab Agarenorum manibus eripuerunt. Erat siquidem illo tempore, ut diximus, (*b*) Clavus Rodoalt vir strenuissimus, & dictis Principibus per omnia fidelissimus. Factum est autem, ut immensa multitudo Agarenorum Salernum, licet per pacem, tamen in dolo tenderent, ut praedictam urbem invaderent. Cumque portam dictae civitatis introissent cum armis, Rodoalt ille sagacissimus, illorum cognoscens saevitiam, Principi studuit indicare. Illi vero non segniter exinde se gesserunt, & focos per plateas Salerni

(a) *Surentum*. Fr.

(b) *Sculdais*.

lerni accenderunt, totamque noctem insomnem duxerunt. Alia die arma Agarenis tulerunt, & minime Agareni urbem praedictam cum armis introibant.

CAP. CLVII.

Radelchis memoratus Princeps *Beneventi* acriter Beventanos cruciabat, licet non per se, sed per subjectionem cujusdam Virialdi, qui illos saepissime convexabat. Idem Princeps, ut erat simplex, eum pleniter auscultabat, in tantum ut illi, qui erant ex genere Rofrit, Potelfritque, per quos Beneventana urbs illo in tempore, & usque nunc ita manebat, comprehenderet, & ex sua urbe eijceret. Illi namque Capuam gradierunt, honorificeque ab Atenulfo, quem supra memoravimus, recepti sunt. Cumque ibidem diu morarent, & saepe dictus Atenulfus tegumentum, dapes, vestimentaque, quemadmodum illis decebat, tribueret, atque alii ex Beneventanis ibidem abirent, Beneventani Atenulfo hujusmodi verba prompserunt: *Consilium inter nos ineamus, quatenus* (A) *Beneventanam urbem capiamus, teque ibidem*

 Prin-

(A) *Quo definito tempore institutus fuerit Capuae Principatus, nullibi manifesta legitur adnotatum narratione: res tamen est satis explorata, Campanum Comitem Atenulfum adripuisse Principatum Beneventanum, ex quo exortus est Campanus, anno nongentesimo: quod nobilium Beneventanorum exulum factione contigisse, ex solo nostro Anonymo scimus. At novissimi hujus Principatus Dynastiam tunc pariter a priori fuisse discretam, suumque habuisse exordium, peculiaresque Capuam obtinuisse Principes, haud facile consenserim; constat enim Atenulfum, quod idem adfirmat Anonymus, suscepto Principatu, adhuc Capuae mansisse; certeque ille integrum, sicut acceperat, retinuit, filiisque transmisit, Landulfo, & Atenulfo. Sub quibus nec ulla videtur subsecuta discissio, quos Ostiensis lib. 1. cap. 52. tradit Capuae pariter inhabitasse, eodemque loco, & cap. 51. adpellat* Principes Capuanos, *ac utrobique indicat Dynastiam omnem concorditer, indivisequae administrasse, quod cap. 53. manifestiori firmat indicio, scribens illos* Praeceptum *fecisse Johanni Abb. Cass.* de Curte Petrae Mellariae: & *obtulisse* in S. Sophia Curtem de Pantano prope Beneventum.

Principem sublevemus. At ille, audito verbo, visus est ei quasi ludens loqui.

Inter dicta verba crebrissime idem Atenulfus legationem Salernum mittebat, nimirum & obsecrabat, ut filiam

tum. *Quae discriminata loca ad divisos postmodum Principatus divisim pertinentia, sed ab iis unica, indivisaque elargitione donata, indivisorum jurium testatissima sunt testimonia: Pesra enim Mellaria Oppidum est in Comitatu Teanensi, Campanae Dynastiae antiquiori etiam designatione subjectum; Ecclesiaque S. Sophiae posita est intra Beneventum. prope quam urbem describitur a Leone Curtis de Pantano. Non igitur sub his Principibus divisio contigit ulla; quibus adviventibus, duo filii ejusdem Landulfi una cum patre, & patruo Principatus insignia, & nomen suscepere; verumtamen haud illi alio usi, nisi communi, indivisoque jure, quod suadet Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, Chartulae quoque illis temporibus datae subindicant, junctim eorundem quatuor Principum nomina praeseferentes. Nec qui-junctim eorundem quatuor Principum nomina præseferentes. Nec quidem alia de causa ab Anonymo nostro in Historia non edita, & in postrema par. num. 7. Atenulfum crediderim adpellatum modo* Principem Beneventanum, *modo* Capuanum: *illum scilicet, quem idem tradit de Principatu fuisse ejectum, filiusque repusandus videtur primi senioris Atenulfi; nisi quod Beneventana Dynastia, eo imperante, adhuc indivisa permanserat, nec magis Campanus, quam Beneventanus fuerat ille nuncupandus Princeps. Quod si Campani Principatus nomen comperiatur apud auctores, Ostiensem, & hunc Anonymum de rebus tractantes per tempora actis præscriptorum seniorum fratrum, Principumque, Landulfi, & Atenulfi, id interpretandum haud est, quod Campanus Principatus ex iisdem temporibus exortus, ac seorsim institutus fuerit; sed alia excipiendum est, ni fallor, interpretatione; quod nempe Scriptores præsentem sibi rerum conditionem respicientes, quando jam Principatuum divisio contigerat, unum illud, adhucq; indivisum discretis nominibus, antiquo, & novo promiscue adpellarint. Qua pariter mente Luitprandus Diac. Ticinensis in Legatione scribens de primo Landulfo, sub quo, ut monui, nulla facta fuerat divisio, Principem illum dixit* Beneventanorum, & Capuanorum, *quem solum, praeterito ejus conlega, fratreq; Atenulfo, commemorat: quoniam, me arbitro, is vere Princeps, hoc est ex concordi fratris voluntate res universas moderabatur Principatus; idque consueto Langobardis more, si Erchemperti verba num. 62. ubi de Landone a fratribus facto Capuae Gastaldo, rite capio; certeque Luitprandus ibi non alium, nisi seniorem Landulfum designavit, de re tradens acta ante annum 944. quo, vel circa, Princeps ille vita est functus, ut ex*

Chro-

filiam Waimarii Principis fenioris Landulfo fuo filio copulaffet, effetque illi fubditus, ficut anteceffores, & praedecceffores illius fuerunt; fed omni modo efflagitationes ejus fpernebant, quia (a) Landulfus, & Pando, qui fuerant

rant

Chronologia erit manifeftum. Verumtamen non ego abnuerim nomen Campanorum Principum fenfim coepiffe audiri ex vulgi ufu, etfi nondum Campanus Principatus feorfim inftitutus fuiffet; fiquidem Capuae commorantes Principes novo nomini anfam dedere, quos verfa vice Beneventani cives, aliique ex prima, genuinaque dignitate Beneventanos indefinenter, ut arbitror, adpellavere. Principibus igitur Landulfo, & Atenulfo adviventibus, nudum Campani Principatus nomen emerfiffe opinor. Quibus fato functis, foloque Landulfo juniore, filio fenioris, quem dicere opus eft fecundum, integro Principatui praefidente ab praedicto circiter anno 944. nullam certe contigit fieri divifionem; cujus abfolutum, fingulareque manfiffe imperium, probat idem Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, & Chartulae proclamant omnes. Deque eodem Landulfo capiendus eft Anonymus nofter apud Baron. anno 957. num. 1. quo loco contra fidem Scriptorum Codd. non dicitur Landulfus, fed Pandulfus. Illum autem anno circiter 963. vita pariter obeuntem, duo fubfecuti funt filii Pandulfus, cognomine dictus apud Oftienfem lib. 2. cap. 1. Caputferreus, *& Landulfus alter, tertius mihi adpellandus: quos pater vivens Principes inftituerat, & quos, tum Chartulae, tum memoratum Chronicon una, indivifeque praefuiffe proclamant. Quocirca opinandum effet, nec divifionem adhuc contigiffe Principatus. Rem tamen aliter actam fubodoro: immo palam lego in Hiftoria non edita noftri Anonymi, nifi is me fallit, qui tradit hos Principes* Landulfi filios Beneventanum Principatum bifarie rexiffe; *Et in poftrema par. num. 3. habet Pandulfum, Caputferreum videlicet, ob mortem fratris Landulfi, qua contigit anno circiter 969. Beneventanum Principatum filio fuo Landulfo, qui quartus fuit, adjudicaffe, nullo, forfan, demortui tertii Landulfi filio fuperftite. Cujus Anonymi dicto confentis Diploma a Mario Vipera productum in Chronologia Epifc. & Archiep. Beneventi lib. 2. quo ifte Pandulfus adferitur Princeps* Beneventanae, & Capuanae urbium in anno DCCCCLXIX. *(fic ibi reftitui debet corruptus numerus DCCCLXIV. idemque peffime emendatus ad calcem operis) VII. Kal. Junii B fariam vero Beneventanum Principatum praefcriptos fratres obtinuiffe, innuit idem pariter Luitprandus, qui Campani, & Beneventani Principis*

cipis

(a) *Landonulphus.*

rant a Capuana urbe una cum suis germanis ab ipso Atenulfo expulsi, dicebant. (a) *Nolite, Domini nostri, pacem cum ipso habere, quia, si prosperum nobis Christum fore, (b) in proximo illum vinctum ducimus*. Idem Ate-

cipis disjunctim meminit, quorum propria tacet nomina, sed modo dictos demonstrat Caputferreum, & fratrem Landulfum; etenim de re agit annum contingente 968. Ergo qui Beneventanus Principatus sub Christianissimis fratribus Landulfo primo, & Atenulfo secundo adhuc divisus non fuerat, sub his Pandulfo, & Landulfo tertio est dispertitus, qui haud fuere Christianissimi, ut videre est in postrema parte hujus Anonymi, & in Nota ad eam ad finem. Iidemque titulo tenus, in Chartulis scilicet, communem, indivisamque retinuere avitam Dynastiam, ne, forte, communem nominis dignitatem, neve supputationem annorum Principatus ab patris avo receptam desererent, non absque legitimae paternae successionis praejudicio; ideoque pronunciarunt se non Capuae, nec Beneventi divisim Principes, sed conjunctim ambos Principes gentis Langobardorum; *quod ceteri quoque omnes; tam qui illos praeivere, quam qui subsecuti sunt in utroque Principatu Dynastae, commiserunt: Immo Salernitani pariter Principes in Chartulis idem usurparunt nomen, quamvis unusquisque communi sermone signanter adpellaretur Princeps possessi a se Principatus. Siqua aliter in Chartulis factum aliquando adparet, id potissimum contigit, quoties in iis Principis nomen demonstratum est, qui duos obtineret Principatus, alterum hereditarium, alterum vero recenter adquisitum, cujusmodi exempla habebis infra in eadem Adnotatione ad septimam postremam partem. Verumtamen cur tam Campani, quam Salernitani, Beneventanique Dynastae dici voluerint* Principes gentis Langobardorum, *etsi eorum nemo omnem obtineret gentem, vel loca omnia a gente possessa, & inhabitata, Problema est haud facilis resolutionis, silentibus libris, nullaque firma opitulante conjectura. Quandoque putavi id factum ventosa quadam aemulatione, ne alter dignitate minor altero videretur: Opinatus quoque sum Campanos, & Salernitanos Principes, qui ex Beneventano Principatu, hoc est ex Praefectura super omnem gentem olim constituta, suas instituerant Dynastias, commonstrare voluisse specioso illo titulo eadem integra jura ad se pervenisse, quae non alia, nisi ejusmodi tuebantur possessione: eademque Beneventanos e contra se indiminuta retinere contendisse. Tu autem crede quae libet. (Prat.)* At de his plenius in Dissertationibus nostris tractandum erit.

(a) Erchemp. num. 64. (b) Frecc. *Ducetur, tibi*.

Atenulfus id ipsum crebrissime Salernum mittebat, eademque verba repetebat anxiabiliter; sed hi spernebant ejus flagitationem, maxime resistente Yota uxore praefati Principis senioris. Agebat namque: *Ego sum ex Regali stemmate orta, & cum subdito nostro consanguinitatem annecto?* Atenulfus cernens se delusum, doluit; praesertim cum crebrissime a Salernitanis tellus illius depraedaretur; necessitate coactus praefati Athanasii *Episcopi, & Ducis Neapolis* filiam suo filio in matrimonium tradidit: Magistri Militum filia Gemma nuncupabatur: Atenulfi filius dicebatur Landulfus, & omni modo pacem inter se inierunt sub jurejurando.

CAP. CLVIII.

BEneventani namque intestinum gladium inter se illo tempore habebant, quia, ut diximus, Radelchis Princeps simplicitate devinctus erat; quapropter non pauci propriam linquebant urbem, & exiliantibus, qui Capuam degebant, se sociabant, unde in unum sunt congregati, atque inter se consilium inierunt, quatenus Beneventum invaderent, Atenulfumque Principem sublimarent; & inter dicta verba saepissime monendum suos affines mittebant, donaque plurima promittebant, tantum illorum animo consentirent. Quid multa dicam? Non pauci exinde consenserunt, atque dictis illorum jusjurandum adhaeserunt, unde omnia seriatim Atenulfo studenter intimaverunt. Ille vero gavisus est exinde valde; sed agebat: *Vereor ne praedictum opus minime perveniat ad finem*. His ita gestis, dicti exiliati undique se armis muniunt; audaci animo clam Beneventum adeunt, & Atenulfum cum exiguis Capuanis pariter secum ferunt. Intempesta noctis vi portarum seras confringunt, urbemque Beneventanam cum magna virtute ingressi sunt; ceterique alii sui consanguinei sibi sociantur. Palatium ascenderunt, & Radelchisum Principem comprehenderunt, & Ecclesiam, quam Perexcellentissimus Princeps Arichis in hono-

neventana civitate fuerat ortus, & unusquisque cum suis germanis exinde expulsus Salernum venerat, & aliquandiu ibidem morarunt. Deinde dictus Sicardus, una cum prole sua est motus, & Neapolim adiit. Iterum vero, per suggestionem Principis Radelchisi, ejusque concivium, Beneventum regressi sunt, nominati: alii consanguinei Salernum remearunt. Ipse Siconolfus Beneventum minime amabat: quapropter a Principe jam dicto Radelchisio Avellinum obtinendum suscepit: unde indesinenter, nocte dieque exinde satagebat, si forsitan arripere valeret principalem honorem. Unde legationem misit fato Athanasio, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum principalem honorem. Ille procax, immo denique Deo odibilis, qui fuerat bis terque cum Guaimario accomodatus, fidem datam oblitus, & abjecto pudore, Siconolfo misit intimandum, ut exinde indesinenter decertaret. Et adjecit: *Ego nunc mitto Salernum, & huc accersam Guaimarium juniorem Principem; & dum venerit, ex improviso eum comprehendo, ociusque vobis nuntiamus: Vos namque sine aliqua haesitatione arripitis principalem honorem.*

C A P. CLV.

SEd dum Siconolfo hujusmodi verba delata fuissent, valde gavisus est, & clam omnia Salernitanis, qui in illo consilio erant, studenter intimavit. Statim, ut diximus, ille nefandissimus Praesul Athanasius nuntiandum Salernum misit, ut citius Guaimarius incunctanter Neapolim perveniret, essetque cum eo consiliaturus. Illico Guaimarius junior veloci cursu aliquantos secum ex Salernitanis tollens, ad Athanasium, cum quo dudum foedus gesserat, pergere coepit. At Salernitani agmine uno coacti arma cum ingenti audacia sumunt, moeniaque ascenderunt, tubisque cecinerunt. Et illico Avellinum miserunt, ut sine mora Siconolfus praedictus veniret, & Principatum Salernitanum obtineret, *quia nos turres,*

moe-

moenia, (CV) *& portam, quae dicitur* (a) *Rotensis, possidemus*. At ille expectans responsum ab Athanasio, minime est profectus. Unus ex Salernitanis, Ursus nomine, Johannis filius cognomento Mauchus, agiliter Principem Guaimarium est subsecutus, atque in extremis Nuceriae finibus eum reperit; & quae acciderant, studenter indicavit. Ille Princeps, quamvis territus, civitatem rediit, erat enim adhuc adolescens; sed dum portam praedictam veniret, una cum suis satagendo intrare, minime potuerunt; quia Salernitani cum grandi strepitu super illos irruerunt. Quapropter idem Princeps portam, quae est juxta mare, venerunt, ut una cum patre properarent in (b) exilio. Sed Johannes, quem supra memoravimus, hasta, quam manu gerebat, equi caput, super quo equitabat dictus Princeps, percutiens, in verba talia prorupit: *Revertere, revertere adolescens, atque pariter contra aemulos pergamus, eosque fortiter debellemus. Sin autem, illic nimirum pariter moriamur*. Statim cum ingenti audacia per plateas alias inibi (c) abierunt, bellumque inchoarunt; sed pars Principis terga dederunt. Cumque iterum utraque acies in unum adiissent, idipsum pars Principis fugere tentavit; sed ipse Princeps coepit plurima dona promittere, omnesque ad se vocare: quare multi coeperunt sodales suos linquere, proprioque Domino adhaerere. Idem ipse Princeps voces magnas emittebat, & adversarios proprio nomine acclamabat, asserens: *Inepta relinquite, & ad me properate, quia, teste Deo, omnia, quae adversus me gessistis, dimitto*. Et plurimi Principem sociabant, suosque relinquebant. Sed dum quidam (d) Rodolgrimus proprios deserens, Principi satageret

(CV.) *Porta Retensis* adhuc Salerni extat, vulgo *Porta Retese*, inter ortum, meridiemque sita. An *Rotensis a Rota*, quo respiciebat?

(a) Frecc. *Retensi*.
(b) *In auxilio*. Fr.
(c) *Adierunt*.
(d) Fr. *Radelgrimus*.

geret se sociare, ejus filius Grimoalt nomine post eum cum magna virtute lanceam misit, ut patrem extingueret, sed nequivit. Quapropter quantum valuerunt, diu cum eis pugnarunt. Tamdem spe salutis ab eis ablata, eo quod pars Principis praevalebat, & non tantum telis a terra, sed etiam per murum, undique se arctatos aspicerent: turrem illam linquere coeperunt. Alii autem Principi per vim se subdiderunt. Cumque Ursus filius Johannis, qui illo in tempore Palatii Scriba fuerat, prosperum sibi suisque sociis minime fore conspiceret, turrem illam descendit, portasque aperuit, & quid ageret, nesciebat: statim una vetula ei est allocuta: *Ut video, tua sapientia versa est in stultitiam: tui pereunt, & tu hic degis?* Illico quidam famulus Lodelgardi Diaconi advênit, qui ferebat equum cum sella. At Ursus exinde de equo famulum ejecit, & incunctanter illum ascendit, Neapolimque adiit. Ceteri alii, qui non evaserunt, valde sunt attriti, atque diversis suppliciis sunt macerati. Tamdem vincti Sirensum (*a*) sunt deducti, & in ardua custodia sunt retrusi.

C A P. CLVI.

JAm dictus autem Guaimarius una cum genitore praedictam urbem vehementer dominaverunt, necnon ab Agarenorum manibus eripuerunt. Erat siquidem illo tempore, ut diximus, (*b*) sclavus Rodoalt vir strenuissimus, & dictis Principibus per omnia fidelissimus. Factum est autem, ut immensa multitudo Agarenorum Salernum, licet per pacem, tamen in dolo tenderent, ut praedictam urbem invaderent. Cumque portam dictae civitatis introissent cum armis, Rodoalt ille sagacissimus, illorum cognoscens saevitiam, Principi studuit indicare. Illi vero non segniter exinde se gesserunt, & focos per plateas Salerni

(a) *Surentum*. Fr.

(b) *Sculdais*.

lerni accenderunt, totamque noctem insomnem duxerunt. Alia die arma Agarenis tulerunt, & minime Agareni urbem praedictam cum armis introibant.

C. A P. CLVII.

RAdelchis memoratus Princeps *Beneventi* acriter Beventanos cruciabat, licet non per se, sed per subjectionem cujusdam Virialdi, qui illos saepissime convexabat. Idem Princeps, ut erat simplex, eum pleniter auscultabat, in tantum ut illi, qui erant ex genere Rofrit, Potelfritque, per quos Beneventana urbs illo in tempore, & usque nunc ita manebat, comprehenderet, & ex sua urbe eijceret. Illi namque Capuam gradierunt, honorificeque ab Atenulfo, quem supra memoravimus, recepti sunt. Cumque ibidem diu morarent, & saepe dictus Atenulfus tegumentum, dapes, vestimentaque, quemadmodum illis decebat, tribueret, atque alii ex Beneventanis ibidem abirent, Beneventani Atenulfo hujusmodi verba prompserunt: *Consilium inter nos ineamus, quatenus* (A) *Beneventanam urbem capiamus, teque ibidem Prin-*

(A) *Quo definito tempore institutus fuerit Capua Principatus, nullibi manifesta legitur adnotatum narratione: res tamen est satis explorata, Campanum Comitem Atenulfum adripuisse Principatum Beneventanum, ex quo exortus est Campanus, anno nongentesimo: quod nobilium Beneventanorum exulum factione contigisse, ex solo nostro Anonymo scimus. At novissimi hujus Principatus Dynastiam tunc pariter a priori fuisse discretam, suumque habuisse exordium, peculiaresque Capuam obtinuisse Principes, haud facile consenserim; constat enim Atenulfum, quod idem adfirmat Anonymus, suscepto Principatu, adhuc Capuae mansisse; certeque ille integrum, sicut acceperat, retinuit, filiisque transmisit, Landulfo, & Atenulfo. Sub quibus nec ulla videtur subsecuta discissio, quos Ostiensis lib. 1. cap. 52. tradit Capuae pariter inhabitasse, eodemque loco, & cap. 51. adpellat* Principes Capuanos, *ac utrobique indicat Dynastiam omnem concorditer, indivisque administrasse, quod cap. 53. manifestiori firmat indicio, scribens illos* Praeceptum *fecisse Johanni Abb. Cass.* de Curte Petrae Mellariae: *& obtulisse* in S. Sophia Curtem de Pantano prope Beneventum.

Principem sublevemus. At ille, audito verbo, visus est ei quasi ludens loqui.

Inter dicta verba crebrissime idem Atenulfus legationem Salernum mittebat, nimirum & obsecrabat, ut

filiam

tum. *Quae discriminata loca ad divisos postmodum Principatus divisim pertinentia, sed ab iis unica, indivisaque elargitione donata, indivisorum jurium testatissima sunt testimonia: Petra enim Mellaria Oppidum est in Comitatu Teanensi, Campanae Dynastiae antiquiori etiam designatione subjectum; Ecclesiaque S. Sophiae posita est intra Beneventum. prope quam urbem describitur a Leone Curtis de Pantano. Non igitur sub his Principibus divisio contigit ulla; quibus adviventibus, duo filii ejusdem Landulfi una cum patre, & patruo Principatus insignia, & nomen suscepere; verumtamen haud illi alio usi, nisi communi, indivisoque jure, quod suadet Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, Chartula quoque illis temporibus datae subindicant, junctim eorundem quatuor Principum nomina praeseferentes. Nec quijunctim eorundem quatuor Principum nomina praseferentes. Nec quidem alia de causa ab Anonymo nostro in Historia non edita, & in postrema par. num. 7. Atenulfum crediderim adpellatum modo* Principem Beneventanum, *modo* Capuanum: *illum scilicet, quem idem tradit de Principatu fuisse ejectum, filiusque reputandus videtur primi senioris Atenulfi; nisi quod Beneventana Dynastia, eo imperante, adhuc indivisa permanserat, nec magis Campanus, quam Beneventanus fuerat ille nuncupandus Princeps. Quod si Campani Principatus nomen comperiatur apud auctores, Ostiensem, & hunc Anonymum de rebus tractantes per tempora actis prascriptorum seniorum fratrum, Principumque, Landulfi, & Atenulfi, id interpretandum haud est, quod Campanus Principatus ex iisdem temporibus exortus, ac seorsim institutus fuerit; sed alia excipiendum est, ni fallor, interpretatione; quod nempe Scriptores prasentem sibi rerum conditionem respicientes, quando jam Principatuum divisio contigerat, unum illud, adhucq; indivisum discretis nominibus, antiquo, & novo promiscue adpellarint. Qua pariter mente Luitprandus Diac. Ticinensis in Legatione scribens de primo Landulfo, sub quo, ut monui, nulla facta fuerat divisio, Principem illum dixit* Beneventanorum, & Capuanorum, *quem solum, praeterito ejus conlega, fratreq; Atenulfo, commemorat: quoniam, me arbitro, is vere Princeps, hoc est ex concordi fratris voluntate res universas moderabatur Principatus; idque consueto Langobardis more, si Erchemperti verba num. 62. ubi de Landone a fratribus facto Capuae Gastaldo, rite capio; certeque Luitprandus ibi non alium, nisi seniorem Landulfum designavit, de re tradens acta ante annum* 944. *quo, vel circa, Princeps ille vita est functus, ut ex*

Chro-

filiam Waimarii Principis senioris Landulfo suo filio copulasset, essetque illi subditus, sicut antecessores, & praedecessores illius fuerunt; sed omni modo efflagitationes ejus spernebant, quia (*a*) Landulfus, & Pando, qui fuerant

Mm 2

Chronologia erit manifestum. Verumtamen non ego abnuerim nomen Campanorum Principum sensim coepisse audiri ex vulgi usu, etsi nondum Campanus Principatus seorsim institutus fuisset; siquidem Capuae commorantes Principes novo nomini ansam dedere, quos versa vice Beneventani cives, aliique ex prima, genuinaque dignitate Beneventanos indesinenter, ut arbitror, adpellavere. Principibus igitur Landulfo, & Atenulfo adviventibus, nudum Campani Principatus nomen emersisse opinor. Quibus fato functis, soloque Landulfo juniore, filio senioris, quem dicere opus est secundum, integro Principatui praesidente ab praedicto circiter anno 944. *nullam certe contigit fieri divisionem; cujus absolutum, singulareque mansisse imperium, probat idem Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, & Chartulae proclamant omnes. Deque eodem Landulfo capiendus est Anonymus noster apud Baron. anno* 957. *num.* 1. *quo loco contra fidem Scriptorum Codd. non dicitur Landulfus, sed Pandulfus. Illum autem anno circiter* 963. *vita pariter obeuntem, duo subsecuti sunt filii Pandulfus, cognomine dictus apud Ostiensem lib.* 2. *cap.* 1. Caputferreus, *& Landulfus alter, tertius mihi adpellandus: quos pater vivens Principes instituerat, & quos, tum Chartulae, tum memoratum Chronicon una, indivisequе praefuisse proclamant. Quocirca opinandum esset, nec divisionem adhuc contigisse Principatus. Rem tamen aliter actam subodoro: immo palam lego in Historia non edita nostri Anonymi, nisi it me fallit, qui tradit hos Principes* Landulfi filios Beneventanum Principatum bifarie rexisse; *Et in postrema par. num.* 3. *habet Pandulfum, Caputferreum videlicet, ob mortem fratris Landulfi, qua contigit anno circiter* 969. *Beneventanum Principatum filio suo Landulfo, qui quartus fuit, adjudicasse, nullo, forsan, demortui tertii Landulfi filio superstite. Cujus Anonymi dicto consentit Diploma a Mario Vipera productum in Chronologia Episc. & Archiep. Beneventi lib.* 2. *quo iste Pandulfus adseritur Princeps* Beneventanae, & Capuanae urbium in anno DCCCCLXIX. (*sic ibi restitui debet corruptus numerus DCCCLXIV. idemque pessime emendatus ad calcem operis*) *VII. Kal. Junii. Bifariam vero Beneventanum Principatum praescriptos fratres obtinuisse, innuit idem pariter Luitprandus, qui Campani, & Beneventani Principis*

(a) *Landonulphus*.

rant a Capuana urbe una cum suis germanis ab ipso Atenulfo expulsi, dicebant. (a) *Nolite, Domini nostri, pacem cum ipso habere, quia, si prosperum nobis Christum fore, (b) in proximo illum vinctum ducimus*. Idem Ate-

cipis disjunctim meminit, quorum propria tacet nomina, sed modo dictos demonstrat Caputferreum, & fratrem Landulfum; etenim de re agit annum contingente 968. Ergo qui Beneventanus Principatus sub Christianissimis fratribus Landulfo primo, & Atenulfo secundo adhuc divisus non fuerat, sub his Pandulfo, & Landulfo tertio est dispertitus, qui haud fuere Christianissimi, ut videre est in postrema parte hujus Anonymi, & in Nota ad eam ad finem. Iidemque titulo tenus, in Chartulis scilicet, communem, indivisamque retinuere avitam Dynastiam, ne, forte, communem nominis dignitatem, neve supputationem annorum Principatus ab patris aevo receptam desererent, non absque legitimae paternae successionis praejudicio; ideoque pronunciarunt se non Capuae, nec Beneventi divisim Principes, sed conjunctim ambos Principes gentis Langobardorum; *quod ceteri quoque omnes; tam qui illos praeivere, quam qui subsecuti sunt in utroque Principatu Dynastae, commiserunt: Immo Salernitani pariter Principes in Chartulis idem usurparunt nomen, quamvis unusquisque communi sermone signanter adpellaretur Princeps possessi a se Principatus. Sique aliter in Chartulis factum aliquando adparet, id potissimum contigit, quoties in iis Principis nomen demonstratum est, qui duos obtineret Principatus, alterum hereditarium, alterum vero recenter adquisitum, cujusmodi exempla habebis infra in eadem Adnotatione ad septimam postremam partem. Verumtamen cur tam Campani, quam Salernitani, Beneventanique Dynastae dici voluerint* Principes gentis Langobardorum, *etsi eorum nemo omnem obtineret gentem, vel loca omnia a gente possessa, & inhabitata, Problema est haud facilis resolutionis, silentibus libris, nullaque firma opitulante conjectura. Quandoque putavi id factum ventosa quadam aemulatione, ne alter dignitate minor altero videretur: Opinatus quoque sum Campanos, & Salernitanos Principes, qui ex Beneventano Principatu, hoc est ex Praefectura super omnem gentem olim constituta, suas instituerant Dynastias, commonstrare voluisse specioso illo titulo eadem integra jura ad se pervenisse, quae non alia, nisi ejusmodi tuebantur possessione: eademque Beneventanos e contra se indiminuta retinere contendisse: Tu autem crede quae libet.* (*Prat.*) At de his plenius in Dissertationibus nostris tractandum erit.

(a) Erchemp. num. 64. (b) Frecc. *Detur, tibi*.

Atenulfus id ipsum crebrissime Salernum mittebat, eademque verba repetebat anxiabiliter; sed hi spernebant ejus flagitationem, maxime resistente Yota uxore praefati Principis senioris. Agebat namque: *Ego sum ex Regali stemmate orta, & cum subdito nostro consanguinitatem annecto?* Atenulfus cernens se delusum, doluit; praesertim cum crebrissime a Salernitanis tellus illius depraedaretur; necessitate coactus praefati Athanasii *Episcopi*, & *Ducis Neapolis* filiam suo filio in matrimonium tradidit: Magistri Militum filia Gemma nuncupabatur: Atenulfi filius dicebatur Landulfus, & omni modo pacem inter se inierunt sub jurejurando.

CAP. CLVIII.

BEneventani namque intestinum gladium inter se illo tempore habebant, quia, ut diximus, Radelchis Princeps simplicitate devinctus erat; quapropter non pauci propriam linquebant urbem, & exiliantibus, qui Capuam degebant, se sociabant, unde in unum sunt congregati, atque inter se consilium inierunt, quatenus Beneventum invaderent, Atenulfumque Principem sublimarent; & inter dicta verba saepissime monendum suos affines mittebant, donaque plurima promittebant, tantum illorum animo consentirent. Quid multa dicam? Non pauci exinde consenserunt, atque dictis illorum jusjurandum adhaeserunt, unde omnia seriatim Atenulfo studenter intimaverunt. Ille vero gavisus est exinde valde; sed agebat: *Vereor ne praedictum opus minime perveniat ad finem*. His ita gestis, dicti exiliati undique se armis muniunt; audaci animo clam Beneventum adeunt, & Atenulfum cum exiguis Capuanis pariter secum ferunt. Intempesta noctis vi portarum seras confringunt, urbemque Beneventanam cum magna virtute ingressi sunt; ceterique alii sui consanguinei sibi sociantur. Palatium ascenderunt, & Radelchisum Principem comprehenderunt, & Ecclesiam, quam Perexcellentissimus Princeps Arichis in hono-

honorem Dei Filii conſtruxit, eamque *Agiam Sophiam* vocavit, hoc eſt Sanctam Sapientiam, quia Dei filius eſt Sapientia Patris, deducunt, quia podagrico dolore erat vehementer conſtrictus: & undique, qui exiliati erant, urbem adeunt, omneſque in unum conveniunt, & omnis populus, nec non & Proceres una omnes Atenulfum Principem ſublimarunt. (a) Proceres idem Principes, vel majores: ſemper nimirum plurale eſt, antepenultima producta, generis communis. (b) Dicti a capitibus trabium, quae extra aedificium procedunt; quia & Principes excedunt dignitatem plurimorum. Atenulfus, ut diximus, Principatum Beneventanum ſuſcipiens, dona plurima condonabat omnibus hominibus, ſe humilem oſtendebat. Factum eſt autem, ut quidam vir ſuae genitrici (c) Poteſſrit filiae nomine intimaret, ac promeret. *Tuus natus Atenulfus Principatum Beneventanum arripuit, ibique illum Beneventani ſublimarunt Principem.* Audito verbo hoc, valde ſeſe exterruit, atque ſine ſermone mutula ſtetit, & quaſi in extaſi verba effudit. *Ubi ſunt illi ſublimiſſimi Beneventani?* coepitque nominare Beneventanorum Genealogiam. Illa vero, quae debuerat de filio alacriter permanere, moeſta eſt, & de ſuo ſtegmate condolebat, quia ad hoc venerant, ut ab extero dominarentur.

Guaimarius namque Princeps Salerni valde erga ſuos fremebat, quamvis lumen celi minime cernebat, licet ſuo filio minime complacebat; in tantum, ut vir quidam nomine Malchenolfus poſt ſingulare certamen, quod geſſerat, & victor extiterat, pro infidelitate dictorum Principum publice capite caedi juſſerat, quod & factum eſt. Unde omnes Salernitani valde exinde ſunt exterriti, nam dira rabie efferati erant, & verba filii, conjugiſque minime recipiebat. Factum eſt autem una die, ut juxta morem veniret quidam Clericus Odelpoti filius, Palatiique

(a) Ann. 900.

(b) *En iterum inutilia, ac ridicula effundit, Anon. Hiſtoriam ſuam interrumpens.*

(c) al. *Mre* interpretarique poſſet *Mariae*.

que Scriba, disciplinisque liberalibus instructus, Palatium; sed ut sensit vestimentorum suorum fragrantiam (a), ad se ocius illum vocavit; & cum ante obtutum ejus venisset, illico in eum manum injiciens, eumque comprehendit, famulisque suis praecipiens, ut illius testiculi amputarentur; qui sine mora jussa fecerunt, unde omnes Salernitani immanem temeritatem cernentes, in unum congregati, juniori Principi in hunc modum sunt allocuti. *Incunctanter nobis credite, quia omni modo sub ditione genitoris vestri minime amplius jam perduramus: si committit vobis funditus Principatum, nos sub vestra ditione degimus; sin autem, scire vos convenit, quia minime jam saevitiam illius toleramus.* Princeps Waimarius non segniter gessit, sed conglobatus agmine Bardorum eum comprehendit, blandisque ei est sermonibus allocutus, adjiciens. *Mi pater, Salernitani erga me moliti sunt insurgere, eo quod minime saevitiam tuam tolerare valent.* Et haec dicens, Ecclesiam, quam in honorem Beati Maximi, quam Princeps ille Waiferius a novo fundamine construxerat, deducunt, ibique illum habitare fecerunt (b), & ipse Waimarius Principatum firmissime Salernitanum obtinuit, & omnis populus sub ditione illius gaudebat, & exultabat.

CAP. CLIX.

ATenulfus, de quo praemisimus, Princeps, dum aliquo tempore Beneventum degeret, Capuam rediit: Beneventum Petro Episcopo, quem sup a memoravimus, commendavit. Sed ut illam Praesul ille terram gerendam accepisset, Beneventani, licet non omnes, jusjurandum

(a) *Vide quam male se gesserit Anon. Sacra prophanis immiscens: eaque memorat verba, quibus Isaacus Patriarcha in benedictione filii sui Jacob in libro Genes. usus erat!*

(b) Depositio Guaimarii non contigit ante annum 899. quo in Chartulis reperitur adhuc dictus Princeps una cum filio.

dum illius juraverunt, quatenus illorum praeesset; & quamvis non haberet ex genere suo laicam personam (a). Saltem conjunctio & (b) significat, vel, licet. Saltim adverbium est a saliendo dictum; sicut a stringo, strictim; a partior, partim; a curro, cursim; a furor, furtim. Est etiam, saltim, adverbium praesentis temporis, sicut nunc, modo. Cumque praefato Principi cognitum fuisset, valde sese perturbavit, extemploque clam legationem Beneventum misit, ut fidem promissam omnimodo servarent. At illi, qui erant, sicut superius nominavimus, ex genere Potelfrit, una cum consanguineo suo Principi Atenulfo intimandum miserunt, ut citius incunctanter Beneventum veniret; qui sine mora, audaci animo, fretus illorum praesidiis, Beneventum adiit, & ocius Praesul jam dictus exinde expulit, & aliquantos ex Beneventanis apprehendit, & in carcerem retrudi jussit. Ille vero Praesul quamvis cum rubore, Salernum properavit, & aliquandiu ibidem moravit. Waimarius Princeps illum honorifice excepit, victum, dapesque, & alia necessaria tribuit.

Illo namque tempore Aquinense Castrum (B) suo Prin-

(B) *Quae hac sexta parte tradit noster Anonymus, habet pariter illa, sed in minori verborum circuitu, pinguiora, Leo Ostiensis lib. 5. cap. 1. & 2. qui nil tradit de expugnatione urbis Aquini à Salernitano Principe Gisulfo peracta: immo nec indicium ullum prodit, adstitisse tunc illum Principi Landulfo. Verum ex hoc haud ego Anonymum arguam mendacii, quem novi cordi habuisse sua in Historia causam non aliam, nisi suae patriae peragere, res scilicet ejus extollendo; de quibus nil curae fuit Ostiensi, & ipsi ad res sui Monasterii tantundem propenso; quocirca nec pariter demirabor, Leonem Atenulfi Aquinensis Gastaldi patriam non prodidisse, Anonymo quidem descriptam. Sed in-*

(a) Confer Fragmentum Anonymi Benevent. numero 5. scitesque vel alterutrum Anonymum hallucinatum, vel Petrum Episcop. duobus a Principibus bis Benevento pari causa expulsum, Salernumque bis commigrasse. *Hoc posterius magis verosimile videtur, ut ex Historicorum collatione erui posse intelligitur.*

(b) *Rursus nugatur Anonymus.*

Principi Landulfo se rebellavit, & nequibat suis viribus per vim illud nimirum subdere. Quidam Capuanus Adenolfus nomine illis praeerat, atque cum ipsis suo Principi se rebellaverant. Sed dum certo certius Landulfus

Prin-

interim dum alter alteri vices rependunt, quid ni & ego utriusque exemplo rem non agam meam, immo literatorum virorum omnium, si modo, ut aequum est, illi suum esse putaverint, quod fulgentissimi Doctrinarum sideris D. Thomae Aquinatis illustretur vetustum genus, & origo? At dices, quid commodus est praesens locus talia disserendi, Atenulfus cum iste Aquini Gastaldus Anonymo, & Ostiensi memoratus, & cognomine dictus Megalus, haud fuit Aquinensis nobilissimi generis caput: sed Atenulfus alter adpellatus Summucula, de quo Ostiensis lib. 2. cap. 16? Est tamen perquam acceptissimus, namque utriusque unitas nominis, unitas Dynastiae, & unitas patriae persuadet, ut eodem hoc loco non reticeam, vel urbis Capuae, vel praestantissimae gentis maximum quidem decus. Atenulfus etenim Summucula Campanus extitit Patritius, ejusque gens tota ad clarissimi Aquinatis Doctoris tempora, & inferiora quoque, tum Capuae mansit, tum Campana fuit existimata; quod sic stare pluribus firmabo.

Et primo. Quid ni Summuculam illum non reputabo Campanum, immo Campanorum Principum Langobardorum, vel consanguineum, vel adfinem, qui & ipse Langobardus, ut ejus nomen declarat, urbis fuit Gastaldus subjectae eidem Principatui? Certe quousque Langobardi patrios ritus servarunt, ista sic contingere consuevere; ni velimus, exterum fuisse Summuculam, ac confugisse ad Campanum Principem, a quo pariter de more Gastaldatum obtinuerit, ut dicebant, ad convivendum. *Quod omni deficiente indicio, temere adfirmaretur. Verum haec dissertationem quia expetunt prolixiorem, sat modo sit leviter rem praemonstrasse.* (*)

Secundo. Atenulfus idem ille Summucula, qui gentis origo, ut Ostiensis tradit producto lib. 2. c. 16. mox ut Abbatem *Cassinensem, nomine Mansonem, & Consobrinum Pandulfi Principis Capuae, Campanorum factione* caecatum agnovit, hilaris effectus, Roccam vocabulo Siccam, quam idem Abbas paulo ante construxerat, funditus evertit. *Atqui idem Auctor cum dicat, Abbatem illum* ob supradictae Arcis constructionem maximum sibi invidiae, atque odii fomitem in universo Principatu accendisse, quod quasi non solum Abbatiam, sed etiam Principatum sibi vindicare satageret, & ob ea valde Capuanis fuisse infestum, *aperte indicare videtur Atenulfum extitisse Campanum Procerem, eundemque non alia, quam hac, & priori loco praenotata causa, de Principatu solicitum permansisse, deque ejus excaecatione*

hila-

(*) *Hanc Dissert. inferius dabimus.* (Prat.)

Princeps talia comperisset, statim Salernum misit; quatenus Gisulfus Princeps cum suo exercitu validissimo veniret, atque eum omni modo adjuvaret, ut praedictum Castrum suo juri attribueret. Dum autem clementissimo Prin-

bilarem devenisse, quae accidisse oportuit anno 995. exeunte.

Tertio. Ex Aquinensibus Gastaldis, sive Comitibus non solus Atenulfus generis auctor Campanus fuit, sed ejus quoque sive filius, sive nepos, Atenulfus alter, qui anno 1052. sicut legere est in quodam Diplomate apud Baronium, Dux erat Cajetae; proindeque gens Aquina omnis firma sede fuit Campana. En tibi Alfani Salernitani Archiepiscopi Epigramma mihi inspectum in scripto Membranaceo Codice Carminum ejusdem auctoris in Bibl. Cass. sign. N. 280. *quod est tale.*

„ Dormit, Aquine, tuus Comes hic, Cajeta tuus Dux,
„ Magnus Atenulfus, Capua quem genuit.
„ Magnanimus, sapiens, fortis, pius, impiger, acer;
„ Urnam nam mediam Sole tenente ruit.
„ Ad patriam coeli lux est ubi vera diei
„ Dextra beata Dei tendere donet ei.

Quarto. Comites Aquini, qui post Summuculam Atenulfum eidem urbi praefuere, agnatos fuisse Langobardorum Principum Capuae quod initio adstruebam, satis liquet ex Tabulis Archivi Monasterii Cassinensis, quibus in refecto Registro Petri Diaconi pag. 159. *a ter. habetur.* Principes, Pandulfum patrem anno sui Principatus 17. & Pandulfum filium anno sui Principatus 13. Prid. Idus Aprilis Indict. 15. Capuae jurejurando firmasse Abbatiam Cassinensem Abbati Theobaldo ad preces, & interventu Adenulfi Comitis filii quondam Adenulfi Comitis; Johannis Comitis, filii quondam Landulfi Comitis; Petri Comitis filii quondam Landonis Comitis; Adenulfi Comitis filii quondam Landonis Comitis, qui clamabatur Caputo: dilectis nostris parentibus (*barbariem nil moveo*) & qui sunt Aquinensis Comitibus. *Quae producta annorum Principatuum, & Mensis, & Indictionis consignatio annum monstrat* 1032. *Et haec de generis origine.*

Quinto. Annorum decursu, desitisque Langobardis, & Nortmannis Capuae imperare, priscam Aquinensem gentem eadem in urbe permansisse, testis est gravis, & ab annis biscentum antiquus scriptor Johannes Antonius Campanus Episcopus Aprutinus in Oratione de S.Thoma Aquinate a se habita, qua de patre agens Angelici Doctoris, haec habet verba: Landulfus, exorto in Campania bello, aliquandiu adversus Federicum II. quam sceleratissimae impietatis virum, dimicavit, Ecclesiae partes secutus. Quo bello & Capua, ubi fundos habebat gentilitios, direpta est; & Aquinum a Conrado Federici ipsius filio

Principi Gisulfo intimatum fuisset, ille, ut erat audax, illico suum exercitum congregari jussit, & protinus cum suis iter arripuit, Capuamque properavit; deinde Aquinensium fines advenit, ipsumque Castrum illico expugna-

filio expugnatum, atque incensum. *Hactenus Campanus, qui e regione Campaniae, nam is natus est in Comitatu Teani, hoc nomine est dictus; idemque cum direptionem Capuae a Federico patratam adserit, nulli alii memoratam auctori, ne mireris; namque vel ille memoria lapsus, cladem ceteroqui a filio Conrado Capuae inlatam animo designabat, a quo Aquinum, & Neapolis una direptae fuere: vel Capua certe ab Federico extremis ejus vitae diebus aliquid damni est passa, Petro a Vineis Campano, eximiae eloquentiae, & dexteritatis viro, Imperatorisque intimo familiari, & a secretis tunc proditionis insimulato, excaecationeque oculorum mulctato; quod novo antiquo exemplo accidit, vineam scilicet a cultore exoculatam suo. Qui igitur Landulfus D. Thomae pater (utcumque res fuerit de urbis direptione) fundos Capuae habuit gentilitios, & ille tum genere, tum incolatu haud dubie Campanus est reputandus.*

Sexto. Guglielmus de Tocho, qui vitam ejusdem S.Doctoris conscripsit, eundemque visu novit, tradit cap. 4. illius sorores quatuor modos adhibuisse, ut ipsum inducerent ad deferendum habitum Ordinis Praedicatorum: quae e contra conversae sunt ab eo; nam sororum majorem taliter convertit monitionibus, & exemplis, quod ipsa mundum reliquit, & intravit Monasterium Monialium S. Mariae de Capua Ordinis S. Benedicti, ubi propter suam Sanctitatem statim fuit facta Abbatissa. *Ista Guglielmus, cui concordat idem Campanus ibidem his verbis de D. Thoma agens sorores adloquente.* Haec Dei juvenis (*ait ille*) cum & diceret ex animo, & os, vultumque monentis accommodaret, factum est, ut altera soror natu major, reputans vera, quae monuisset, dimissis opibus paternis, relicta carissima matre, cum abjecto fastu nobilitatis, Virgini Matri Dei sese initiarit, ingressaque Vestalium claustra, vitam Capuae sanctam, illaesamque transegerit. *Ista Campanus. Capuae igitur S. Thomae soror, hoc est patria in urbe, Deo virginitatem devovit; nescioque an alia excogitari possit ratio, cur post fundos gentilitios a patre deperditos, adhuc illa Capuae mansit, ni sua, totiusque gentis fuit patria. Ceterum quam ex Guglielmo legisti factam Abbatissam in Campano Monasterio S. Mariae Monialium, eandem credes adpellatam nomine* Maroctam, *ac praesedisse haud multis annis: Marocta enim de Aquino inter alias continenti serie Abbatissas ejus Monasterii adnotatur nostro Michaeli Monacho in Recognitione sui Sanctuarii ad annum* 1255. *qui Abbatissam Altrudam De Petru-*

re coepit. Landulfus, de quo supra diximus, Princeps una cum suis omnimodo satagebat, quatenus ipsum Castrum per vim juri suo subderet; sed a Deo non ei fuit concessum, quia diversis machinis illud jam expugnaverat, sed

truro figit ad annum 1253. *& Abbatissam Mathiam ..... ad annum* 1257. *omnes eidem haud dubie cognitas ex ejusdem Monasterii Chartulis, quas summa diligentia, ac fide, qua solet, inspexit, & enarravit.*

Septimo. Nil minus demonstrant Campanam inhabitationem non dimissam ab Aquinensi gente innumerae Tabulae, quae in Archivo habentur Sacri Campani Thesauri, inque aliis ejusdem urbis, quarum barbariem, & prolixitatem pertaesus, en tibi illarum vice paucula ista, sed clarissima, firmissimaque documenta, quibus liquido agnosces, Aquinenses Acerranos Comites, hoc est totius generis Proceres clarissimos, Capuae sepulchra sibi condidisse, ac ibidem Anniversaria Sacra solennia iis acta, quae nisi patria in urbe fieri non debuisse, omnis consentiet prudens Lector.

Capuae in antiqua Ecclesia S. Mariae Monialium, quae intra septa modo est Monasterii, adest marmoreum sepulchrum hoc descriptum Epigrammate.

Nobilis haec mulier Acerrarum Comitis nata
Fieri fecit hopus hoc Gobitosa vocata
Thomas secundi dicendo De Aquino facundi.
Anno Domini MCCLXXXXI.
Hoc hopus fecit fieri Domina Gobitosa filia quondam
Thomasii De Aquino Secundi Comitis Acerrarum.

In antiquo Emortuali Membranaceo ejusdem Monasterii habentur adnotata diebus infra descriptis nomina ista.

XII. Kal. Febr. Margarita Comitissa Acerrarum. Anno Dom. MCCCL.

Idib. Febr. Rainaldus de Aquino.

III. Kal. Mart. Domn. Thomasius Gomes De la Cherra.

Kal. Mart. Domina Gubitosa De Laurito Comitissa Acherrae.

Kal. Maii. Dopna Gobitosa De Aquino filia Comiti Acerrarum.

VII. Kal. Julii. Domina Juditta Comitissa Cerrae.

Idib. Jul. Gobitosa De Aquino Monacha filia Comiti Acerrani.

XIII. Kal. Aug. Domina Ysabella filia Comitis Acerrarum.

II. Non. Aug. Domina Johanna filia Comitis Acerrani.

VI. Non. Octobr. Thomasia De Aquino M. (*)

VIIII. Kal. Januar. Domini Landulphi de Aquino.

(*) i. *Monialis.* *In*

sed sine effectu permanserat. Sed dum uterque Populus omni nisu exinde decertaret, & illud Castrum illaesum perduraret, unus ex Salernitanis (*a*) Sikelmannus nomine, qui erat ex (*b*) Acrimo oppido ortus, strenuusque vir

In Emortuali antiqui, & nobilis Campani Monasterii Monialium S. Johannis Baptistae.

II. Idus. Febr. Rainaldus De Aquino.

XII. Kal. Septemb. Domina Johanna De Aquino Abbatissa hujus Congregationis. *Hujus obitus contigit anno* 1348.

Capuae in Ecclesia Cathedrali, ut seniorum relatione didici, Aquinenses Aram habuere, quae nunc est Vitellorum, juxtaque Aram Marchesiorum; Sed oculata fide novi in Tabulis Monasterii Fratrum Conventualium S. Petri Apostoli nuncupati annis abhinc 300. *eandem gentem alteram Aram obtinuisse in ejus Ecclesia, Ammirato quoque memoratam.*

Octavo. *Nil labantem veritatem communit idem gravis, & diligens auctor Scipio Ammiratus, qui, etsi volens nolens, eandem adstruit adsertionem, cum de Aquinensi gente Italice differens, sic habet.* De' Conti di Loreto speditomi, dirò alcune cose di certi Aquini di Capua, i quali par che vengano da' Conti dell'Acerra, & che perciò siano in stretto parentado congiunti co' Conti di Loreto. *Quibus utique verbis & Aquinensium dignitati, & Campanae urbis decori aeque injurius, Primores Aquinates non reputavit Campanos, sed minores quosdam; Verum de Comitibus Acerranis jam, Lector, vidisti, de Comitibus Lauretanis scies modo.*

Nono. *Capuae in publico urbis Archivo Diploma autographum, membranaceum, Regio sigillo, & subscriptione communitum habetur, datum a Rege Alfonso I. sub die* 4. *Aprilis anni* 1436. *in quo inter cetera dona, quae ab Rege Campana urbs expetierat, obtinueratque, petitio est talis:* Item pro eo quod Excellentes, & Potentes Domini Dux Suessae, Comes Laureti, & Dominus Franciscus Pandonus, tanquam ANTIQUI MAJORES CIVES, & benefactores dictae Civitatis magnifica plurima gesserunt pro statu dictae Civitatis, ac Majestatis praedictae, dignetur dicta Vestra Regia Majestas gratiose concedere, & assentire, quod praenominati, quantum ad eorum personas tantum, & legitime descendentes ex eis, non obstante, quod non habitent in dicta Civitate Capuae, possint gaudere, & frui omnibus gratiis concessis, & concedendis per ipsam Majestatem dictae Civitati,

(a) al. *Sichelmundus. Sichelmus.* (b) For. *Acerno oppido.*

vir ad limpianda (a) ligna, clam ad unum ex circunstantibus est locutus: *Volueram veritatem cognoscere, voluntatem Domini mei Principis, utrum ne placet ei, ut istud Castrum comprebendamus, an non?* At ille protinus ei respondit: *Veraciter scito, quia si illud capere potuerimus,* ma-

tati, ac hominibus oriundis, & habitantibus in ea. Verum quod ipsi praenominati Domini non possint inter vassallos, quos habent, & habere contigerit in territorio dictae Civitatis, exercere, & habere merum, & mixtum imperium; sed dicti eorum vassalli compellantur in criminalibus in Curia Capitanei creandi in dicta Civitate, & in civilibus in Curia Bajulorum Civitatis ejusdem. *Adest subscriptio*. Placet Regiae Majestati. *Hactenus Campanae urbis deliberata adtestatio, & petitio; nec certe illa absque Lauretani Comitis, Ducisque Suessani, ac Francisci Pandonis civitatem expetentium contestatione; quibus Rex indulgens, aperto commonstrat documento, nec temere Campanos sibi de prisca gentium origine imposuisse, nec se inexplorata notitia ejusmodi subscripsisse petitioni: cum ceteroqui manifesta res sit Marcianos, e qua gente Dux erat Suessae, & Pandonos non aliam originis, multorumque annorum patriam obtinuisse, nisi urbem Campanam.*

De genere igitur D. Thomae Aquinatis haec mihi satis erunt, quae nil minus esse poterunt Lectori, qui de iis aequus velit esse judex, Capuaeque hanc, multiplicemque aliam vetustissimam, recentissimamque non invidere gloriam, quam patriae dum tribuo, nulli, quoad sciam CisTyberinae urbi pari jure adsertam injustus praeripio. Idque potissimum, quod illam, ne dum amicus, & municeps meus Michael Monachus in Sanctuario olim edito nonnullis ex his suasus argumentis propalam dedit, quem alia quoque mea pronunciata suo in illo opere, sive detestatum aeque laetor; sed exteri plerique alii docti sane antiquitatis viri eandem calculo suo firmarunt, maximeque Ferdinandus De Marra Patritius Neapolitanus Dux Guardiae in Irpinis, progenitorum merito, propiaque virtute clarissimus, idemque antiquiorum hujus Regni Stemmatum consultissimus; qui Campano huic decori plene, serioque congaudet, & Aquinensem gentem hac inductus Dissertatione Campanam adsentitur, idque suo in opere, quod his diebus Typis tradit, acriori, elegantiorique dicendi charactere posterorum consignabit memoriae. (Prat.) At de hujus D. Thomae genere, Patriaque, ut nova aliquorum argumenta exsolvam, peculiarem Dissertationem in calce hujus Anonymi historiae dabo.

(a) Forte *ad laevigenda*.

magnum gaudium ipse Dominus noster habebit. Exinde ille inquit: *Ego te illius Ditioni praesentabo*. Vocabatur autem ille, cum quo Sikelmannus loquebatur, nomine Petrus, eratque Clericus, praecipuusque Medicus (*a*), & ab ipso Principe valde dilectus, quem etiam postmodum eum in hac Sede Salernitana Praesulem constituit; de quo, si vita comes fuerit, plenius disputabimus.

Cum vero Principi Gisulfo Sikelmannus praesentatus fuisset, in hunc modum promsit talia dicta: *Mi Princeps, velis, ut capiamus hoc Castellum*? At Princeps: *Proinde huc veni, quatenus eundem capiamus*. Et statim exinde exiit, & machinam, quam nos Petrariam (*b*) nuncupamus, mirae magnitudinis construxit, moxque ipsum Castellum Salernitani totis viribus, omnique conamine expugnare coeperunt, atque muros illius Castelli fortiter confringebant. Dum talia Adenulfus, & qui cum eo erant conspicerent, atque aliquanti ex eis mortui essent, illico veniam ab ipso piissimo Principe poposcebat. Ipse praeclarissimus Principem Landulfum exinde arctius exoravit, quatenus veniam illis tribueret. Ille vero voluntati ejus assensum praestitit, noxamque illis condonavit, qua propter Adenulfus cum sua uxore, suisque liberis, & suis famulis Gaetam (*c*) illaesum permisit ire; & sic cum magno tripudio Capuam catervatim venerunt, donaque plurima magno Principi Gisulfo (*d*) Landulfus Princeps dedit, suaque arva cum suis ovanter rediit.

CAP.

(a) An Episcopus ille hic est Petrus, de quo infra parte postrema, num. 25.
(b) *De ea alibi satis*. (Prat.)
(c) *Igitur Cajeta tunc temporis Ducem suum habebat, neque adhuc Capuano Principatui fuerat adnexa*.
(d) Papyrac. Codd. hoc uno loco habent *Pandulfus*, sed corrupte, teste Ost. lib 2. cap. 1.

CAP. CLX.

IN ipsius temporibus inventum (79) est sacratissimum corpus Beati Matthaei in Lucaniae finibus, atque cum debito honore per jussionem jam fati Principis Salernum deducitur. Sed quot signa, & miracula, & quomodo fuerit repertum, omnimodo nunc pandere obmittimus. Postmodum Deo, annuente, fidelibus innotescamus, atque huic Historiae annectere faciamus.

Dum ipse *Landolfus* (80) praefuisset Samnitibus annos... *(a)* (81) ab hac luce subtractus est. Beneventanorum Principatum ejus filii Pandolfus (82), & Landolfus bifarie regebant. Eo tempore Sanctae Sedi Romanae praeerat

(79) Translatio ista Corporis Sancti Matthaei Apostoli ab Ughellio refertur ad Annum 954. Et eo quidem tempore Salernitanis praeerat *Gisulfus I. Princeps*, cujus ante mentionem fecerat Historicus noster in parte illius jam edita a Peregrinio pag. 298. Tom. II. hujus Collectionis. Sed fortasse anticipandum tempus; Sequitur enim noster enarrare gesta *Landolfi I. Principis Beneventani*, qui anno 943. diem supremum obiit. *(Prat.)* Translatio ista vere accidit sub Agapito II. PP. A. D. circ. CML. ut indubie ex Monum. Benev. Ecclesiae, ex quibus eruitur & Salernum translatio totius corporis S. Matthei, & ejus brachii A. CMLIV. Beneventum sub Vincentio Antistite Beneventano.

(80) Scilicet eo tempore Beneventi & Capuae Princeps, fato functus, ut dixi, anno 943.

(81) Numerus annorum Landolfi I. heic desideratur. Sed vide Stemma Principum Langobardorum ex genere Atenulfi Comitis Capuae & Principis Beneventi, cujus Landolfus iste fuit filius, a Peregrinio editum Tom. II. Rer. Italicar. pag. 326.

(82) Ambos Landolfi I. filios appellat Salernitanus noster. Sed fallitur. *Pandolfus* enim *Landolfi* ejusdem, qui Secundus appellatur, filius fuit, uti evidenter liquet ex Chartis Monasterii Vulturnensis pag. 422. & seqq. Part. II. Tom. I. Collectionis hujus, & ex iis, quae adnotavit Peregrinius in Hist. Princip. Langobardor. *Pandulfus* autem cum patre *Landulfo II.* regnare coepit Anno 943. *(Prat.)* Die X. Aprilis, ut alibi dicam.

(a) In Cod. Frecciano legitur: *Annos quadraginta duo.*

erat Papa Johannes (83), filius cujuſdam Alberici Patricii. Dum eſſet adoleſcens, atque hujuſmodi vitiis deditus, undique hoſtium gentes congregari juſsit in unum, & non tantum Romanum exercitum, ſed & Tuſcos, Spoletinoſque in ſuum ſuffragium conduxit, Populus quoque multus in armis, & cum magna virtute Capuanus properabat. Illico *Princeps Landolfus* conſanguineos ſuos Salernum miſit, quatenus eminentiſſimum *Principem Giſulfum* enixius obſecrarent; ut in ejus adjutorium ſine dilatione veniret. Ille vero talia audiens, protinus cum magna audacia, magnoque apparatu cum omnibus ſuis illuc properavit. Sed dum Romani, Spoletinique, & Tuſci, adventum Principis Giſulfi reperiſſent, magno metu perculſi, ſuos repetunt fines (CVI).

CAP. CLXI.

DUm vero fama ejuſdem Principis Giſulfi, & undique per diverſas civitates ejus gloria nimium flagraret, legationem illis Papa Johannes miſit, quatenus in unum ſe conjungeret. Quapropter ipſe Princeps minime eſt moratus, atque cum magno apparatu per marinum iter Terracinam eſt profectus. Quo tempore jam dictus Papa cum non paucis Romanis ad eum venerunt; ſed cum faciem Principis, ejuſque apparatum, Nobiliumque multorum, gloriamque illius cernerent, mirati ſunt valde, dicentes: *Plus nunc vidimus plane, quam nuper audivimus*. Et in-

(83) Nempe X. Papa. Hic autem a noſtro dicitur *filius cujuſdam Alberici Patricii*. *Cujuſdam* pro *quondam*, uti in Antiquitat. Eſtenſib. pag. 316. aliis exemplis oſtendi. Filius, inquam, *Alberici*, non autem *Adelberti* Tuſciae Marchionis, uti habet corruptus Liutprandi Ticinenſis textus, quem emendandum monui Tom. II. Rer. Italicar. pag. 476.

(CVI) De hac Johannis PP. expeditione in Campaniam ſatis ſup. dictum eſt Tom. I.

inter ſe foedus alternatim inierunt, atque ad invicem ſunt ſeparati. Quid multa referam? Regnum Graecorum, Agarenorum, Francorum, Saxonumque nimirum ei obediebant; (84) atque ſuum Principatum illaeſum obtinebat; & omnis populus ſub ſua ditione poſitus gaudebat, & exultabat; & non erat, qui exterreret eos.

Per idem tempus peſtis valida fuit infra Principatum Salernitanum, & multi ex eis interemti ſunt, domuſque plurimae vacuae remanſerunt, donec Cives cum magna inſtantia precum Dominum obſecrarunt: & tunc peſtis ipſa quievit. Tanta denique pluviarum abundantia fuit, antequam peſtis ipſa eveniret, tantaque tonitrua, & coruſcationes, quales numquam ſeniores noſtri noverunt, atque (*a*) pars montium ceciderunt.

C A P. CLXII.

HAc tempeſtate Italiae Rex praeerat Verengarius una cum filio ſuo Adelverto nomine. Sed cum multa ſervitia erga Populum ſibi ſubjectum ipſe jam fatus Rex nimirum adnecteret, atque variis caſibus eos cruciaret, clam (*b*) legationem Langobardi, Romanique Ottoni Regi Theutonicorum miſerunt, quatenus veniret, & Regnum Italiae ſub ſua ditione obtineret: erat ſiquidem illo tempore Saxonum, Alamannorumque Rex. Ut talia Rex Otto audiviſſet, valde gaviſus eſt, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur, & ſine mora cum valido exercitu Italiam properavit. At vero Rex Langobardorum Adelvertus cum magno apparatu, populoque nimis vali-

(84) Aut vitiata vox, aut mitius exponenda. Scilicet cum eo amicitiam ſervarunt, aut ei munera conferebant, ut ſibi amicum, ſive minime adverſantem haberent. (*Prat.*) Frecc. habet: *Sacrum Principatum*.

(a) *Partes multae montium*. (b) Ann. 960.

valido (a) Clusas venit, quatenus cum Ottone certamen iniret: feruntque plurimi, ut sexaginta millia pugnatorum cum Rege Adelverto fuissent. Sed dum una die, unaque nocte ibidem moraretur, & Ottonis exercitus ibidem non appropinquaret, non pauci Comites Adelverti promserunt: *Volueramus, Domine Rex, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicito, quatenus Bardorum Regnum sub vestra ditione committat, quia nos minime sub illius potestate amplius perduramus: Si vobis committit Regnum, totis viribus pugnamus; sin autem, Italiae Regnum extero Regi committimus; quia saevitiam illius, suaeque conjugis omnimodo sustinere nequimus.* Sed dum talia patri, matrique intimasset, pater vero dictis ejus obtemperavit, mater namque dicto ejus nullo modo assensum dedit. Qua propter ad Clusas reversus est, & suis Comitibus omnia propalavit: At illi omnes irati sunt, protinusque illum reliquerunt, & unusquisque in suis urbibus remeavit. Otto Rex namque sine impedimento Italiam introivit, atque Italiae Regnum obtinuit; ipsumque Verengarium in oppido, in quo cum sua uxore fugerat, quod vocatur Sancti Leonis, per vim (b) comprehendit, Galliamque vinctos illos direxit: Adelvertus cum suis germanis, paucisque fidelibus fugam inivit, atque in Insulam Corsicam venit; ipseque Otto cum sua conjuge, Aidelgaza nomine, Romam ingressus est, & a Papa praedicto Johanne oleo unctionis (c) est unctus, coronaque suo capite septus, & ab omnibus Imperator Augustus est nimirum vocatus, & multam incommoditatem Romanis, & Apostolicae Sedi indixit, quae nobis * (d) dicenda sunt per singula.

Oo 2 CAP.

(a) *Alpium fauces, de quibus alibi fusius.*
(b) Ann. 963. & 964.
(c) Ann. 962.
(d) *Postea.* Bolv.

CAP. CLXIII.

DEinde *(a)* Campaniae fines advênit, ſtatimque & Princeps *(b)* Beneventanus Pandulfus in ejus vênit occurſum, & cum ipſo, ſuaque conjuge cum magno tripudio Capuam properarunt, & ſtatim legationem idem Imperator Giſulfo Principi miſit, donaque Regalia, quatenus per ſemetipſum, ſi ei durum non eſt, Capuam veniret, & ſuam ſororem, illius Imperatoris conjugem, videret. Sed dum hujuſmodi dicta Principi delata fuiſſent, moxque cum non paucis ſuis fidelibus Eccleſiam Dei Genitricis introivit, atque nimis eam efflagitabat, quatenus pro ſuis delictis ſuum natum arctius rogaret, ut veniam illi tribueret. Et ſic commeato accepto a Praeſule Sanctiſſimo Petro, incunctanter illuc properavit. Cum vero non procul a Capuana urbe cum ſuis veniſſet, illico Pandulfus, & Landulfus Principes ei obviam exierunt, atque cum debito honore ad Imperatorem Ottonem eum perduxerunt. Ille Imperator ut eum vidit, *(c)* illico de Throno, in quo reſidebat, exiliens, paululum ei obviam exiit, invicemque ſe oſculaverunt. Deinde Imperatrix, ut vidit, atque lacteo vultu conſpexit eum ſuper collum ejus ruit, eumque oſculavit, atque eum pariter ſecum ſedere juſſit, quia ex conſanguinitate erat ei conjuncta: agebat plane: *Confrater meus Giſulfe, quare non veniſti, tuamque ſororem non requiſiſti?* Et inter dicta verba eum amplexabatur, & creberrime oſculabat. Idem Princeps ei magnae pulchritudinis equum cum aurea ſella dedit, opeſque plurimas, & ab eis dona digniſſima accepit;

(a) *Deinde*. An ut inf. num. 3. ad oram? Certe Otho, coronato filio Othone 2. Capuam petiit.

(b) *Beneventanum* dicit priſca appellatione & ſua reſpiciens tempora, quando Campanam, & Beneventanam regionem obtinebat Pandulfus I. Vide N.3. hic ad finem, & Diſſertationem meam ſupra ad partem 5.

(c) Ann. 963. Othonem Capuae adſtitiſſe 11. Kal. Septemb. Ind. 6. notat Baronius ex ſcripto Chron. S. Vincentii De Volturno; ſed ſilentibus antiquis Chronol.

cepit; & ſic cum magno gaudio cum ſuis Salernitanis remeavit, & omnis populus gavisus eſt.

Ipſe Imperator *(a)* deinde Apuliae fines vênit, & valide eam dimicavit, & civitatem Bari aliquantulum obſedit, & quantum valuit, undique conſtrinxit. Idipſum iterum arva ſua remeavit. *(b)* Iterum Italiam vênit, Romamque properavit, & aliquantulos ex Romanis ſuſpendere juſſit; quia dum ipſe Imperator abeſſet, valde dictus Papa a Johanne Alberici filio foedatus, & afflictus fuit. Deinde *(c)* Calabriae fines vênit, incendiis, & depraedationibus eam vehementer afflixit, & millia damna, vel oppreſſiones geſſit in Principatu Salernitano. Igitur dum Pandulfus cum ipſo Imperatore in Calabria moraretur, ejus germanus Landulfus Princeps diem clauſit extremum. Tenuit Principatum una cum ſuo germano jam dictus Landulfus annis *(d)* octo. Fuit denique avidus, & minime divinae legis tramitem ſequutus. Sed dum talia comperiſſet Pandulfus, Calabriam reliquit Imperator, & Beneventum venit, ſuumque filium Landulfum Principem ſublimavit. Iterum ipſe Otto Ravennam properavit.

CAP. CLXIV.

DUm haec patrata fuiſſent, *(e)* ipſe Pandulfus Ottonem rogavit, quatenus ſecum de ſuis aliquantos mitteret in ſuffragium, ut Apuliam cum ipſis graderent. Ille vero aliquantos ex ſuis illi dedit, & ſic ipſe Pandulfus cum paucis juvenibus Beneventanis, Capuaniſque civitatem Bivinem *(f)* adiit. Dum miſti Graeci cum homini-

(a) Vere. *deinde.* ſed anno 969. Confer Lupum Prot. hoc anno. Otho ad Capuam aderat 15. Kal Febr. ann. 968. Vviticbin. l. 3. apud Sigon. & Bar.

(b) Ann. 966.

(c) Ann. 968. Confer Lupum Prot. ad ann. 967. qui eadem corrupte iterat ad ann. 981.

(d) Vide Chronol. Princ.

(e) Ann. 969.

(f) *Urbs Apuliae ſub monte ſita, quae Bibinum vocatur Italice* Bovino.

minibus ipsius Graecis egressi fuissent, & cum Pandulfo pauci fuissent, ad pugnam sunt protinus parati, Pandulfusque cum suis super eos irruit, ultimaque caede eos vastavit; sicque pervênit usque ad Portam illius civitatis. Dum ei obviam quidam Graecus nomine Le... (*a*) venisset, cum magna virtute, fortique ictu percussit eum, in terram protinus stravit: denuo denique similia fecerunt. Sed cum iterum Graeci aditum civitatis cum grandi strepitu exiissent, & Pandulfus, & qui cum eo erant ad pugnam se praeparare maluissent, illico dum retro ipsimet conspexissent, catervatim venire cernerent multitudinem hostium; sed nequibant obtutum illorum discernere, utrum Pandulfi homines essent, quos exspectabant, an e contrario Graeci. Sed dum eis approximassent: cognoverunt, quod Graeci essent, unusquisque omnimodo ad pugnam fuit praeparatus. Sed dum bellum inchoassent, statim Pandulfi equus vulneratus est, & sine mora (*b*) extinxit. Sed unus ex suis dum talia vidisset, moxque equum, in quo residebat, exiliens, ipsi Principi dedit: ille vero statim equum ascendit, ut cum Graecis certamen iniret; sed nihil ei profuit, quia jam sui dispersi erant, & huc atque illuc vagabantur incerti. Dum vero Pandulfus plurimos ex Graecis sauciaret, & jam fessus esset, super eum quidam Graecus cum magna virtute vênit, fortique ictu percussit, eumque de equo, in quo residebat, dejecit; quia jam arma confracta habebat; & sic super eum irruerunt, eumque comprehenderunt, atque ad suum Patritium perduxerunt, & non pauci ex suis vulnerati, aliquanti comprehensi, aliqui ex eis extincti, & reliqui, quamvis confusi, ad suos veniunt fines. Princeps saepe dictus Gisulfus illuc Landonem Castaldeum in suffragium misit, quatenus cum suis eum nullo modo relinquerent. Et dum illuc gradere festinaret, subito ei in itinere nuncius vênit, qui ei omnia intimavit; at ille, quam-

(a) Fort. *Leontius* Bolv. (b) *Extinctus*. Frecc.

quamvis cum moerore, Salernum remeavit. Ille Patritius Eugenius nomine Constantinopolim Pandulfum cum suis militibus misit, & ille cum multitudine hostium Beneventi fines invadit. Avellinum oppidum adeunt, & illorum Castaldeum, Siconulfum nomine, cum consensu illorum comprehendunt, Capuamque properarunt, multosque homines promiscui sexus inibi capiunt: ipsam urbem diversis machinis expugnare coeperunt, obsederuntque eam fere XL. diebus. Marinus, qui praeerat illo tempore Neapolitanis, cum omnibus suis, accepta occasione, Capuam venit, incendiis, rapinis, & quidquid reperiri poterant, demoliunt. Sed iniquitas eorum in eorum verticem nimirum descendit; quia dum cerneret ipse Patritius sine effectu ibidem morari, & crebrissime Langobardi suos non paucos vulnerarent, atque necarent, & metueret ne forte Francorum exercitus super eos irrueret, praesertim cum plurima ope essent ditati, & promiscui sexus fere quingentos comprehendissent, Capuam liquit, & cum paucis *(a)* pacifice Salernum vênit: reliquum vulgus per Beneventum habuit iter, & multa oppida in dolo ceperunt; ibidem virum unum, qui Toto nomine, comprehenderunt; quia germanus Pandulfi Romoalt inter Graecos a pueritia fuerat, & jam minime patriam suam repetere volebat propter suam superbiam; & sic Apuliam remearunt. Ille vero Eugenius dum apud Salernum per aliquos dies mansisset, & Princeps praedictus Gisulfus ei delicias, vinaque optima, diversaque potionum genera saepissime suis famulis fecisset ministrare, Apuliam est reversus.

CAP.

(a) *Pacifice* quidem; nam Gisulfus ad Graeci Imp. obsequium redierat, a quo invitus discesserat, Graecisque occulte cum faveret, sero suffragium miserat Princ. Pandulfo, ut pag. praec. Vide etiam sup. *in Praefat. ad Anon. Sal. num. 7.*

C A P. CLXV.

Dum patrata talia fuiſſent, non multos poſt dies exercitus Alamannorum, Spoletinorum, Saxonumque Capuam vênit; ſed Graecorum phalangem minime ibidem reperit. Deinde exinde ſunt moti: territorium Neapolitanorum invadunt; undique inibi praedam capiunt, & vehementer una cum Capuanis civitatem Neapolitanam conſtrixerunt: inde ſunt moti. Avellinum oppidum adierunt, quia Graecis ſe, ut jam fati ſumus, tradiderunt, perinde Beneventani una cum Francis eam expugnabant. Idemipſi Beneventum venerunt, Miſſamque *(a)* ab Archiepiſcopo Landulfo audierunt, & corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participati ſunt *(b)*. Et ſic accepta benedictione a praedicto ſanctiſſimo Pontifice, Apuliam venerunt. Ipſe Eugenius, de quo praediximus, propter ſuam crudelitatem comprehenſus eſt a ſuis, atque Conſtantinopolim miſſus. Hac tempeſtate Imperator Nicephorus praeerat, vir bonus, & juſtus, atque diverſarum gentium praeliator, de quo non eſt noſtrum dicere, quia ad aliorum facta percurrimus, ſcilicet Langobardorum. Cum Franci catervatim graderentur Eſculum *(c)*, repente Abdila Patritius cum magna multitudine Graecorum exiit eis obviam, ut non procul ab ipſa civitate utraque acies ſe conjungeret. Sed cum in unum adiiſſent, & Comes Alamannorum, Saxonumque cuncta geſtaſſet, ſuper eos ſubito irruit, multoſque ex eis interemit: reliquos fugam compulit ire; ipſum autem Patricium occidere noluit, proinde eum ſecutus eſt, ut vivum illum

(a) Poſtquam Campana Eccleſia Metropolis reddita fuerat anno 968. (potius 966. ut nos alibi *Prat.*) primus Beneventi Archiepiſcopus conſtitutus eſt hic Landulfus anno 969. ſub quo titulo memoratur quoque in Scripto Chronic. Monaſt. S. Barth. De Carpineto lib. 1. Vide Baron. ad annum 968. N. 66. & Marium Viperam in Chronol. Episc & Archiepiſc. Ben. lib. 2.

(b) *Eo namque tempore communio ſub utraque ſpecie laicis praebebatur, quae deinde iis ſuit interdicta.* Prat.

(c) *Nunc Aſculum Apuliae, aliud ab eo, quod in Piceno ſitum.* Prat.

illum apprehendere valeret, sed minime talia facere potuit, quia expeditum equum sedebat; quapropter hastam, quam manu gestabat, illi protinus misit, equumque percussit, atque sauciatus Esculum introivit. Ipse autem Comes vocabatur nomine *(a)* Conocûneus Alius validus, qui fuerat ab ipso Patritio missus, quatenus ex alia parte clam super Francos irrueret, ultimaque caede eos vastaret, dum talia perficere vellet, atque super Spoletinos irrueret, illico Spoletinorum Comes, Sico *(b)* nomine, cum valida manu super eum vênit, ultimaque caede eos vastavit; ipsumque Romualt, qui illorum praeerat, cum non paucis comprehendit, & ne unus ex Francis est mortuus, nisi unus ex Spoletinis est sauciatus. De exercitu vero Graecorum fere ceciderunt mille quingenti viri; auferentesque spolia multa ditati sunt valde; & sic cum magno tripudio Avellino oppido adierunt, & sic pacifice Beneventani in eodem oppido introiere.

CAP. CLXVI.

Dum talia peracta fuissent, Otto jam saepe dictus cum multitudine hostium Neapolim properavit, atque undique eam animalibus denudavit; statimque conjux praedicti Principis Pandulfi, Aloara nomine, una cum filio suo exiit obviam *(c)* Imperatori, & virum suum omnimodo commendavit. Ille vero statim Apuliam vênit, & non procul ad civitatem Bibinae applicuit, & totam Apuliam depraedare jussit, ipsamque Bibinam fortiter circumdedit, & undique suburbana ejus incendere jus-

(a) *Cono-Cuneus alius validus* legit Bolv.

(b) *Confer quae de hoc Sicone dixi in Serie Ducum* Spolet. in Prolusione ad Paul. Diac. To. 1. *Prat.*

(c) Ann. 970. 8. Kal. Jun. Indict. 13. Otho aderat *in loco dicto Sillice Territorii Capuani*, ut ex ejus Diplom. in Reg. Petri Diac. p. 72. in Arch. Cassinensi. Prat. *Locus hic fort. in Vicaudo, Pago non longe a Veteri Capua, & Ponte super Clanium, qui adhuc nomen retinet* Ponte a Selice, *de quo in Appiae Viae Hist. lib. 11. verba feci.*

jussit. Sed dum haec agerentur, Pandulfus, de quo praemisimus, Princeps dum apud Constantinopolim vinctus moraretur, atque ipse jam fatus Nicephorus Imperator eum plus cruciare satageret, subitanea mors illi Imperatori evênit; nam cum esset justus, & jure legis servator, Theophana crudelissima sua uxor propter suae cupiditatis ardorem una cum Johanne Simulchi, eo qui illo tempore Ducatum gerebat, crudeliter illum necaverunt, & Imperium ipse (CVII) Johannes (*a*) accepit, statimque Pandulfum a vinculis, cum quibus nexus erat, jussit absolvi, atque celeriter illum in Apuliam misit, quatenus Ottonem sua arva sine dilatione regredi faceret, & illi Johanni Imperatori omnimodo fidem servaret. Dum pervenisset ipse Pandulfus Barim, statim illuc Otto Imperator misit, ut eum sine mora illius ditioni ipse jam dictus Abdila honorifice transmitteret; qua propter illius ditioni miserunt, & per exorationem Pandulfi ipse Imperator Apuliam deserit, & Galliam properavit. Ipse vero Pandulfus

(CVII.) Nicephorus Orientis solium regens A. XMLXVII. Legatos suos ad Othonem Augustum Ravennae commorantem misit, qui ejus amicitiam, affinitatisque conjunctionem expetiit. Hic insequenti anno suos Byzantium Nuncios misit, inter quos celebris ille Liutprandus Cremonensis Episcopus, ut Teophaniam Romani II. Imperatoris filiam Othoni Caesari ejus filio (non Annam Theophanonis sororem, ut ait Baron) conjugem daret. Conventum ibi fuerat, ut in Calabriam Graeci sponsam Augustam perducerent. Nicephorus tamen perfide, Graecaque fide imbutus, quos ibi Nuncios Otho ad illam excipiendam immiserat, trucidandos curavit. Ultio Othonis statim secuta fuit; anno enim XMLXIX. exercitum in Calabriam duxit, qua e regione Graecos expellit, ex eisque quamplurimos Constantinopolim aut excecatos, aut membris, nasoque detruncatos remisit. Quod quidem horrendum spectaculum Johanni Zemiscio, (quem *parvae staturae* virum Armeni interpretantur) Theophania etiam Augusta impellente, & auxiliante, ansam dedit, ut exturbato Nicephoro, Orientale ipse Imperium occuparet, Basiliumque, & Constantinum Romani Porphyrog. filios collegas in Imperio accepit, Leone Phoca Nicephori germano in exilium depulso. Ipse proinde Theophaniam ad Othonem Imp. magnificentissime misit, Calabriâ in dotem illi adsignatâ.

(a) Ann. 970. *anno potius 969. ut bene Pagius notavit*. Prat.

dulfus ad dignitatem pristinam est reversus. Haec me dixisse sufficiat: nunc plane quid ipsi benignissimo jam facto Gisulfo Principi, ejusque Serenissimae conjugi, Gemmae nomine, accidit, quamvis cum moestitia, seriatim districtius stilo proprio percurramus, atque fidelibus innotescamus.

CAP. CLXVII.

FActum est autem, ut ipse Princeps in gravi languore jaceret, ante obtutumque ejus sua benignissima mater staret, & dolenter fleret, atque immensas lacrymas funderet. Sciscitavitque eam ipse clementissimus Princeps, pro qua re sic acriter fleret. Illa vero dixit: *Dulcissime fili, proinde ploro, quia meis peccatis merentibus, derelicta sum a meo viro, & nunc te cerno infirmum, & non habeo consolatorem; quia uterinus meus germanus longe a me abest*. Cui Princeps: *Et quid tibi, mitissima mater, exinde comparet, mox meae Eminentiae illico pande*. Et illa dixit: *Volueram, dulcissime fili, quatenus illum cum sua domo huc profecto accersiamus*. Idem Princeps: *Fiat, ut comparet voluntati tuae*. Cum autem Princeps ille ad pristinam valetudinem Dei nutu venisset, statim suum patruum Landulfum cum omni domo sua venire jussit, quia illo tempore Neapoli manebat. Fuerat idem Landulfus filius, ut fati sumus, Atenulfi Principis, & propter suam nequitiam, suamque crudelitatem, & superbiam (a) a Capuana urbe, in qua natus fuerat, cum suis filiis fuit ejectus, Neapolimque exulaverat; deinde venit Salernum, cumque Consam (b) a praedicto Principe Salernitano obtinuit (c); sed sua nequitia, suaque crudeli-

(a) In parte Historiae non editae expulsum dixit *Atenulfum Pr. Beneventanum e sua urbe*. eundemque recessisse Salernum, ac exulem obiisse; quem puto filium Atenulfi primi. Vide me in Stemmate Princip. & ad hujus Anonymi partem 5.

(b) *Compsa Principatu Salern. inclusa erat*. Prat.

(c) *Obtinuerit*: legit Bolv.

tate Consani sustinere, (a)... celeriter eum exinde expulerunt. Iterum ex urbe Salernitana fuit ejectus, & Neapolim properavit: nunc vero, ut fati sumus, Salernum cum tota domo sua, relicto Neapoli filio suo viro callidissimo, & ipse Landulfus nomine, ad habitandum pervênit. Sed dum Salernum adiissent, ipse mitissimus Princeps, licet non recte gessisset, ei victum, opesque varias, domosque dedit; praediis, colonisque eum ditavit, Consamque eidem obtinendum tribuit. Quid multa referam? secundum (b) eum in hac urbe constituit. Valde veremur, ne a quodam sagacissimo, qui liberalibus disciplinis a pueritia est eruditus, habeam reprehensionem: saepe enim vir, qui est minime audax, hostium insidias pertimescit, plus nimirum, quam audax. Sic denique & nos, qui liberalibus disciplinis periti plenissime non sumus, crebrissime gnaros timemus; quapropter quantum valemus, rationem illorum reddimus. Secundum, quando nomen (c) est ordinis, in penultima acuitur; ut est illud (d) Beati Gregorii: *Johannes in spiritu, & virtute Eliae praecessit ante Dominum; quia sicut Elia secundum Domini adventum praeveniet, ita iste praevenit primum.* Quando vero praepositio est, omnibus syllabis gravatur, & duplicem habet intellectum modo propinquitatem; ut *secundum (e) fores*; id est prope, vel juxta januas. Modo vero notat aemulationem, idest imitationem, seu similitudinem; ut, *secundum Apostolus vivo*, id est similiter, ut illi, quod Graece Κατὰ dicitur. unde & Evangelium Κατὰ, *secundum Matthaeum*. Item, quando nomen est, similiter in penultima acutum, tunc significat pro-

(a) Supple ex Cod. Bolv. *Cum amplius nequirent, velare se exinde impulerunt: non inde statim Salernum gradiit, sed post tempus aliquod ibi veniens iterum &c.*

(b) Videl. *Post eum primum in Principatu Dynastam*. Prat.

(c) *Vocabulum hoc*. Prat.

(d) B. Gregor. Homil. 7. in Joannem. Sed iste verba dat parumper immutata.

(e) *Semper ad futilia sermonem vertens, Historiae filum conscindit. ut Grammaticum se ostendat, sciolumque philologum.*

prosperum, vel tranquillum, atque quietum, & placidum; ut illud Virgilii: (a) *Ventis secundis*. Unde & verbum derivativum est. Secundo, secundas, secundat. idem ac, tranquillo, tranquillas, seu prosperum facio, vel quietum, ac suave facio, mitigo, placo, propitium facio. Credo equidem quia peritis sufficit testimonium ab (b) imperito prolatum: nunc vero, quae obmisimus, iterum arctius indagemus.

Habebat plane nefandus ipse Landulfus quatuor filios: Landenulfus, Landulfus, Indulfus, & Guaimarius. Ipse Landenulfus habuit unum glaucosum oculum: desponsavit puellam quandam (c) Tassagaldi filiam. Dum illuc civitatem (d) Tranam cum non paucis nobilibus, ut eam Salernum cum magno tripudio perduceret, perrexisset, in itinere eum febris invasit, qua mox correptus, acrique coepit ardore fatigari; Deique nutu in Consana civitate est extinctus. Gaudium plane est versum in luctum, ipsaque puella, quamvis (e) corrupta, cum suis hominibus suos repedat fines, ejusque cadaver per jussionem dicti Principis Salernum deducunt. Dum iste Landenulfus obiisset, statim ipse Princeps ad se accersiri jussit callidum illum Landulfum, qui fuerat Neapoli derelictus, eique (f) Laurini Castellum ad obtinendum dedit, quod suus extinctus germanus tenuerat, atque cum domo sua & ipse Salernum vênit. Indulfi Sarnum, Guaimarii (g) Marsicum, pene omnia fiscalia suae ditioni tradebat: omnis Salernitanus populus, nec non & sublimes exinde valde fre-

(a) Aeneid. lib. 3.

(b) *Imperitum te fateris; at melius molestum, fastidiosumque Chronico-sutorem appellarem*. Prat.

(c) al. *Tasselgardi*, & *quidem melius*.

(d) *Tranum urbs in Apulia in mari Supero, seu Hadriatico sita, Barulum inter, & Vigilias*, Trani *adhuc nominata*. Prat.

(e) Videl. *Jam a viro suo cognita*.

(f) al. *Laurum*. Sed male Castellum Laurini non longe a Salerno situm. *Prat.*

(g) *Unde Marsici Comites antiquissimae Familiae Sanseverinae, de quo alibi aliqua delibanda erunt*. Prat.

fremebant. At ille nefandus Landulfus una cum suis callidissimis filiis Salernitanis, quibus se credere poterant, pro Principis, suaeque conjugis interitu copiosa praemia condonabat, & hac illac proinde clam pergebat, & sermocinabat; nec non sacramenta exinde recipiebant, quatenus Salernitanum Principatum invaderet, ipsumque Indulfum Principem constituerent; & si quislibet ipsi benignissimo Principi, suaeque dilectissimae conjugi praedictam rem intimasset, minime dictis illius credebat.

C A P. CLXVIII.

FActum est autem eo tempore, ut saepe dictus Pandulfus cum multitudine Spoletini, nec non & suum populum Neapolim adiisset, & eam undique variis casibus cruciasset, & omnimodo nitebatur, quatenus praedicti Principi Gisulfi terram invaderet; sed dum ipsi sagacissimo Principi fuisset cognitum, repente multitudinem hostium congregare jussit, moxque locum, ubi Flumicellus (a) dicitur, misit, cavaeque sunt ibidem antiquitus factae, & est tutissimus locus. Dum illuc validissimus suus exercitus pergeret, atque forti animo ad bellum esset paratus, audito hoc Pandulfus, & qui erant cum eo, minime Salernitanorum adeunt fines. Sed dum Salernitani non paucis diebus illic mansissent, consilium pessimum nefandus Landulfi filius una cum Maraldi filio Riso, & cum Romoaldo filio Teurici illuc inierunt, quatenus, ut praediximus, Salernitanum Principatum invaderent. Cumque omnes per jussionem jam dicti Principis in suis aedibus remeassent, atque funditus locum illum liquissent, in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, surrexit contra eundem Principem filius iniquitatis cum omnibus suis filiis, ut praediximus, Landulfus nomine, per quem in Prin-

(a) Fort. *Locus non longe a fl. Sarno, Nuceriam versus*. Prat.

Principatum Salernitanum, perturbata pace, maximae populorum factae sunt strages; & Risum, & Romoalt una cum suis eos omnimodo adhortabantur, quatenus facinus adipiscere valerent; & non tantum ipsis, verum & aliis infanda reannectebant. Cumque per multos dies exinde satagerent, atque cui se credere poterant, nunciabant, & promebant: *Namquid non scitis, quia vult Dominus noster Gisulfus vobis abstrahere oculos?* Id ipsum eorum jusjurandum jurabant, & omnimodo eos contestabant, ut dictum illorum minime proderent. Quid multa dicam? Quotquot ipse benignissimus Princeps diligebat, Landulfus cum suis filiis illos exosos habebant: cui Princeps minime credebat, clemens erat, & illos pleniter diligebat, atque sibimet sociabant: cui ille minas, illi vero dulcia verba referebant. Quid multa referam? Ille ignis, qui in eorum corpora ardebat, jam foras illum per os evomebant, atque non solum eorum animas, verum etiam corpora illum omni modo concremabant. Landulfus vero una cum suis filiis jam dudum conceptam iniquitatem pariturus, annitentibus Risone, & Romoalt, sed (a) aliis ex Salernitanis, Principatum ejus, & Palatium hoc modo invaserunt. Intempesta noctis, quando sopore gravi fessa corpora premuntur, jam dicti Landulfi filii cum paucis Palatium, non per januam, sed per fenestram ingrediuntur, & quos ibidem dormire comperiunt, comprehendunt, ibique (b) Ostiarium praedicti Principis, Balsamum nomine, vehementer constringunt, & sic ad aulam, ubi ipse benignissimus Princeps cum suaque Serenissima conjuge quiescebat, audaci animo properarunt, atque ex more illius fores pulsarunt. Cumque talia Princeps ipse audisset, miratus est, suaeque conjugi cuncta praedixit. *Quis est, qui nos insolita hora inquietat?* At illa ad januam per semetipsam venit, eosque sciscitatur, qui essent? At illi nomina sua dixerunt, statimque eis januam pate-

(a) &.

(b) al. *Vestiarium*.

patefecit. At illi ingressi, Princeps eos perquisivit: *Qua intempesta nocte ad me, fratres, venistis?* At illi dixerunt: *Quia Salernitani arma tulerunt, & te propter tuam uxorem occidere volunt*. Et hoc dicentes, eheu praedolor, in eum manus injecerunt, eumque comprehenderunt, suamque benignissimam conjugem foras dederunt, injuriis eam afficiunt, & in ipso Palatio eam includunt; ipsumque piissimum Principem in altissima Turri, quam olim Proavus ejus *(a)* Waimarius construxerat, deposuerunt, & est sita juxta ipsius civitatis Portam, quae ad mare deducit; omnemque ejus thesaurum diripuerunt, & sic per domos illorum, cum quibus illud peccatum consiliaverunt, pergunt. Et si quis eos interrogabat de re, quae acciderat, illi promebant: *quia ambo pariter mortui sunt*: & protinus Alfanum patrem Serenissimae Principissae vocari, quasi a parte piissimi Principis, jusserunt. Sed dum ille more solito illuc pergere maluisset, repente illum comprehenderunt, & Petrum, & Pandonem Archidiaconum ejus nepotes. Deinde *(b)* eos Palatium adierunt, quia putabant Principem cum sua conjuge extinctos, quemadmodum ipsi crudelissimi fecisse juraverant, & ipsi Landulfo Tyranno jusjurandum juraverunt: Riso, & Romoalt una cum suis omnimodo decertarunt, & sequenti nocte ipsum jam dictum Principem una cum sua conjuge (CVIII) Amalfiam deducunt. *(c)* Illa vero, quae antea purpurata, contextisque ex auro vestibus, ac gemmis ipsa per Palatium gradere consueverat, post tecta vilibus vestibus, ipsaque confusa jacebat.

CAP.

(CVIII.) Amalfia tunc temporis Salernitano Principi subjecta profecto esse debebat, cum eo Princeps ejusque uxor miserint.

(a) Sic scripti Codd. sed Proavus Gisulfi certe fuit Vvaiferius, qui eam construxit Turrim, ut dicam alibi.

(b) *Omnes*. Aegypt.

(c) Ejectus est Gisulfus e Principatu paulo ante annum 974. quo iterum illum obtinuit. Vide Adnotationem infra positam.

CAP. CLXIX.

CUm talia peracta fuiſſent, Marinus, qui illo tempore praeerat Neapolitanis, & Manſo Patritius Amalfitanorum Salernum cum nonnullis paucis venerunt, atque Landulfum nitebantur adjuvare, quatenus Principatum ipſe firmiter obtineret. Sed non valet ſuffragium humanum, ubi non adeſt Divinum. Ille Neapolitanorum Patritius Marinus oblitus beneficiorum tantorum, quae in eum Princeps Giſulfus impenderat; oblitus etiam jusjurandi, quod juraverat, cum omni conamine, ſuiſque hominibus omnimodo eum videlicet adjuvabat. Facta eſt autem (a) tribulatio omnibus, qui eum diligebant, maxime Sacerdotibus, & Clericis, nec non & Judicibus, quos Giſulfus (b) ſolitus erat. Sed dum omnis populus comperiſſet, quod ipſe cum ſua uxore adhuc viveret, licet non in patulo, & tamen clam exinde ſuſpiria traheret, & deintus fortiter de illuſione, quae facta fuerat, fremebat: Facta eſt non minima diſſenſio inter germanos pro Principali (c) ambitione. Indulfus ſuo patri iniquiſſimo promebat: *Numquid non mihi jam nuper cum tuis natis juraſti, quatenus me Principem ſublimares?* At ejus pater in extaſi denique erat, & quid ageret penitus ignorabat. Ipſe vero Indulfus quidquid habere poterat, illud dabat, clam & ſacramenta recipiebat. Id ipſum (d) Indulfus omni niſu exinde ſatagebat, & praedictum Marinum acrius efflagitabat, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum Principalem honorem. Dum vero utrique omni niſu decertarent, conſilium inierunt, quatenus Indulfum comprehenderent, & clam illum Amalfim dirigerent; quod ſine mora talia fecerunt. Sed dum ipſe Indulfus Amalfim fuiſſet miſſus, ſtatim omnis Salernitanus Populus illi crudeliſſimo juniori Landulfo jurarunt; ſed dum aliquot dies Indulfus ipſe Amalfim degeret, iterum

Qq Sa-

(a) *Magna*.
(b) *Princeps excolere*. Frecc.
(c) al. *habitatione*.
(d) Forte. *Landulfus*.

Salernum per jussionem amborum iniquissimorum rediit. Cum vero Salernum reversus fuisset, coepit iterum plurimis dona largiri, consilium inire, quatenus per Castella se communirent, & Pandulfi juri se traderent . . . . *Quia meus genitor una cum crudelissimo germano intendit vos lumine privare*. Illi vero erant ex genere jam fati Principis benignissimi. Statim per Castella se communivere; nam Domini super illos dicta veniebant; qui dixit: (a) *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur*. Et alibi: (a) *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Illi nefandissimi plantati erant a Deo, plantati fuerant ad bonum, & non ad malum. Illi vero contra suum Dominum surrexerunt justo Dei judicio, ut filius adversus patrem, & frater adversus fratrem consurgant, atque omnes simul depereant. Riso jam dictus, & Romoalt poenitudine ducti, & licet non in patulo, & tamen clam suspiria trahebant, & quibus se credere poterant, hujusmodi verba eorum promebant, scilicet: *Melius nobis fuerat, si nati non fuissemus, quando piissimum Dominum nostrum tradiderunt una tum sua conjuge*. Et inter dicta verba ululabant, & dolenter flebant; pro qua re nescimus, utrum ipse jam dictus Landulfus una cum suis filiis promissiones, quas illis promiserunt, non adimpleverunt, aut de thesuro exiguo dederunt illis. Qua propter per jussionem illorum nequissimorum Amalfim perrexerunt, & ante obtutum mitissimi Principis venerunt, ejusque conjugis, & multum illic pariter fleverunt, & illi Principi, ejusque conjugi, arte qua poterant, promissiones fecerunt, quatenus, si valerent, in proximo ad dignitatem pristinam illos facerent remeare, tantum illis veniam tribuerent. Quid plura? Fleverunt, & inter se sacramenta dederunt. De illo die studenter Riso, & Romoalt omnimodo exinde decertarunt.

CAP.

(a) Matth. cap. 15. (b) Lucae cap. 11.

CAP. CLXX.

Dum Principi Pandulfo ab illis nobilibus, qui per Castella manebant, nunciatum fuisset, quatenus cum suis veniret, & una cum ipsis urbem Salernitanam expugnarent, magno gaudio est repletus, & sine mora Salernum venit. Illico Indulfus exiit obviam ei, & Censam ab eo exposcit. Sed dum a praedicto Principe responsum ei fuit, quod minime talia facere valeret, ab obtutu illius cum moestitia exiit, Salernumque rediit, & omnimodo nitebatur, quatenus Salernum remearet; sed nil ei profuit, nam a suis (C) comprehensus est; atque per jussio-

(C) *Quod reliquum erat hujus Historiae, immani intercidit jactura: idque casu, an consilio acciderit: res est incerta. Principem vero Pandulfum obtinuisse urbem, ac Principatum Salerni, innuit idem Anonymus in Carmine, quod post illam adtexuit, & ipse consimili loco dabo, de quo dixi, cum de eodem egi Auctore num. 9. Idemque similiter probant nonnullae antiquae Chartulae, quae adservantur in Archivo antiqui & nobilis Monasterii Sanctissimae Trinitatis Cavensis urbis, & in Archivo antiqui, & pariter nobilis Monasterii S. Laurentii urbis Aversanae; at illas hoc loco producam, quod rem prorsus ignoratam mire illustrent. Verumtamen negotium facessere videtur, quod Pandulfus dici coepit Princeps Salerni ab anno 978. quando ejus filius, pariter dictus Pandulfus, Dynastiam illam obtinuerat ab anno 974. adoptione Principis Gisulfi, & ejus uxoris Gemmae, sicut constabit ex Tabulis modo producendis. Sed nodum solvo. Gisulfus, qui Principatum obtinebat in Decembri anni 971. ut constabit ex Chartulis, carceri est mancipatus a Landulfo anno, certe, vel 972. vel sequenti 973. Tuncque Pandulfus pater obsidione cinxit urbem ab Indulfo, & a consanguineis invitatus captivi Principis;* qui per Castella manebant, *& eandem adeptus est, ejecto inde invasore Landulfo: quam non sibi adseruit, sed legitimo Principi Gisulfo restituit anno 974. non post Junium. Isque sive grati animi, sive pacti lege obstrictus, ejus filium adoptavit, Principemque Salernitanum instituit initio circiter Septembris ejusdem anni, unaque ambo Principes advixere usque ad annum 978. quo adoptans obiit, & Pandulfus pater dici voluit una cum filio Princeps Salerni; quo tempore Anonymus noster Historiam suam clausit, eidemque illam nuncupavit. Ista sic ego explano, alter plenius, & planius, quod opto. Promissae vero Tabulae sunt hae.*

I. In Archivo Cavensi in Arca ob festinationem cum ibi adfui haud mibi

sionem jam dicti Landulfi est delata .... Princeps idem Pandulfus cum suis, & cum Salernitanis, qui per Castel-

la

mihi signata, nec erat tunc animus Salernitanorum Principum serio tractare Chronologiam, est Chartula scripta. Anno 39. Principatus Dom. Gisolfi. Mense Julio. Indictione 14.

(a) *II. In eodem Archivo est Chartula scripta.* Anno 39. Principatus Dom. Gisolfi. Mense Septembri. Indict. 15. *Prat.*

III. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 42. Principat. Dom. Gisolfi. Mense Junio. Indict. 2.

IV. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 42 Principatus Domini Gisolfi, & primo anno Principatus Dominae Gemmae ejus uxoris, & Principatus Paldolfi optati filii eorum Mense Decembri. Indictione 3.

V. In eodem Archivo est Chartula scripta. Anno 45. Principatus Gisolfi, & 3. anno Principatus Dominae Gemmae ejus uxoris, & Principatus Paldolfi optati filii eorum. Mense Augusto. Indictione 5.

VI. In eodem Arch. In Arca 88. *est Chart. sign. num.* 13. *scripta.* Anno 36. Principatus Paldolfi, & 1. anno ejus Salernitani Principatus. Et 5. anno Principatus D. Paldolfi filii ejus. Indictione 7. *Mensis non fuerat adnotatus.*

VII. In eodem Archivo. In Arca 59. *est Chartula signata num.* 275. *scripta.* Anno 36. Princip. Dom. Paldolfi, & 2. anno ejus Princip. Salernitani. Et 5. anno Princ. Dom. Paldolfi ejus filii. Mense Julio. Indict. 7.

VIII. In Archivo Sancti Laurentii, quod tunc cum ibi aderam, non adhuc fuerat firma Chartularum inlocatione dispositum, ideoque numerus Arcularum nullus est mihi adnotatus, aderat membrana scripta. Anno 37. Princip. Dom. Paldolfi; & 2. anno Princ. ejus Salernitani. Et 6. anno Princ. Dom. Paldolfi ejus filii. Mense Octub. Ind. 8.

IX. In Archivo Cavensi. In Arca 88. *est Chartula signata num.* 22. *scripta.* Anno 37. Princip. Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernit. & 6. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus. Mense Decembr. Indict. 8.

In

(a) *In Archivo Sanctissimae Trinitatis Civitatis Venusiae adest chartula scripta anno* 40. *Principatus Domini Gisolfi Gloriosi Principis Salerni denationis Raynaldi malae convenientiae senioris, & Comitis Marsi i; & Rambaldi Domini Castelli Montis Milonis cum interventu Baronum suorum. Mense Majo Ind.* XV. *Ibidem extat alia Anno* 46. *Principatus Domini Gisolfi, & quarto anno Dominae Gemmae ejus uxoris, & Principatus Paldolfi optati filii eorum mense Januario Ind. VI.*

la manebant, omniaque oppida, quae sub jure Salernitanae civitatis fuerant, ipsamque civitatem expugnabant, & quid-

X. In eodem Archivo. In Arca 59. *est Chartula iterum producta, ac signata num.* 275. *quae alteram annorum consignationem exhibet sic.* Anno 37. Princ. Dom. Paldolfi, & 2. anno Princ. ejus Salern t. Et 6. anno Princip. Dom. Paldolfi ejus filii. Mense Martio. Indict. 8.

XI In eodem Archivo Cavensi. In Arca 59. *est Chartula signata num.* 218. *scripta.* Anno 37. Princ. Dom. Paldolfi, & 2. anno Princip. ejus Salernit. & 6. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus. Mense Aprili. Indict. 8.

XII. In eodem Archivo. In Arca 101. *est Chartula signata num.* 297. *scripta.* Anno 38. Princ. Dom. Paldolfi, & 3. anno Princ. ejus Salernit. & 7. anno Princ. Dom. Paldolfi filii ejus. Mense Februar. Indictione 9.

XIII. In eod. Arch. In Arca mihi festinanti non adnotata, est Chartula scripta. Anno 7. Princ. Dom. Paldolfi. Mense Junio. Indict. 9. *In qua adest infrascripta adtestatio.* Ante nos Guidonem, & Aldemarium Judices. Nos Paldolfus Princeps filius bonae mem. D. Paldolfi Princ. declaro, quod Gisolfus, & Gemma adoptaverunt me in filium; propterea D. Jo. Venerab. Pontifex S. Sedis Salern. &c.

XIV. In Archivo S. Laurentii erat Chartula, cujus Arcam non adnotavi eadem causa, qua supra; eaque scripta. Anno 4. Principatus Dom. Landonolfi. Mense Martio. Ind. 14. *Et infra.* Ego Aloara relicta Principis Paldolfi, filia (a) Petri Comitis, cum consensu supradicti Landonolfi Principis, & Gisolfi germanis filiis meis pro redemptione animae Paldolfi Principis viro meo, & Paldolfi Principis Salernitanae civitatis filio meo, & Landolfi Principis, & Atenolfi Marchionis filiis meis, do, trado &c.

Has autem Chartulas in Tabella per annos sic digero.

An Chr.		Princ. Gisul.	Mense,	Indict.
971	*I.Chart.*	39	Julio	14
	II.Chart.	39	Septem.	15
972		40		15
				1
973				

(a) In Chron. Cass. l. 2. c. 9. Leg. Imp. (*Otho II.*) *Capuam reversus firmavit Principatum relictae Pandalfi Principis Aloarae, & filio ejus Landulfo*: Idem in Reg. Petri Diac. n. 234.

& quidquid reperire poterant, depraedabant, atque funditus demoliebant, & deintus omnes tamen fortiter resi-
ste-

973		41				1 2
974	*III.Chart.* *IV.Chart.*	42 42	Gemmae. 1	Pald. optati. 1	Junio Dec.	2 3
975		43	1 2	1 2		3 4
976		44	2 3	2 3		4 5
977	*V.Chart.*	45 45	3 4	3 4	Aug.	5 6
978		46	4	4		6

Gisulfus, ut reor, obiit decurrente anno 46. sui Princ. Mense circiter Junio. At Pandulfus Caputferreus dici coepit Princeps Salerni non post Octobrem Indictionis 7. ut ex subsequentibus Chartulis probatur. Igitur anno percurrente 978. quo obiisse oportuit Gisulfum. Idem vero Paldulfus patrium Principatum iniit circa initia Mensis Septembris anni 943. de quo alibi; quocirca singulis annis enumeratis ab Incarnatione adscripsi duos incompletos annos ejus Principatuum; quod pariter eadem de causa factum est in annis Paldulfi ejus filii, fierique debet in omnibus consimilibus ratiociniis, & in numeris Indictionum. Ad Gisulfi autem annos non hac opus fuit distributione, qui Kal. Januarii anni 933. nisi mea me fallit supputatio, quam ex Chartulis deduxi, constitutus est Princeps a patre Guaimario juniore, aetateque triennis, ut Anonymus Salern. tradit in Historia non edita. Adno-
te-

flebant. Ipſeque Amalfitanorum Patritius unà cum ſuis deintus Palatium cum ambobus nequiſsimis manebat, atque

tetur igitur annus 978. quo Pandulfus Caputferreus poſt Giſulfum dici coepit Princeps Salerni.

An. Chr.		Pald. Pat.	Saler. Pald. fil.	Indict	Menſe	
978		36	1	5		7
979	*VI.VII Ch.*	36	1.2	5	.... & Jul.	7
	VIII.IX.Ch.	37	2	6	Oct. & Dec.	8
980	*X.XI. Ch.*	37	2	6	Mar. & Apr.	8
		38	3	7		9
981	*XII. Char.*	38	3	7	Febr.	9
	Pald. pat. obiit Menſe Martio.					
	XIII. Char.			7	Jun.	9

XIV. Poſtrema Chartula tempore data eſt Principis Capuae Landonulfi, anno 986. quando in fata jam conceſſerat Princeps Pandulfus pater in Martio anni 981. quod iſta conſentiunt Tabulae, ac adſtruit Chronicon Ducum, & Principum Beneventi ſuo loco producendum. Pariterque obierat Princeps Pandulfus filius; cujus acta, & reliquorum Salerni Principum diligentiores inveſtigent, quaeſo, Salernitani viri, antiquitatis ſtudioſi, quibus facultas eſt Cavenſe Archivum, opportunis ad hanc rem Chartulis maxime refertum, ſedulo perſcrutari: mihi enim pauculas per horas ibi morari contigit, haſque productas, ac nonnullas alias praepropere inſpicere Chartulas a vigilantiſſimo, eodemque politiſſimo Archivarlo Camillo e Capua ejuſdem Monaſterii Monacho perhumane exhibitas.

Verum qui noſti Pandulfum Caputferreum advixiſſe ad annum 981. exinde comperies vera nobis tradidiſſe Petrum Damiani ſcriptorum integerrimum, qualem Baronius adpellat ad Martyrol. 8. Idus Maii; qui in Opuſculo 19. De Abdicatione Epiſcopatus cap. 9. juxta Editionem Lugdunenſem anni 1623. ſed juxta alias in Epiſt. 9. lib. 1. adſeris tempore obitus ejuſdem Principis adveniſſe ad has regiones Imperatorem Othonem ſecundum, ac adverſus Saracenos praeliaturum feſti-

que Amalfitani per istius Civitatis moenia pergebant; omnes-

festinasse. *Namque* Imperator *ille* Otho, *teste Lamberto Scafnaburgensi in Chronico*, perrexit in Italiam anno 980. *Sique fides est Hermanno Contracto*, Neapolim venit anno 981. *Eodemque tempore procul dubio aderat in hac CisTyberina Italia*, *quando Diplomata dedit Monasterio S. Vincentii ad Fontes Volturni*, *quae refert idem Baronius praedicto anno* 981. *num.* 4. *A quibus non discedit Sigebertus Gemblacensis ista adnotans ad eundem annum* 981. Otho Imperator (*ait ille de secundo loquens*) Calabriam Provincias ad jus Regni Graecorum appendentes transferre ad Imperium Romanum conatur. *&c. Quae habet quoque*, *iisdemque verbis Vuillelmus de Nangis in Chronici parte*, *quae exstat apud priores Annales Francorum a Pithoeo editos*; *sed ad annum notat* 980. *ideoque*, *sive corrupte*, *sive unico loco strictim adnotans*, *praeter mentem Sigeberti*, *plurium annorum eventus*. *Et ille quidem Vuillelmus sub eodem praedicto*, *sibique designato anno cladem postmodum ab Othone in Calabria acceptam locat*, *quam Sigebertus*, *& reliqui laudati auctores ad annum figunt* 982. *qui pariter tradunt illum in tantam animi molestiam ex ea decidisse*, *ut Romae morbo decesserit sequenti anno* 983. *Qua annorum designatione patenter commonstrant* (*contrarium certe non pronunciant*) *Imperatorem non recessisse ab Italia*, *postquam*, *ut dictum est*, *adcesserat anno* 980. *Iis autem licet quo ad hoc repugnet ex nostratibus Leo Ostiensis lib.* 2. *cap.* 9. *adfirmans Othonem post priorem adventum esse reversum ad sua*, *iterumque in anno* 983. *regressum*: *de reliquo tamen plene adsentitur*, *ac in CisTyberina Italia Imperatorem adstitisse in anno* 981. *non dubiis declarat verbis*, *modo ea rite interpretemur*, *quae producam*, *sed Paraphrasi explanata brevi*. Sequenti anno (*ait Leo*) *a morte praeindicati Archiepiscopi Capuae*, *cujus Ecclesiam Pastore suo remansisse viduatam paulo ante obitum Caputferrei*, *anno scilicet* 980. *constat ex Vita S. Nili*, *idque nullus inficiabitur*. Defuncto primo Ottone *ab anno* 973. *cujus Auctor meminerat lib.* 2. *cap.* 4. *mortuumque non adhuc adnotarat*, Otto secundus Imperator filius ejus, cognomento Rufus, *ante non alias memoratus*, *periteque ob id minutim descriptus*, venit Capuam, *& Neapolim quoque in anno* 981. *quo obiit Caputferreus*, *& Joannes Magister Militum*, & abiit Tarentum, *ibique adstitit* 17. *Kal. Aprilis anni* 982. *ut tradit Sigonius lib.* 7. *De Regno Ital. & quidem ex peculiari aliquo documento in Chartulis sibi viso*; ac Metapontum; & deinde Calabriam. Unde prospere ad sua reversus: *hoc tacent alii*: anno nongentesimo octogesimotertio iterum*, magno exercitu congregato, cum Saracenis, *quos in sui adjutorium Graeci advocarant*, *idque habent praeallegati Scriptores*, in Calabriam dimicaturus descendit, sed Divina permissione superatus ab illis, vix ipse cum non

omnesque Turres ipsi possidebant, quia ipsi nefandissimi
mini-

non multis evadere potuit. &c. *Hactenus Ostiensis. Petri igitur assertio nil labat, quam adhuc firmare possem testimonio Lupi Protospatae, sed abstineo: ille enim quamvis in Chronico ad annum* 981. Othonem *tradat* fecisse praelium cum Saracenis in Calabria in civitate Cotruna, ibique mortuos quadraginta millia Poenorum cum Rege eorum Bulcassimo: *Verumtamen talis adnotatio videtur mihi e suo loco luxata, aut certe iterato producta ex anno* 967. *ad quem Editus Codex Lupi denuo illam exhibet. Tu vide; sique in hoc a me abis, non utique discedere potes a Petri pronunciato, cui Lupus quoque ex te favet: is namque est ceteroqui concors aliis Chronologis, nec falsae supputationis insimulari poterit. At si ex dictis constat modo Pandulfi Caputferrei obitum vere contigisse adveniente Capuam, & Neapolim Othone secundo; verum pariter fuisse noverimus, quod idem Petrus ibidem enarrat de Viso cujusdam Anachoretae, quo innotuit ei animam ejusdem Principis ad aeternos cruciatus ruituram, deque eruptione Vesuvii Montis secuta post ejus, & Jo: Ducis mortem*. Ex quo Monte (*verba sunt ejusdem Auctoris*) quandocunque in illis partibus reprobus dives moritur, ignis erumpere videtur. *Et sane ditissimus, magnusque Dynasta fuerat Caputferreus, qui nedum Princeps Capuae, Beneventi, & Salerni, sed Dux, & Marchio extitit Spoletii, & Camerini; sicut constat ex scripto Chron. praedicti Monast. S. Vincentii ad Fontes Volturni lib.* 3. *&* 4. *ac proinde dimidiam fere Italiam possederat. Nec opinio illa Vesevum Montem de more eructare flammas in obitu Proceris alicujus impoenitentis, ex altero, ni fallor, antiquiori inoleverat exemplo, quam ex ejusdem comperta damnatione Caputferrei, quae vulgi ore ferebatur communi, eademque postmodum novo experimento increbuerat, aetateque Petri ob id firmissime retinebatur. Etenim dum post aliquot annos a morte Pandulfi Mons ille iterum incendia evomeret, quod Glaber Rodulfus lib.* 2. *cap.* 7. *ad annum figit* 993. *Salerni Princeps, nomine Johannes, Avus scilicet Guaimarii, qui a suis peremtus est in anno* 1052. *incendia illa prospiciens, ac reminiscens, ut reor, haud antiquum Caputferrei, & Johannis casum, in eam prorupit vocem, eodem adtestante Petro relato*: Procul dubio sceleratus aliquis dives in proximo moriturus est, atque in Infernum descensurus. *Quae de se ipso Principem praedixisse, qui proxima nocte, morte inopina cum scorto concumbens obiit, idem testatur Auctor. Caputferreus autem, ad quem redeo, quamvis nonnulla aliequi sancta opera, ac praeclara facinora pro Romano Pontifice Johanne XIII. vivens ediderit, Monasteriumque Cassinense donis, & Privilegiis multis locupletarit, ex quibus aevum illud* acceptabile *quidem* fuerat *Monachis: sicut Ostiensis pronunciavit lib.* 2. *cap.* 2. *sed tempora respiciens patris Pan-*

 dulfi

minime Salernitani jam credebant . . . .

Tumulus Dauferandae (85) *uxoris Roffridi V. Cl.*

C A P. CLXXI.

Nobilis, ac celebri proavorum femina stirpe,
Viva manens meriti hic sua membra locat:
Haec viduata viro, cujus per secula fama est,

Fer-

(85) Titulum ego apposui. Nobilis haec mulier, uti ex Carmine constat, patrem habuit *Dauferium* fortassis Magnatem illum Beneventanum, qui Grimoaldo Storesaiz Principi Beneventano circiter Annum 815. rebellis fuit, & Erchemperto memoratur num. VII. Conjux *Rofrit* Dauferanda dicitur; hic autem *Rofrit* is esse potuit, qui ab Anonymo nostro num. 28. appellatur *filius cujusdam nobilissimi viri Dauferii*. Si vero hic Dauferius, cognomento *Propheta*, idem forte fuerit, ac Dauferius rebellis Grimoaldo; alium Dauferanda parentem habuerit: De *Rofrit*, sive *Roffrido* multa refert noster num. XLVI. & seqq. Vide infra ejus Tumulum.

dulfi hujus; haud tamen illum talia operatum ex sincera animi pietate, ac religione, visio declaravit Solitarii, quam Petrus, dum adhuc Opusculum dictator exararet, *accepisse testatur* ab adveniente Desiderio *ejusdem Monast. Abbate, qui postmodum fuit Victor Papa III eandemque legere est in Chronico praememorati Ostiensis, etsi loco adfixam non suo: hoc est lib. 2. cap. 82. Quo situ positam interpretari illam oporteret de altero Pandulfo Capuae similiter Principe, sed recentiori, qui e contra expilator fuit bonorum Monasterii modo dicti, ejusque animae damnatio altera similiter innotuit visione, de qua habet idem Leo lib. 2. cap. 60. idemque Desiderius lib. 1. Dialogorum, qui inediti habentur. Verumtamen, ut dixi, visio illa eo loci male traducta habetur, quod duo probare possunt indicia. Est primum, quia Desiderius eam noverat, ac Petro Damiani enarraverat, suisque illis Dialogis scribere est professus signa, quae Deus in contemtores Cassinensis Coenobii est operatus: eandem tamen ibidem praeteriit, quod nullatenus fecisset, si de posteriori sacrilego Pandulfo accipiendam scivisset, de quo alteram exponere non est veritus. Secundum indicium: quia Petri narratio iisdem prorsus verbis habetur in Chronico Leonis, amputatis solummodo illis, quibus demonstrari poterat, eam de Caputferreo, nec de altero Pandulfo, esse interpretandam. Tu locos confer, qui ignorare non debes Cassinensem Historiam aliquanto post aetatem Petri elucubratam.*

Ferre pudicitiae vovit ab inde jugum:
Dauferanda *huic patrio datum est de nomine nomen*
Regia progenies cujus ubique patet.
Quanta tamen Rofrit *fuerit; qualisque jugalis*
Quisquis hoc ignorat, nec ... (a) (*) capit:
Carpere quos pariter dum vitae contigit auras,
Plura Deo statuunt templa referta bonis.
E quibus hoc unum est, quo se natumque recondit
Mater, & in tabulis consociare jubet,
Sanctorum meritis ut captent praemia vitae,
His pete, qui nostrum advena gramma vides.
Ter ternis vitae consummans tempora lustris,
Septenis Martis Idibus aethra petit.
Obiit die XVI. Kal. Novembris (b).

Tumulus Adelferii (86) V. C.

Clausus in hoc tumulo juvenis quiescit humatus,
Exspectans iterum surgere vivus ab hoc.
Dictus Adelferius *fuerat de nomine quondam,*
Utroque ingenuus nempe parente fuit.
Robustus, strenuus, primaevo in flore puellus,
Insidiis socium deperit, atque ruit.
Quatuor expletis lustris, annoque secundo (c)
Procubuit moriens, hacque locatur humo.
Huic, rogo, mortales veniam implorate peremto;
Crimine demisso scandat ut astra poli.

(*) Fortasse legendum: *hec mea metra.*
(86) Et heic titulum addidi. Adelferius hic num ille, qui ab ipso Anonymo nostro inter edita a Peregrinio pag. 280. Tom. II. Collect. hujus appellatur *Gastaldus Oppidi Avellini*, & *nepos magni Rofrit?*

(a) *Mea metra*. Aegypt. (b) An. XLV. (c) Ann. XXII.

Tumulus (87) Roffridi V.Cl.

Ardorum fulget magno de germine Rofrit,
Cui Palatina micat intima valde domus.
Nobilis iste fuit multum; sed dives in urbe,
Et multas nimium novit habere dapes.
Jocundus semper; necnon facundus Amicus,
Atque probus famulis verba jocosa dabat:
Formosus facie, rubroque hic crine refulsit.
Mellifluam vocem promsit ubique suis.
Ditavit famulos, coluit sed rura potenter;
Dona dedit multis, auxit & ipse domum.
Bis senis vitae complevit tempora lustris,
Aeterni spatii coepit habere viam.
Christicola, culpis hujus deposce Tonantem;
*(a) Habens * vestigia (88) spiritus intrat aquas;*
Sed Paradisiacas epulas sine fine capescat,
Nec meritis propriis hunc stimulare sinant.
Angelicis manibus septum hinc inde precare,
Spicula ne possit magna timere mali.
Nec totum cecini. Pro magnis suscipe parva.
Sacra poli pateant Regna beata tibi.

CAR-

(87) Qui *Rofrit* a nostro appellatur, ac saepe in hoc eodem Libro memoratus est num. XLVI. & seqq. vir inter Beneventanos nobilissimus, & Sicardo Principi carissimus.

(88) Imperiti amanuensis sphalma, conjecturâ meâ, ita corrigendum. *Abiens ne Stygias spiritus intret aquas.* Equidem novi, illud *abiens* non bene sedere; verum non ita Poëta iste delicatus, ut eum dedeceat Prosódia aliquando contemta. Fort. *absens*, ut habet Bolv.

(a) Frecc. *Ne absens Stygias spi- ritus intret aquas.*

Carmen (89) Anonymi Salernitani hujus Historiae Auctoris ad Pandulfum Principem Capuae, Beneventi & Salerni.

VIr bone, dulcis, amans, mitis, Serenissime Princeps. (90)
Armis, ajo, Dei auxiliove potens.
Hanc, quam misit iners, cape, deprecor, Historiolam.
Perlege cuncta libens, abdita corde tege.
Hanc quia insontem lacerant, quicumque supersunt,
Et rodunt fantis famina vera crebro.
Et si indigna tuli imprudens, prudentius en tu
Ignosce ignaro, aut calamo reseca.
Aurea nam Capua sine Principe desiit esse.
Ticinum (91) *geminum heu viduata manes.*
Judicibus tumuit sive subjecta superbis,
Hostibus innumeris hinc spoliata gemit.
Sentibus & rhamnis tabefactaque tota fatiscit,
Civibus exuta, atque referta feris.
Lux redit ecce nova, altorem cum suscipit, illi:
Te quoque magnanimum gaudet adesse patrem.
Gemmea nunc iterum exultans urbs cantibus, odas
Principe sub tanto euge canendo boat.
Lusibus exsultat, gaudet, splendet, nitet omnis
Aetas, conditio, sexus uterque nimis.
Tempore praeterito tellus divisa maligne
Unitur tuo ecce, tuente Deo.
Aëra, Terra, Polum, Freta, Mundi climata tota
Alleluya canant laudis amore tuae.

Tu

(89) Hoc idem habes jam editum a Peregrinio pag. 306. Tom. II. Rer. Italicar. sed non pigeat rursus legere.

(90) Idest Pandulfus cognomento Caputferreus, qui Principatum rexit Beneventi, Salerni, & Capuae, atque etiam Dux fuit Spoleti, & Marchio Camerini. Ejus mors ad Annum 981. spectat.

(91) Hoc est alterum Ticinum; ita enim Beneventum appellat, ut i jam Peregrinius adnotavit. (*Prat.*) De hoc alibi notatum habes Tom. I.

Tu fretus pietate Dei exime gente profana
Christicolum populum, oro, mucrone tuo.
Te Deus ipse regat, foveat, Virgoque Maria,
Concio Apostolica, agmina sancta novem.
Det tibi laetitiam vitae, Regnique triumphum;
Post funus tribuat Regna beata tibi.
Tu quoque belligerator Avis, fortissime Princeps
Salve, & ubique vale tempus in omne tuum.
*De instructore * blebe in Carminis hujus*
Commendo in sursum, vir pie, sive potens.

Romani (92) Pontificis incerti Epistola ad quemdam Constantinopoli agentem.

C A P. CLXXII.

„ Quoties de urbe Regia ad nos aliquis venit, curae „ nobis est de corporis sospitate vestri perquirere; „ sed peccatis nostris facientibus, & semper audio „ quae me taedet audire, quia in tanta tenuitate, atque „ debilitate vobis referunt dolores excrescere. Sed oro „ omnipotentem Dominum, ut omnia, quae in corpore „ vestro aguntur, ad salutem animae dirigantur, flagel- „ la temporalia aeternam vobis quietem praeparant; & „ per eos dolores, qui cum fine fine sunt, gaudium vobis „ sine fine concedat. De Beati Petri Apostoli rebus, „ quamvis parva sunt, quae offerantur, pro magna sem- „ per benedictione suscipienda sunt; quoniam & hic no- „ bis valebit majora impendere, & apud omnipotentem „ Deum

(92) In Codice subsequebantur quisquiliae, quas deperire non sivi. Hanc autem Epistolam ad illustrem quempiam virum scripsisse mihi videtur unus ex Romanis Pontificibus. Quis vero, mihi ignotum. Num Gregorius Magnus? Certe ab ejus stilo minime abhorret. Ulterius inquirere non vacat.

„ Deum beneficia aeterna praestare, quae petimus sine „ injuria suscipi. Quoniam non in hoc vobis nostra obla- „ tio, sed sancti Petri Principis Apostolorum offertur.

Catalogus praediorum Potonis ditissimi viri.

REcordatio facta a me. Ego (93) Poto de Curtis, & rebus substantiae meae, quas mihi nunc pertinere videntur, inde notitiam facimus vobis filiis, & nepotibus meis, de iis Curtis nostris, quae per singula loca habemus:

In primis Curtem in Serra (*a*).
Curtem in Protesanu.
Curtem in Perticata.
Curtem in Casale Johannis.
Curtem ad Rubianum.
Curtem in Ruite (*b*) clari.
Curtem in Padule.
Item subscriptae Curtae fuerunt Causilioni.
Datae fuerunt nobis per Autulum Aurificem,
Curtem de Marmuni.
Curtem de Rivalvini.
Curtem de Pitilianu.
Curtem in Materno propriu loco Gelegete.

Cur-

(93) Radelchis Beneventanus Princeps in Capitulari divisionis Principatus Anno 851. quod habes pag. 269. Tom. II. Collectionis hujus, in fine pollicetur, se redditurum Siconolfo Principi Salernitano captivos quosdam, si & ille sibi reddiderit *Potonem nepotem meum*. Ad hunc Potonem spectare suspicor indiculum harum *Curtium*, tum quod ditissimus ac illustris vir heic designatur, tum etiam quod ipse memorat *Curtem de Sinderisi in Canoso* (idest, ut puto, in agro Canusino) *quae fuit commune cum Curte Domini Siconi portionarii nostri*. Nomen *Siconis* cum adjecto titulo praeclarissimo *Domini*, mihi innuere videtur *Siconem*, qui *Radelchisum* in Beneventano Principatu praecessit.

(a) *Mala*.

(b) *Cerdare*.

Curtem in suprascripto loco Gelegete.
Curtem in Catole (*a*).
Curtem ad Salicem, qui fuit de Alaxis.
Curtem in Termule.
Curtem in Madanicu.
Curtem in Aquasata.
Curtem in Porticello (*b*).
Curtem in Malliano.
Curtem in Portari.
Curtem in Gejura.
Curtem in Pescolari; quam a Brando, & Ancelfrit carrubiatam habuimus.
Curtem in Felictu.
Curtem in finibus Salernae (*c*) in Barbazano.
Curtem in Campo Famelicu, ubi ad Sanctum Doninum vocatur.
Curtem ad Lunatis.
Curtem ad Buinianum (*d*).
Curtem in Cauduni (*e*).
Curtem in Triciu.
Curtem in Salice.
Curtem in Cardulisi:
Curtem in Ambicitu.
Curtem in Moliarino.
Curtem in Criti, quae dicitur de Criveristi, quam per Donatum, & Johannem emtam habuimus.
Curtem in Sabezana.
Curtem in Banie, ubi dicitur ad Sanctam Felicitatem.
Curtem in Vinianu.
Curtem in Planu.
Curtem ad Auri.
Curtem in Tamaricellu.
Curtem in Scarpulani, quae dicitur de Mais:

Cur-

(a) *Casole*.
(b) *Ponticello*.
(c) *Salerni*.
(d) *Buccianum*.
(e) *Caudinu*.

Curtem in Muſſanis.
Curtem in Mequana.
Curtem ad Iſcla.
Curtem in Teternu.
Curtem in Petoranu.
Curtem ad Teſtazzu.
Caſtanietum in ſilva, quae dicitur de Furti, propinquo Caſali de Pergole.
Caſtanietum ad Sanctum Trifonem propinquo ipſi Curti Potenandi. Paſtulum noſtrum infra Civitatem Arpu, & Fabianu, quam habuimus per Galpertum, & Gualfaſum germani.
Curtem ad Ruſtinum.
Curtem de Sinderiſi in Canoſe, quae fuit commune cum Curte Domini Siconi portionarii noſtri.
Haec omnia ſupraſcriptae Curtis, quae habuimus in finibus Beneventanae, excepto ipſe Curti, quas habuimus in Latinianu, quae non ſunt hic abbreviatae.
Haec omnia ſupraſcriptae Curti, quando vobis opportune fiunt, inquirite ipſa munimina, & invenietis ibidem, quod vobis neceſſe erit facere. Et orate pro me, & pro genitore veſtro.

Arderici (94) Carmen ad Roffridum Comitem illuſtrem.

O Comes, excelſo praefulgens culmine Rofrit,
Pectore Pierium percipe Poema pio.
Mos tuus, & ſpecies nam prodit, & actio, quicquid
Ardericus refero, haec ego pauca boans.
Promere nam dignum nequeunt te pagina, mille
Ora, ſtilique. Loquar parcius ipſe tamen.
Stirpe ſatus celſa, renites virtutibus almis,

(94) Vide Praefationem meam in hunc Librum, ubi quae mea conjectura ſit de hoc *Arderico*, & *Roffrido Comite* heic laudato, expoſui.

Ardentes oculos cordis in arce gerens.
Carne es sic pulcher, sic pulcher acumine sensus,
Alter te ut nullus pulchrior esse queat.
Es patiens, verax, solers, mitissimus, insons,
Praesagus, promtus, dapsilis, atque potens.
Tu concors, prudens, dives, moderatus, honestus,
Nosceris in cunctis Orbis, opime, locis.
Facundus, castus, clemens, cautusque, benignus,
Jucundus, miserans, fortis, amandus, amans.
Famosus, clarus, verecundus, promtior, audax,
Angelicus, dulcis, aequus ubique manens.
Longanimis, laetus, vivax, elegansque, quietus,
Pacificus, largus, magnanimisque, sagax.
Astutum, sobrium, parcum, facilemque, piumque
Te cecinit Mundus omnis amore sacro.
Communem, gratum, justum, fidumque, pudicum,
Te docet, ac humilem, actio sancta tua.
Te Paradisi acuit divino dogmate fervor;
Fastibus, & dapibus frueris axe datis.
Astrigeros callos reptas pro moribus Aulae:
Scandere jam summos crederis, alte Comes.
Urbs valet in magno ceu sistens monte latere,
Sic latitare tua jam bona cuncta queunt.
Qualiter abscondi poterunt magnalia tanta,
Quae tellus, quae aether clamitat, atque tonat.
Te bona cuncta volunt; vis tu bona cuncta, tenesque
Te fugit omne malum, tu fugis omne malum.
Sardius, & cuncti lapides, pariterque smaragdus,
Te decorant, vellet sicque beryllus, onyx.
Jaspis, carbunculusque, topacius, atque hiacynthus,
Chrysolithus, nec non teque zaphyrus amant.
Te varius Secli flos, te redimicula cuncta,
Te nix, crystalli, te aurea flamma cupit.
Tu Coluber prudens, simplex sine felle Columba,
Fessorum requies, spes inopumque manes.
Aut sensus praefert te te Salomonicus amplus,
Vultu Absalonico, te superorumque decus.

Ro.

Robore Samsonem, Achitofel consultibus artes:
Te pie omni populo Graecia major alit.
En quia te tantum virtutum culmen adhaesit,
Ut mihi sis carus, opto precando Deum.
Te genus, & sensus det cunctis esse sodalem,
Te mihi propitium praestet amica fides.
Ne exiguum spernas me, qui prae nectare mellis
Diligo te: placeat sed sociare mihi.
Hinc ego te patrem, matrem, fratremque, sororem
Optatam reputem, corpore, corde dolens.
Laudum jamque precum finito Carmine, Christus
Concedat nobis, dicta quod ista docent.

Carmen in laudem Landulfi (95) Principis Capuani, & Salernitani.

EJa fratres decantemus Carmina dulcissima;
Ad Landulfi Domini laudem sublimis Patritii,
Ac ejus recenseamus cuncta felicissima.
Ortus fuit ex Bardorum stemmate clarissimo.
Illi, de quibus duxit parentes propaginem,
Omnium Vardiginarum exstitere Principes.
Sapiens in verbis iste, prudens in operibus,
Audax nimis, velox, fortis, Rex David ut extitit.
Sicut navigator desiderat ad portum venire,
Ita Scriptor Librum desiderat finire.

(95) Inter tot Landulfos Principes a Peregrinio memoratos in Stemmate Atenulfi I. pag. 326. Tom. II. Rer. Italicar. etsi non constet, quis fuerit memoratus heic Landulfus, attamen Landulfum IV. qui cum Pandulfo Caputferreo patre per ea tempora regnavit, heic innui verisimilius puto; is enim Anno 980, quo Salernitanus ipse floruit, & Capuae ac Salerno est dominatus.

AD EXPLANATIONEM CAP. X. ET XIX.

ANONYMI SALERNITANI

In quibus de antiquis aliquot Capuae Basilicis agitur,

FRANCISCI MARIAE PRATILLI

COMMENTARIUS.

QUoniam in notis ad Cap. XIX. Anonymi Salern. in quo de Constantiniana Basilica differit, paucis fortasse se expedit Peregrinius noster, neque aliquid Muratorius addidit; ac licet illius Historici errorem (quem postea Michaël Monachus in suo Capuani Sanctuarii opere ineptissime sane adoptavit) detegat, rejiciatque, rem tamen magis illustrandam censeo, ut quae breviter Campanus noster innuit; semotis quibusdam fabellis, ac futilibus nugis expeditior ad veritatem dignoscendam aditus pateat. Monachus igitur, qui in verba Anonymi, seu Pseudo-Erchemperti, ut superius dictum est, jurare obnixe contendit, Constantinianam Basilicam, cum ea, quae S. Stephani nominabatur, confundere nisus est, atque unam omnino eandemque fuisse autumavit, quae S. Petro, ceterisque SS. Apostolis IV. Chr. seculo, atque B. Stephano Prot. posterioribus seculis dicatae fuere. Verum ut ea, quae deinceps explananda erunt, facilius intelligantur, generatim primum propono; quae ni certa aliquis, & omnino explorata contendit, verisimilia saltem esse nemo unus profecto inficiabitur.

I. Basilicam Constantinianam sub Constantino Magno Imp. Anno circiter CCCXXIV. revera Capuae exstructam fuisse.

II. Eandem a Gothis, Wandalisque direptam, flammisque

misque semel & iterum seculo V. datam.

III. Postmodum reaedificatam, breviori tamen spatio circumscriptam, Paroeciamque ad vicinorum vicorum commodum destinatam fuisse, translata interim in Sacello S. Mariae Majoris Capuae Episcopali Sede.

IV. S. Germanum, tam illustrem Capuae Antistitem; post annos circ. CC. aliam a Constantiniana in sua Urbe S. Stephano Prot. Basilicam posuisse, quod Byzantio eo allatas S. Protomartyris reliquias collocarat.

V. Eandem postremo Basilicam, destructa a Saracenis Veteri Capua A. circ. DCCXL. semper stetisse, eâdemque formâ, quod ex S. Stephani in Veteri Capua nuncupatione etiamnum vestigia praeclarissima ostendunt.

I. Et quidem quod ad primum attinet, ex continenti Campanorum traditione probatur, a Constantino M. Basilicam SS. Apostolis Capuae nuncupatam fuisse. Is enim, pace tandem Ecclesiae composita, postquam Romae prima Templorum jecisset fundamenta ad Christiani cultus Religionem, quam susceperat exornandam, Ethnicorum superstitione sublata, Basilicis ibi illustrioribus, & ad magnificentiam usque erectis, cum ad Appiam Viam, qua Brundisium, & inde ad Orientales plagas versus iter Capuâ pene intermediâ consedisset, & Consularibus Praesidibus, sive Campanae Provinciae Praefectis Capuam ipsam decoravit, & Templum ad Christianae Fidei incrementum ibi excitavit, quae alterum post Romam locum obtinuit; atque ut sicuti illustris Provinciae ornamentum erat, etiam Religionis fieret statim altrix, ac particeps. Quod profecto ex vetustis Capuanae Ecclesiae monumentis, & ejusdem Sanctorum Actis evincitur. Hoc idem Anastasius Biblioth. in S. Sylvestro, aliique Veteres post eum Scriptores Ecclesiasticae Historiae testantur; neque unquam a posteris in dubium revocatum, ut probat V. Cl. Ciampinius in suo de Basilicis a Constantino M. erectis Opere; aliique passim idipsum confirmant.

Huic Basilicae Piissimus Imp. permultas adscripsit possessiones, seu *Massas* (utar ejusdem Anastasii verbis) ad

ad alendos ministros, vasa etiam, ac supellectilem, ad sacra peragenda mysteria, quamplurimam, aliaque quibus Magnus ille Piusque Aug. non tam Divino cultui, quam ejusdem Ecclesiae inservientibus opportune consuluit, ut videre est apud cit. Anast. Ciaccon. Baron. aliosque in S. Sylvestro. Neque dubitandum omnino erit, quin haec Basilica ab eo usque tempore Constantiniana vocitata fuerit, ut ex Charta quadam donationis Benev. Principis Arechisii A. DCCLVII. quae adhuc inedita Capuae servatur, eamque alibi dabimus notis illustratam, in qua hujus antiquae Constant. Basilicae memoria proditur. Ad hanc item Basilicam vetustorum Capuae Antistitum Sedem fuisse nec ambigendum existimo. Quare *Synodum* illam *Capuensem*, sive totius Italiae Concilium, in quo Antiochenae Ecclesiae scissurae aliquot componendae, necnon Bonosi Coloniae Agrippinensis Episcopi errores proscribendi erant, in eandemmet convocatum fuisse haud moror adserere. Quo enim augustiore, praecelsioreque Templo consessus tantorum S. Ecclesiae Patrum colligi poterat, cui D. Ambrosius Mediolani Antistes a Siricio Pont. Max. S. Sedis Apostolicae Legatus praesedit A. CCCLXXXIX. ut apud Labbaeum, Christ. Lupum, aliosque Conciliographos habetur?

Quod huic Basilicae Capuani primum Praesules resederint, ibique tumularentur, ex inopinata S. Rufini ejusdem Urbis Episcopi a B. Decoroso ejus successore seculo Christi VIII. inventione corporis plane evincitur, ut videre est in Actis ejusdem. Quod ibidem fortasse eruaum puto, ubi SS. illorum anonymorum ossa deinceps tnno MDCCXIX. sub ara maxima veteris Metrop. Ecclesiae inventa fuere a Cardinale Nicolao Caracciolo ejusdem Archiepiscopo, cum novum illud magnificentius Templum construere coepisset. Cum enim Basilica illa Constantiniana usque ab Alarico Rege A. CCCCIX. flammis arserit, ut infra dicam, atque vastata fuerit, & eorumdemmet Sanctorum ibi quiescentium corporum nomina loculis sive cineribus intermixtis deperiissent, atque

inde

inde etiam a S. Decoroso eruta, & ad Fidelium cultum in Stephaniana Basilica, de qua mox sermo, fuissent exposita; in prima novae Capuae Metrop. Templi hujus exstructione seculo Chr. IX. post longum temporis intervallum eo tandem translata, sacroque cultu, ac signis munita, ab eodem Card. Caracciolo Archiepiscopo, Eminentissimo tunc Vincentio Card. Ursino Benev. Archipraesule (qui paulo post in Petri Cathedram adscitus fuit) dedicante, sub Ara hypogaei ipsius Majoris Ecclesiae, sive Sancti Christi Domini Sepulcri iterum iisdem in marmoreis urnulis recondita fuerunt A. MDCCXXII. Has tandem reliquias ex conjecturis admodum verosimilibus, aliisque concurrentibus argumentis, ac signis SS. Rufini, & Aristaei Capuae Antistitum, atque SS. Antonini pueri, & Felicitatis judicarunt dignissimi Praesules, ac Theologi hac de re eo advocati, ac congregati, meâque operâ, & sententiâ usus Josephus Schinosus Casertanus olim Episcopus, qui Ponentis officio ea in re fungebatur, ut alio in Opere, Deo opitulante, opportunius differam.

II. Alaricus Gothorum Rex sub invictissimo Imperatore Honorio Aug. Italiam invadens, postquam Romam Urbem ingressus esset, atque depopulatus, Campaniae etiam regionem, ejusque Principem Urbem Capuam devastando, Constantinianam Basilicam sacris suis thesauris exspoliavit, incenditque. Tunc qui ex tanta caede, & incendiis superstites evaserant, in *vicos* dispersi sunt, Antistitum quoque fortasse Sedes in Aedem, sive Cryptam *S. Mariae* (quae vulgo ex eo tempore *Suriorum* cognomine appellari coepta, ut infra innuam) usque ad Constantinianae restitutionem translata fuit. Vix tamen haec instaurata fortasse fuerat, cum A. CCCCLV. illuc adveniens Gensericus Wandalorum Rex, his locis quoque occupatis, Basilicam novo rursus igne absumsit: quo ex tempore nunquam deinceps, ut opinor, suum pristinum splendorem recuperavit; sed ad Adiculae dumtaxat formam redacta veteri sua magnificentia, Paroeciae tantum fuit insignita titulo sub invocatione *S. Petri ad Corpus*; illuc enim

enim Urbis Corpus. Primores scilicet, & Decuriones varie dispersi statis diebus conveniebant, ut annonae Urbis, ceterisque Civium commodis consulerent. Quod reliquum vero Basilicae fuerat (quod hactenus suis circumductum moenibus conspicitur, itemque scala instar cochleae, qua ad turrim Campani aeris adscendebatur, aliaque rudera ostendunt) desolatum impluvium nunc recens exstructae Ecclesiae occupat. Nec tum ad magnificentius instaurandam Basilicam illam satis erant veteres Campani, qui direpta Urbe, ac flammis absumta summâ laborarunt inopiâ. Nec alio tum Ecclesiam illam nuncupatam nomine fuisse opinor, quam S. Petri, quae primum nedum illi, sed & ceteris SS. Apostolis a Constantino Magno dicata fuerat, & vulgo deinceps *S. Petri*, *SS. Apostolorum*, & *Constantiniana* Basilica vocitata.

III. Destructâ tandem Constantinianâ Basilicâ, in vetustum S. Mariae Majoris Sacellum Episcopi Sedem translatam verosimile puto: jam enim a Fidei Christianae primordiis, Petro Apostolorum Principe Capuam appellente, Cryptam, Sacellumque exstructum pia omnium traditio perhibet: nec profecto post D. Petri adventum ullum Capuae fuisse Oratorium, quo clam Fideles convenire, verbum Dei audire, sacrisque Mysteriis instrui tutius possent, credendum est, cum prima haec Apostolorum sollicitudo fuerit, ut ubi grex Domini pasceretur, remotus esset locus, ibique Episcopi praedicarent, baptismo illum abluerent, aliaque Sacramenta opportunius, semoto periculo, ministrarent. Amplius proinde super eandem Aediculam, Cryptamque Templum aedificari debuit a Sancto Symmacho Capuae Episcopo (ut ex adjecta ibi inscriptione eruitur) anno circ. CCCCXXX. scilicet paulo ante quam magni Nolae Antistitis Paulini, una cum S. Benedicto Aeserniensi Praesule Symmachus morti, ut refert Uranius in ejus vita, affuit, & ad extremum agonem confirmavit. Tunc quidem nondum instauratâ Constantinianâ Basilicâ, Episcopum Sedem suam posuisse, & cellas quoque, seu Cameras quasdam ibidem exstruxisse, ut una secum

Cle-

Clerici Sacris miniſtrantes inhabitarent, putandum profecto eſt; quo quidem ex tempore Eccleſia S. Mariae, cui fuerat dedicata, *Suriorum*, a *Vico* fortaſſe ab hujus familiae viris pone eam incolentibus, nomen deſumit, ejuſque rei argumenta veteres lapides *Suriorum* nomine inſcripti ſuppeditant: quod deinceps ignarum, ineptumque vulgus *Suricorum* vocitare coepit, addita famoſa illa puerili fabella: *nempe Henricum cujuſdam ignoti Imperatoris filium Templum illud excitaſſe, quod ibi quadam nocte mures eum lambentes, a lepra, qua afflictabatur, liberaſſent, Virginis Deiparae fultum patrocinio; ac ob tam inſigne beneficium ibi ad parvam aediculam, magnificentiſſimum Templum conſtruxiſſe, ac Suricorum inde adpellatum*. Quam quidem inanem fabellam brevi quadam ad Michaëlem Monachum ad ſuum Capuani Sanctuarii Opus emendandum datâ Epiſtolâ Camillus noſter Peregrinius explodit; (quam Tomo ultimo hujus Operis edam) qua nuperum Scriptorem hiſtoriae hujus Capuanae Eccleſiae plagii crimine accuſat; ibique itidem opportunius de hac re diſſeram.

At ut unde hujuſce fabuloſae narrationis initium proficiſcatur, ex hujus Anonymi hiſtoria fluxiſſe nihil moror adſerere, quod idem Peregrinius adverterat. Verum quamvis, quae Cap. X. narrat Anonymus, fabellis referta animadvertantur, non abs re eſſe quiſque eruditus vir cenſebit, qui ad ea, quae ad illuſtrandam hanc Eccleſiam pertinent, diligenter attenderit. Exiguum ſane VIII. Chriſti ſeculo ſuper Cryptam Deiparae Virgini ſacrum ibidem Sacellum poſitum fuiſſe, ex iis, quae is de adventu Caroli Magni Regis in Arechim Beneventi Principem promit, manifeſte colligitur: *His dictis*, inquit, *Epiſcopi ſcilicet Beneventani cum Rege Carolo, atque ſimul gradientes pervenerunt ad quandam Eccleſiam, quae non procul a Capua Urbe ſita erat*. (Ea vero pars Urbis intelligenda, quae circum Conſtantini Baſilicam, ſeu *S. Petri ad Corpus* protendebatur) *At ipſi Epiſcopi: hac quidem nocte Domine Imperator* (profecto nugatur: nondum

Tt Augu-

Augustus tunc Carolus creatus erat) *hic quiescamus* (prope Ecclesiam plane tum aedes sacris Ministris destinatae exstabant, ubi immorandum Regi suadebant Episcopi) *&* *crastina die, quod diximus, vestrae ditioni adimplebimus.* (ut Arechis scilicet eorum hortatu se Regis Majestati sisteret, & quae Deo voverat, in ipso perficeret) *Mane inde facto, exsiliens cum ipsis pariter properabat, & Episcopi in quadam Ecclesia sub vocabulo S. Protomartyris Stephani eum perduxerunt*; ibique imaginem Arechis Principis in muro depictam is pluries percutiens, coronam e capite ejus abradere jussit: dehinc positâ in Principem iracundiâ Regis, hortantibus etiam, atque exorantibus Praesulibus, pax eidem Benev. Principi concessa est, ut idem memorat Anonymus. Hinc plane fluxisse adfirmat Peregrinius figmentum illud *Suricorum*, ut iis scilicet Henrici (indocta quidem posteritas pro Arichi Henricum dictum putavit) dormientis malam scabiem lambentibus, dum ibi tentoria fixerat ad Puteolanas balneas perrecturus, Deiparae auxilio, cui Templum ponere voverat, sanatus adfirmatur. Arichis igitur (subdit Peregrinius in sua ad Monachum Epistola an. MDCL.) Princeps Beneventanus Caroli minis territus, a quo e solio exturbandum timebat, Deiparae Virginis ope, quae tum ea in Aedicula colebatur a Carolo, qui ibi ea nocte Episcoporum suasione manebat, pacem enixis precibus flagitans obtinuit, quam primum obstinate reluctans Rex negarat. Quare tanto obstrictus beneficio Princeps in grati animi monumentum Virgini magnificentius Templum exstruxit, illudque, ex alio fortassis veteris urbis diruto aedificio transvectis praecelsis columnis, elegantissime exornavit; quo ex tempore, ut diximus, Templum illud, quod *S. Mariae Suricorum* dici consueverat, *S. Mariae Gratiarum* appellari facile poterat, & *S. Mariae Majoris Capuae*, ut in Chartis XI. seculi legitur, & XII.

Quae sane opinio validiore fundamento fortasse niteretur, nisi capsulam quandam vetustam, quae in hujus Ecclesiae Tabulario olim adservabatur, papyraceis, char-

taceisque

taceisque monumentis refertam, Ministrorum ejusdem Ecclesiae inscitia, quod prorsus inutilia, quippe explicatu difficillima putarentur, combussisset. Satis porro illis erat figmentum illud anilis instar ad foculum fabellae de muribus lambentibus, quam ineptissime ebiberunt, ac etiamnum obstinate credunt. Immo commenta commentis addentes, Basilicam hanc, ajunt, a quodam Pontifice Max. cujus nomen ignoratur, consecratam volunt, atque Angelorum manibus nocte ipsa vigiliarum solemnis Dedicationis Kal. Augusti super altare Diploma quoddam, aureis literis conscriptum, fuisse repositum in haec verba: *Si quis venerit ad hanc Ecclesiam a primo cantu galli usque ad totum diem Kal. Aug. remissionem habeat omnium peccatorum. Ex ore Domini nostri Jesu Christi dictum est.* Quot facinora, diceres Lector humanissime, in uno crimine! At satius revera fuisset, si illis papyraceis monumentis pepercissent, nec flammis dedenda putassent; nec Cryptam illam, quae sub illudmet Templum effossa erat, sua vetustate profecto colendam, immissâ cadaverum copiâ, quo tempore dira lues in Neap. Regno grassabatur A. MDCLVI. minime foedassent; sicque Ostio illius occluso, ac sigillo hac inscriptione munito: *Tempore pestis A. MDCLVI. non aperiatur*, illius memoria omnino deperiit. At age in hisce referendis ineptiis diutius immorari non vacat.

Nunc quod ut verisimile opinari licet, in medium afferam. Basilicam, de qua memini, ex Peregrinii sententia ab Arechi Beneventi Principe, sub cujus ditione, Capua quoque tunc erat, laxius, ac magnificentius amplificatam cognoscimus. Neque hanc solummodo Ecclesiam aut exaedificavit, aut dumtaxat instauravit Piissimus ille Princeps, sed alias quoque complures in suo Principatu vel e solo excitavit, vel restituendas curavit. Postmodum cum Capuana Ecclesia diro schismate exagitaretur sub Johanne VIII. Papa, idemque Pontifex ad illud componendum illuc accessisset, ut ex ejus Epistolis ex Erchemperto, Anonymo Salernitano, aliisque discimus,

Tt 2 Ca-

Capuana tota Dioecesi inter electos Landulfum, & Landenulfum divisa, postulante Landulfo, cui Ecclesia S. Mariae Suricorum administranda obtigerat, eandem fortasse dedicavit; ac jam tum exeunte scilicet seculo IX. illius Ecclesiae dedicatio Kal. Augusti sollemni pompa ac populi concursu celebrari coepta; praesertim Indulgentiarum munere ab eodem Pontifice locupletata, quae nonnisi perraro eo tempore a Jesu Christi Vicariis impertiebantur. Posterioribus deinceps seculis eadem Basilica celebrior evasit, nundinarum etiam a VI. ad postrid. Idus Septembres indicto tempore, ex privilegio Roberti Regis Neap. Caroli II. Audegavensis filii, qui in Turri S. Erasmi, seu veteri Capuae Capitolio, ab eadem Ecclesia haud longe dissito, se natum adfirmabat; ut ex Regesto ejusdem Regis in Reg. Camerae Tabulario signato eruitur, de quo alibi meminimus. Hinc prisco sane aevo ibi Canonicorum Collegium, ac Primicerium ad sacra peragenda institutum fuisse haud dubium sit; cum in antiquis Chartis a seculo XII. ac XIII. quas ipsemet legi, de eadem Episcopali Cathedra fiat mentio, Capuaeque Archiepiscopus ejusdem Archipraesulis Vicarius in his veteribus monumentis nuncupetur, ut Episcopalis haec Cathedra vetustate sua ceteris merito antecellere dicatur. At ad alia, quae initio proposui, redeat sermo.

IV. Ex allatis super Anon. Salernitani verbis, alterius Basilicae mentionem habemus, S. Stephani Protom. scilicet, quam omnino a *Constantiniana* Basilica, & S. Mariae ***Suricorum*** aliam fuisse dico, illamque eo quidem tempore constructam, quo Constantiniana bis in cinerem redacta fuit seculo Chr. V. a Gothis & Wandalis, ut dictum est, vix ibi parvum sibi exstruxere Sacellum incolae; neque aptum prope S. Mariae Aediculam Episcopium a S. Symmacho prius excitatum esse poterat, quod flammis etiam anno CCCCLV. absumta fuit; ac populus, Antistes cum Clero veluti tutum in iis procellis portum, Neapolim commigrarunt; ut & Galatiae, Suessulae, Acerrarum, Nolae, Atellae, aliorumque locorum incolae, suis

ſuis Patriis jam a Barbarorum ferro, & igne conſumtis; Seculo igitur VI. & anno quidem DXIX. quo S. Capuae Praeſul Germanus Conſtantinopolim ab Hormiſda Pontifice ad Fl. Anicium Juſtinum Seniorem Auguſtum ad Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam componendam, depreſſo ſchiſmate, Legatus S. Sedis miſſus eſt, eaedem fortaſſe Eccleſiae exſtabant. Sed quum ab Imperatore Auguſto reliquias S. Stephani obtinuiſſet Germanus, & Capuam regrediens adſportaſſet, novum exinde Epiſcopium moliri niſus eſt, cui S. Stephani nomen dedit A. circ. DXXV. illucque ſedem Epiſcopalem tranſtulit, camerasque, ſeu cellas Praeſuli clericiſque communes inhabitandas prope eandem Eccleſiam aedificavit. Quamvis vero pluries bellorum tumultu vexata fuerit, nullum tamen damnum ſenſit uſque ad An. DCCCXL. quo Capua vetus Saracenis in auxilium Radelchiſi Benev. Principis in Landulfum Urbis Comitem vocatis, deleta fuit. Eccleſia vero licet direpta, & combuſta (translata in Sicopolis Caſtrum Epiſcopali Aula, ut ex Erchemp. novimus) quam citiſſime inſtaurata creditur, dum anno DCCCLXXIX. tempore videlicet ſchiſmatis Landulfi, & Landenulfi Capuae Antiſtitum, eodem Erchemperto teſte, exſtare comperimus, una ibi Epiſcopali Cathedra ad Landenulfi Sedem poſita; in S. Mariae Aede *Suricorum* altera pro Landulfo, pace eo temporis ita inter diſſidentes fratrueles a Johanne VIII. compoſitâ.

V. Schiſmate itaque conciliato, & pacatis Praeſulibus, Capuana Sede bipartito inter ipſos diviſa, tam in S. Stephani Eccleſia, cui tunc ſubeſſe debuerat Conſtantiniana Baſilica (illi quippe vicinior, immo contermina) quam etiam in S. Maria, quae *Suricorum*, ut diximus, appellabatur, Epiſcopales Sedes fuere. At poſt utriuſque Antiſtitis obitum confirmata eſt Capuae Cathedra, iis viventibus jam diviſa; ipſaque novam Capuam, in qua nova Cathedralis Eccleſia aedificata fuit, ſuis cum ſacris reliquiis, ſupellectili, aliiſque rebus tranſducta, atque unita fuit, Divo etiam Stephano Protomart. & S. Agathae

thae Virg. dicata. Hoc perinde causae fuit, ut S. Stephani Ecclesia, quae in *Capua veteri* erat, appellari coeperit, tametsi suos Sacerdotes, ac Ministros haberet, suo etiam cum *Praeposito* (in aliquibus veteribus chartis *Primicerio*, atque *Abbate*, seu *Custode* cognominato) paulatim ab antiquo decore, ac celebritate nominis desciceret; itaut seculo Chr. XIV. exeunte in chartis passim vocitetur: *derelicta S. Stephani in Capua veteri Ecclesia*; *& destructa Ecclesia olim S. Stephani Capuae veteris ad catabulum*, aliaque id genus, quae ut brevitati consulam, praetermittenda existimo: quibus verbis satis exploratum sit, illam exeunte seculo citato jam derelictam, Ecclesiasticis reditibus ejusdem Templi Praeposito adsignatis, qui in parvo illius Sacello Sacra facere, ac in proximis villis Sacramenta administrare, & catechesim ad populum instituere teneretur. Haec etiam Praepositorum incuriâ, vel potius avaritiae labe, non diu stetere; perraro enim ibi sacri incolebant Ministri, qui Sacra immolarent, ac cetera peragerent ministeria; sicque pedetentim in simplex Beneficium reditus computari coeperunt, quo beneficiarii negligentiâ sensim pene diruti parietes, altaria desolata, excisa musiva, imagines Sanctorum, picturaeque insignes conspurcatae, erasae, ac pene abolitae fuere.

Verum, quae ad notitiam harum Basilicarum spectabant, abunde satis explicatis, reliquum est, ut quae a Langobardis Scriptoribus, Erchemperto scilicet, atque Salernitano Anonymo falso posterorum memoriae prodiere, omnino refellamus. Ac primum Michaëlis Monachi, qui in suo Capuani Sanctuarii eruditissimo Opere illorum ineptias secutus quam maxime effutivit, errores detegendos aggrediamur. Is enim Part. III. pag. 304. praecitati Operis, de Magno Constantino Imperatore verba faciens, & Part. I. fol. 46. in notis ad S. Rufini Episcopi Acta, opinatus est, Basilicam Constantinianam eandem omnino esse, quae S. Stephani, antiquum scilicet veteris Capuae Episcopium a S. Germano exstructum; fassusque est judicio se prius communi subscripsisse, quo diver-

versas illas fuisse crediderant fere omnes; nihilominus postquam a P. D. Antonio Caracciolo Erchemperti Historia in lucem edita fuit, sententiam suam immutandam censuit, ac unam eandemque fuisse Ecclesiam adfirmavit, quae SS. Apostolis primis Ecclesiae seculis dicata fuerat, deinde a S. Germano S. Protomartyri Stephano posita. At pace Cl. Viri, qui sententiam suam errore potius, quam veritate commutavit, quantum a vero abludat, nemo non videt. Is enim, qui nostratium tot Tabulariorum veteres Chartas evolutarat, totiusque Campanae Dioeceseos loca minutim lustraverat, e quibus veritatem colligere poterat, mirum quod magis caecutiverit, ac unam omnino Constantinianam, Stephanianamque Basilicam putavit. Sed Constantiniana quidem in media urbe sita erat, & etiamnum illius reliquiae exstant. Stephaniana vero ad septentrionalem ejusdem urbis plagam, qua Tifatini colles prospiciuntur, atque a priscis erutis Capuae moenibus vix pedibus L. distare cognoscitur. Quod ex Tribunarum fornicibus, campanariaeque turris ruderibus, aliisque id genus reliquiis planum omnino est. De iis in veteribus Chartis frequens mentio, & utriusque fines expresse, ac distinctim designantur, quorum monumenta hic singillatim agglomerare, res foret in longum nimis pertrahenda. Unum ex multis exemplum afferam, Chartae nempe cujusdam, quae in Tabulario Coenobii Monialium S. Johannis Capuae adservatur, quam anno MXCIII. conscriptam comperimus, quaeque haec habet: *Finis* (cujusdam horti) *murus veteris Ecclesiae Sanctorum Apostolorum, seu S. Petri ad Corpus &c.* ac paucis interpositis, subditur: *quae quidem terra loco ubi dicitur ad Cataulu* (corruptum a *catabulo*, in quo ferae spectaculorum ludis celebrandis inservientes publice alebantur, ibidemque prope S. Stephani Basilicam, nec longe ab Amphitheatro nomen adhuc retinet, ruderaque aedificii cernuntur, quae al *Cataulo* vulgo appellantur) *hos habet fines: ab uno latere via puplica, quae ducit at Episcopium S. Stephani, ab alio latere finis murus ejusdem Ecclesiae*

clesiae &c. En distinctim in hac veteri scriptura duarum Ecclesiarum fines descripti; nec eo tempore, quo S. Stephani Basilica aedificari coepta, SS. Apostolorum, seu S. Petri Ecclesiae nomenclatura desierat, ut male opinatur ex Pseudo-Erchemperti Caracciolani textu Monachus noster. Satis abunde Peregrinius argumenta produxit, quibus a Caracciolo editum Erchempertum Anonymi potius Salernitani Breviarium, seu Pseudo-Erchempertum Salernitano insitum esse demonstravit, ut veram proinde ipse Erchemperti Historiam (etsi nec sine mendis aliquot scatentem) ediderit, ut ipsemet suis in Erchempertum, Anonymumque Praeludiis testatus est. Quare non ab Erchemperto Monachus deceptus est, sed ab Anonymo, qui suam Historiam fabellis intexendo, veritatem obduxit. Neque fortasse ab aliorum sententia Anonymus discrepasset, quod ad S. Stephani Basilicam attinet. Is enim Cap. X. cum primum ejus Ecclesiae meminit, absolute ac sine ulla adjectione affirmat: *in quadam Ecclesia sub vocabulo S. Protomar. Stephani Carolum Regem perduxerunt &c.* Cap. deinde XVIII. inconsulto iis, quae primum pronunciarat, veluti suimet oblitus (nisi forte amanuensium ibi errorem velimus, ut infra dicemus) de Ecclesia eadem S. Stephani mentionem faciens, adjunctum, seu potius falsitatis notam adjicit, *& in Ecclesia*, inquit, *B. Protomar. Stephani, quae sita est in veterrima Capuae urbe, ab Imperatore Helenae filio Constantino, eamque in honorem omnium Apostolorum dedicari decrevit, licet postea a Beatissimo Germano ejusdem urbis Episcopo ob collatas ab Imperatore reliquias B. Protomar. Stephani, nec non & B. Agathae Virginis, proinde eam in honorem S. Stephani vocari jussit.* Quot ibi errores una vix periodo aggesserit Salernitanus, quisque jam novit; ac sane ipse Peregrinius adverterat, qui huic Capiti multas appinxit falsitatis, inscitiae, ac stoliditatis notas. Et quidem pleraque sunt in Anonymo, quae sibi omnino non constant; sed illud potissimum, quod quum is primum S. Stephani Ecclesiam absolute appellasset, deinde sub Apostolorum nomi-

nomine illam perperam cum Constantiniana confundit, ac unam prorsus, eandemque fuisse adfirmat. Aevo quidem suo quoque eas distinctas nosse poterat, qui, ut Casinense adiret Coenobium, Capuâ erat transiturus; haud procul enim ab ea utraque distabat Basilica, & quae à S. Germano Protomartyri Stephano, quaeque ab Imp. Constantino SS. Apostolis prius fuerat posita. Attamen, ne tam Salernitani hujus Anonymi memoriam offendam, conjici posse autumo amanuensium incuriâ tot ibi errores irrepsisse, quos ita paucis additis verbis emendare possemus. *In Ecclesia B. Protom. Stephani, quae sita est non procul a veterrima* (sic legitur in Codice Frecciano) *Urbe Capua* (Capuae enim urbis reliquiae ad Constantinianam Basilicam circumjacebant, ut dixi) *ubi aliam Imperator Helenae filius Constantinus in honorem omnium Apostolorum dedicari decrevit, propter a B. Germano collatas ab Imperatore* (scilicet Justino) *reliquias B. Protom. &c.* Ita fortasse Anonymi nostri fuere sensa, atque in antiquo autographo forte legebatur, quod amanuenses inde (nec insueto more) vel detruncarunt, vel corruperunt. Verumtamen non unum, aut alterum errorem in Anonymi Historia deprehendere licet, qui saepissime aniles, ineptasque fabellas ibi interserit, ut absolutam illam prodere Peregrinium puduerit. At non est, cur credamus, aliqua in ea, amanuensium interpolatione, irrepsisse; ac vel pro seculi illius nimia credulitate, vel jejuna rerum simplicitate nugis aliquot immiscuisse, ut ab aliis acceperat; ac ipsemet saepius confitetur. Equidem quae ipse de Spata Arichis, de muris Salernitanae Urbis, aliisque hujus surfuris figmenta enarrat, non tam risum, quam stomachum omnium profecto movent. Verum alia quamplurima, quae ab Ignoto Cassin. Erchemperto, aut aliis deperditis Chronologis nequaquam habebamus, nobis ipse distincte aliquando, aut confuse saltem tradidit, gratiasque illi pro hoc beneficio merito agendas censuit clarissimus Muratorius.

Sed ad Monachum nostrum regrediamur. Is igitur,

qui aut Erchemperto, aut Anonymo credebat, neutrum legisse, vel mente, quod legerat, ipsi excidisse oportuit, cum uterque Ecclesiae S. Stephani a Constantiniana, sive S. Petri distinctissime meminerit. En ejus verba: *Quocirca Johannes PP.* VIII. *Landenolfum pridem electum consecravit Episcopum, in Ecclesia Beati Petri* (haec quidem S. Stephani esse nequiverat, eaque omnino Basilica Constantiniana, ut supra notavi, esse debuit, & ab ipsa omnino diversa) *totumque Episcopatum inter ambos* (scilicet Landulfum, & Landenulfum) *aequa portione dividi praecepit. Ecclesia vero, in qua consecratio celebrata est, paulo post a Saracenis per Landenolfum vocatis, igne media exusta est*; atque hoc tertium fuit incendium, quo Constantiniana Basilica conflagravit, ut superius dictum est. Pluries deinde Erchempertus de Ecclesia *S. Stephani* mentionem facit. Cur ergo caecutire voluit Monachus in hac duarum Basilicarum distinctione, quae vere luce meridiana clarior est? Neque urgeant qui Monachi causam agunt, posse utrumque Erchemperti testimonium verum esse; quod scilicet & Ecclesia SS. Apostolorum, seu Constantiniana eadem sit atque illa, quae postmodum fuit S. Stephano dedicata. Hoc enim eorum veluti fundamentum per seipsum facile convellitur. Basilicam S. Petri eandem ac Constantinianam fuisse fatetur S. Paulinus Nolanus Ep. XXXIII. ad Elethium, in qua Alarici Regis damna Campanae nostrae urbi illata describens: *Videre enim*, inquit, *mihi videor tota illa religiosa miseranda Capuae plebis examina, illos pietatis Divinae Alumnos tantis influere penitus agminibus, in amplissimam Gloriosi Petri Basilicam per illam venerabilem Regiam coeruleo eminus fonte ridentem*! Cumque jam ex Erchemperto, Anonymoque didicerimus, uno eodemque tempore exstasse utramque Ecclesiam, unam nempe ab altera sejunctam, diversamque, S. Stephani videlicet, ac S. Petri: cur eas inde confundere debemus? Perlegat unusquisque, quaeso, totam schismatis Capuanae Ecclesiae Historiam apud hosce Chronologos, facile intelliget, quam male Monachus suam sententiam immutarit.

At

At parce, precor, humaniſſime Lector, ſi in Monachi caſtigatione vel tantillum adhuc immoror. Is profecto Acta Sanctorum Capuae ſub die XV. Februarii perpendit; & quidem ea, quae ad S. Decoroſum attinent, referens, haec habet: *Quo* (S. Decoroſus) *invento* (corpore ſcilicet S. Rufini, antiquioris ejuſdem Anteceſſoris) *in monumento ſcilicet juxta Baſilicam B. Petri Apoſtoli, illo e loco Sancti reliquias auferens, magna cum laetitia in Eccleſia SS. Martyrum Stephani & Agathae condidit*. Seculo igitur VII. quo S. Epiſcopus floruit Decoroſus, utraque omnino exſtabat Baſilica. At quia jam antea a B. Germano Epiſcopale Templum S. Stephano dedicatum fuerat, ibique Epiſcopalia miniſteria exercebantur, ejuſque oſſa cum aliis SS. Epiſcoporum corporibus conſepulta erant, dignum S. Decoroſus ſane fore exiſtimavit, in eandem quoque Baſilicam, ſive Epiſcopium, S. Rufini oſſa, una cum aliis in Conſtantiniana effoſſis, ſolemniter transferre, ut omnium ibi SS. reliquiae ſimul colerentur, populique frequentiae, ac devotioni eorum interceſſio reſponderet. Quo igitur abiit Monachi noſtri immutata ſententia, cum duas jam diverſas Eccleſias ipſemet agnoſceret, probaretque? Ipſemet etiam pluries fatetur, Epiſcopium S. Stephani a B. Germano aedificatum fuiſſe, ibique S. Paulinum ultimum Capuae veteris Antiſtitem praefuiſſe, diemque obiiſſe ſuum, quo tempore (nec illi dubium erat) Eccleſia alia erat S. Petri, *ad Corpus* appellata. Quam igitur ex iis dicet Monachus, Conſtantinianam fuiſſe Baſilicam? Haud Stephanianam eam fuiſſe contendet, quam S. Germanus e fundamentis erexerat, nec de alterius antiquae Eccleſiae inſtauratione cogitandum, quam Sanctus Epiſcopus abſolviſſet, cum id in Actis non legatur; nec Conſtantiniana tunc erat omnino deſtructa; ibi enim jam Epiſcopalis Sedes, & manſio in honorem SS. Apoſtolorum, ſive D. Petri, permanebat. Quo igitur evanuit Conſtantiniana Baſilica, quae, ut ipſemet confitetur, medium Capuae ſitum occupabat a Stephaniana omnino diverſa? Adde, quod ipſemet in nova ſui

Sanctuarii recognitione, quod Opus a me adhuc manu scriptum, suorum heredum munificentia dono datum, servatur, scripturas aliquot publicas ibi depromit, in quibus expresse meminit Ecclesiae *S. Petri ad Corpus*, *seu Sanctorum olim Apostolorum*, *quae pene destructa est*, *eaque sunt annis peracta* 1007. 1046. & 1101. quibus quidem annis adhuc Episcopium quamvis derelictum, *S. Stephani veteris Capuae* cognomine exstabat, *quae fuit antiqua mansio Episcopalis*. Fatetur etiam ex suo ille praeceptore Erchemperto *Landulfum electum filium Landonis* (*Capuae Comitis*) *cui sedem S. Stephani Episcopalem sub jurejurando tradiderat, a Castro Episcopii expellens in cellulam Sacrorum mysteriorum degere fecit*: & post pauca, adventum Johannis PP. memorans, ait, *Landenulfum alterum Capuanae Cathedrae Antistitem ab eo Basilicae S. Petri fuisse praelatum*. Nonne igitur diversae erant Basilicae S. Stephani a B. Germano exstructae, & SS. Apostolorum, seu S. Petri, a Constantino Magno aedificatae eo quidem tempore, scilicet seculo Christi IX? Haec tam valida, tamque praeclara argumenta haud Monachum moverunt, ut quod primo stabiliendum putarat, iis ad tuendam suam sententiam tamquam validissimis armis uteretur; quinimmo a se ipse parum cordate descivit, & adversariorum manus suis jaculis ad se coarguendum instruxit.

Atque haec, quae ad harum Basilicarum distinctionem, de quibus Salernitanus Cap. X. & XIX. confusim admodum, & indigeste meminit, attinebant, breviter persecuti sumus; & huic novae Peregrinii editioni adjungenda merito erant, nequid Lectori ad pleniorem hujus Historiae notitiam deesset.

FRAN-

FRANCISCI MARIAE PRATILLI

DE FAMILIA ET PATRIA

DIVI THOMAE DE AQUINO

IN VERITATIS PROPUGNACULUM

DISSERTATIO.

MAgnum ſane Reip. literariae foret emolumentum, ſi in veritatis perveſtigatione haud tantopere deſudandum eſſet, quae licet una ſit, nec ullis errorum involucris obtegitur, aliquando tamen fit, ut Scriptorum ſaepe vel negligentia, vel calliditate, in iis potiſſimum quandoque, quae de nobilibus familiis prodidere, veris falſa nonnulla plerumque permiſta videamus, quo ad eam dignoſcendam, nonniſi magno adhibito labore, aliquando pervenitur. Et quidem in illis imperitis, & barbariei tenebris obſitis ſeculis minus eſſet ferendum, niſi & inter Scriptores noſtri aevi, quo omnia fere, critice magiſtra ac duce, denudata ſunt, haec labes omnino ſerperet, ut caeco veluti furore abrepti, falſis interdum, fictiſque enarrationibus ſcripta ſua exaggerare non ſint veriti; ac eo demum illorum aliquando impudentia ac effrons inverecundia evaſerit, ut ad decorandas ſuas Eccleſias, quarum ipſi hiſtoriam deſcripſere, ſomniata illis uſque ad Apoſtolorum tempora tribuerint initia. Deſipiunt itidem plerique, quum pietate, aut literis, aut armis illuſtribus viris oppida ſua, ac patriam aſſignant, quos nec ea noviſſe quidem certo ſcimus. Hoc pacto vanis, ineptiſque figmentis hiſtoriam ſuam aggerentes foedant potius, quam ornant. Immo peſſimo Reipubl. literariae, & ad hiſtoricae veritatis dedecus eſſe commenta iſthaec, nemo non videt.

Quam ob rem de vera D. Thomae Familiae origine, ac

ac Patria Dissertationem hanc instituendam aggredior, iis, quae supra retuli de Peregrinio nostro lucem novam allaturus. Ac profecto in hac re, quum Scriptores quamplurimi desudarint, praesertim V. Cl. Scipio Ammiratus, & post hunc Ferdinandus de Marta Dux Guardiae in suis Geneographiis, noster etiam Peregrinius, & Michaël Monachus Canon. Capuanus in Sanctuario Cap. Filibertus, & Joseph Campanilis, postremoque Bollandistae, a quibus clarissime demonstratur, D. Thomas ex Familia Comitum Aquini ortum habuisse, in Castro nempe Roccaesiccae, quod illi Urbi subditur; non defuere tamen hac tempestate Scriptores quidam in Calabriae Provincia, qui levibus, ac medicatis argumentis aliter evincere praesumserint. Sero quidem ad me Liber pervênit *de situ Calabriae Gabrielis Barii Romae* non multis abhinc annis *typis recusus cum adnotationibus Thomae Aceti* Calabri, in quibus eximius scholiastes in tot Cl. Historicorum auctoritatem, & contra omnem verisimilitudinem opinionem ipse (an non manifestum Barrii commentum, sive Sirleti Pseudo-Barrii, ut putant?) confirmare conatur, ac D. Thomae Patriam Belcastrum Calabriae Urbem constituit.

Hanc profecto opinionem temeritatis, ac impudentiae probro notandam, rejiciendam suscipio; & ea, qua fieri potest, moderatione utar: cum difficile omnino sit eos, penes quos veritatis amor insideat, in iis, quae apertissimo mendacio convincuntur, se continere.

Atque ut ab origine rem omnem aperiam. Barrius „ Lib.IV.c.3. Divum Thomam filium Landulfi esse adserit,„ (quod quidem apud omnes indubium) „ hunc tamen Aquini Comitem nullatenus extitisse, sed Belcastri Dominum: „ ejus cognomen de Aquino fuisse lubens concedit, sed non „ ob id, quod ex antiquis Aquini Comitibus in lucem prodiderit, *Urbs quae in Frentanis* (subdit) *posita est*, *non in Campania* (ejus ad unguem verba refero, ut quo tendat eximia Barrii, Calabri Geographi, eruditio, cognitioque noscatur) *quod Geographi valde rudes adfirmant*, quorum

rum ipse profecto magister fortasse fuerat, & antesignanus. Id proinde quod gratis adseruit probare conatur, adjungens: *Nobilem Aquinorum Familiam aliis quoque in Calabriae locis existere, ut Consentiae, Tropeae, alibique*. Adsunt etiam extra Regnum Neap. sed origo unde fuerit, hoc opus, Barri, hic labor est. Adjicit, hujusmodi „ progeniem a Frajapane Romana familia exoriri, penes quos „ Aquinum in Samnio sub dominio habebatur (in Campania potius dicere maluisset) qua de causa familiae nomen „ inditum de Aquino: id evidenter ex Regesto Patrum Ma- „ gistrorum Ord. Praedic. constare ait (quem Catalogum centum fere & viginti annos post Divi Thomae obitum coeptum autumant, in quo legitur *Thomas ex Aquini Comitibus extitisse, qui etiam ex Belcastro, & Laureto, & olim Romani Frajapanes appellati* (quod utique certum eo temporis, quo series Magistrorum coepta est, quum tam Belcastri, quam Laureti Comites fuerint; non autem D. Thomae seculo); *e quibus* (scil. Frajapanibus) *in lucem quoque D. Gregorius Magnus editus est; imo apud Laureti Comitem antiquissimum exstare diploma*, inquit, *in quo Bohetius Severinus* (quot facinora in uno crimine!) *testis interfuisse videbatur*. Quod quidem venerandum antiquitatis monumentum eximii hujus Scriptoris diligentiae debemus, Aquini familiam Frajapanem fuisse didicimus. „ Quin etiam vetus Chronicon Veneti M nasterii „ SS. Johannis & Pauli id confirmat. Postremo concludit, „ Theodoram D. Thomae genitricem duas habuisse sorores, „ quarum alteram Ludovici Siciliae, Petri Aragoniae Re- „ gum alteram matrem extitisse. *Constat ergo* (colligit Barrius, & mirum profecto quod concludit!) *familiam vel Bohetii tempestate Belcastri dominatam fuisse*; atque ita „ evidenter ostendisse autumat, D. Thomam Belcastri natum: „ ac si Bohetii aetate quoad utile feudorum dominium usus „ obtinuisset „ (quod revera multos post annos, ut alibi di- „ cendum erit, introductum); & familiam Frajapanis tra- „ ctu temporis in Aquinam transmigrasse, ex sua sententia, „ vel in eam de Belcastro mutatam. Et quamvis merito

deinde

deinde permultas perpenderit difficultates, quae Belcastro, & Magnae Graeciae opponuntur, eas tamen (ut ipse ait) *traditione corroboratas* existimat, scilicet *ex tabula quadam antiquissima, quae Belcastri adservatur, in qua S. Thomae imago expressa, cum adhuc puer esset, qui quum comestibilia quaedam pauperibus eroganda detulisset, in genitorem incidit, a quo quid sinu ferret, interrogatus: Rosas, inquit, o pater, ad tegendam suam caritatem, quae in rosas statim revera conversae*. Curiosae quidem fabellae ad celebriorem historiam Brutiorum constituendam; nec tamen in mentem Barrio venit, bene enutritos ab infantia pueros a mendaciis abhorrere, nec tam fordide avaritia fortasse captus Belcastri Comes suis sibi effingendus erat, ut filium, quod eleemosynas erogaret, exprobraret. At crambem istam recoxit Calaber e Paulo Regio in vit. SS. Neap. qui haec etiam commentus jam fuerat Ann. MDLXXX. Regius tamen aliqua excusatione dignus profecto, qui haec miranda Aquini contigisse testatus fuerat, non Belcastri, ut Barrius somniavit. „ Hinc praetermittenda arbitror quae ipse subdit de Noëmicis pronepotibus Calabriae colonis, deque illius Provinciae ubertate, ac nobilitate super alias omnes Italiae, „ demto Latio, quod ibi Roma condita sit (multum talibus Roma debet officiis), quoniam in celeberrimi impostoris Annii Viterbiensis fontibus ebiberit Barrius, ejusque asseclae. Fabellae igitur scenam ita absolvit Geographus noster: *Apponant, obsecro, digitum ori, & obmutescant maligni obtrectatores, & detrahere desinant*. Quid ad haec nos? Illud Horatii in Arte Poët. occentare libet: *Risum teneatis amici*.

Ad fabulas, quas nobis Barrius obtrudit, novas Acetus illationes adjicit. „ Divum nempe Thomam ab aliquibus Theatensem appellari, Lucanum ab aliis, aut Neapolitanum. Jo: Ant. Campanus Aquinatem nominat, quam „ ipsi originem similiter Bollandus inscripsit, „ (Peregrinius, & Monachus ab Aceto reticentur, quos fortasse nunquam viderat, a quibus Campana illi origo tribuitur); ipse vero

Robertus

Cecche

Donatus Archiep. Benev.

rdus

Nicolaus

Bartolo. meus. Lisetta Barile Vxor.

Ioannes A. 1501

Baldasar 1460

Philippellus Domnicella de Aqu. Vxor 1401

Franciscus Iulia de Cap. Vxor 1391.

Berardi

Lando

Pandu


ulfus

Atenulfus





n. Cepparulisiul.



ro Acetus ex Belcastro prodiisse compertum habet, ac exteros pro se Scriptores adducit. „ Freherum scil. in Theat. Vir. „ Ill. & Jo:Bapt. Nicolosium Historiolex verbo Belcastrum, „ post hos Guilelmum Card. Sirletum etiam Calabrum refert (a quo fortasse primum haec futilis fabella in opusc. de emend. Brev. educta est) „ certo asserentem hoc evinci ex vi„ sibili illo fulgentique sidere, quod singulis annis annuo so„ lemnitatis S. Thomae die toti urbi adparet; ex quo in Bel„ castri Castro ortum habuisse certo intelligitur. Quis igitur Calabrum D. Thomam effingere ausus esset, nisi Calaber, quem alii deinde secuti sunt? At compertum omnino mox omnibus erit, Aceto praesertim, ac Brutiis quibusque Barrii, aut Sirleti propugnatoribus; & quod ab ipsis venditatur, & buccis crepantibus adseritur, velut aura levis difflabit. Indigna quidem hoc aevo talia commenta videri debent; ac veritas, de qua nemo unus ambigit, in dubium minime revocanda. Ac licet adversario meo palmam praereptam nolim, qui cunctis Italiae clarissimis viris praestare se putat, ei tamen in hac re adstipulari nullatenus possum. Ex Aquinatum igitur Comitum familia D. Thomam ortum constantissime adsero; & quidem Aquini, nobili quondam urbe, ac celebri is natus est; aut in Roccaesiccae Castro; eaque aetate Aquinorum familiam ne per somnium quidem Belcastro, aliive Feudo in Brutiis haud dominatam legimus.

Ut autem ea, quae dicturi sumus, melius intelligantur, in plura Capita Dissertationem hanc dissecabimus. In quorum I. de Aquinatum Genere. In II. de variis eorum ramis. De Aquinis Capuae in III. In IV. de iis Alveti, Cryptae (vulgo *la Grotta Minarda*) appellatis agemus. In V. De Aquinatibus Castilionis, & Belcastri. In VI. De Genitoribus, Fratribus, ac Sororibus S. Thomae. In VII. De vera hujus Sancti Patria tam quoad nativitatem, quam originem pertractabimus. In VIII. demum praesumtae Calabrorum opinionis fundamenta convellere nitemur.

CAPUT I.

De vera Aquinatum Origine.

QUanquam aliqui familiam de Aquino ex celeberrimis Aniciis, ac Perleonibus, seu Petri Leonis; aut e Romanis Frangipanibus, seu Frajapanibus progenitam opinati sint, ut Jo: Seifredus in Austr. Domus Geneal. typis data Anno MDCXII. Scriptor. MSS. *de Rossi*; auctoritate (ut ipse ait) Bohetii; Jo: Menardus, a Mazzella in Hist. Neap. relatus, ac fortasse etiam Boccacius, ut habet Marra in Famil. id vero nullo pacto Barrium movere debebat, ut absolute veluti ex cathedra, nullo adhibito examine, tamquam verum propugnaret. At quidem vel ipse Belcastri duntaxat monumenta evolutarat, tot aliis, quae in Regni nostri Tabulariis adservantur, neglectis: aut si in ea aliquando offendit, ut quae suae sententiae minime consentiebant, iis fidem adhibere recusavit. Hinc in illum lapidem incidit, in quem nimium suae opinioni confidentes ceteri offendere solent. Quod vero de Veteri Aniciorum, ac Perleonum Romae familia Seifredus, aliique tradidere, eamdem cum Serenissima Alsatiae, de Anspurgo, & Austriaca familia confundentes, instituti mei ratio minime postulat, ut de iis sermonem conficiam; altius quippe esset exordiendum, multumque a proposito fine diverterem. Obiter tantummodo heic dicam, Alsatiae seu Austriae progeniem (ex sententia clariorum tum Italiae, tum Germaniae Scriptorum) originem e masculina linea a Feramundo Francorum Rege, fuisque e liberis ducere, qui ex Alemannia, Franciaque alio familiam transtulere: ita ut ex Germania seu Francia, non ex Italia e Perleonibus, ut Volaterranus, aliique autumarunt, illam trahendam putemus. Hinc est, quod sicuti a vero aberrarunt, qui Austriacam familiam ex Aniciis, & Perleonibus ortam existimarunt, ita & hi quoque hallucinantur, qui Aquinatem ex iisdem propagatam adfirmant. Illam tamen, ex communi Genealogistarum, & Histo-

Historicorum sententia, a Langobardis Italiae Cisfyberinae Dynastis ortum habuisse satis exploratum est, ac rite ex antiquis Capuae Principibus, qui Aquini Gastaldatum alicui e suis nepotibus administrandum tribuerunt, deinde ut Comites in ea urbe dominati sunt; ut ex Ostiensi, Anon. Salern. aliisque Chronologis patet, & recte probat Ammiratus, Campanilis., Marra, Collenucius, Summontius, aliique, quibus Peregrinius etiam adstipulatur, & Mich. Monachus.

Quod autem ex Langobardorum Principum genere prodierint Aquini Comites, constat primo, eos semper (post introductam etiam in Regnum Neap. a Northmannis vivendi rationem *more Francorum*) illorum mores secutos, quod illos minime decuisset jure Langobardorum vivere, nisi Langobardi fuissent. Secundo ex synchronis eorum Auctoribus, post Langobardorum adventum, in Campana, Beneventana, ac Salerni Dynastiis pauci admodum Comites numerantur, qui ex Langobardorum sanguine non effluxerint, inter quos Aquini Comites adscribendi, qui multos ante annos sub Gastaldorum id titulo obtinuere; ut ex Ostiens.Lib.II.cap.18. ubi Landonis atque Athenulfi Aquini Gastaldorum meminit, demum Comitum ad Ann. MXXXVIII. Et Lib. II. cap. 16. de *Atenulfo cognomine Summucula* (*Summatula* legit Ammiratus, quem errorem inepte sequitur Castilio in Hist. Praedic. Lib. III. cap.20. qui de familia S. Thomae disserens, quamplurimos ex ea errores, & anachronismos ebibit, uti & Auctor vitae S.Thomae Aquinatis, quae exstat in fronte Operum Romae, Xysto V. mandante, impressorum A.1570. aliique quamplures) *Summucula*, inquam, *abavus eorum, qui Aquini Comites appellati*, quique ea in urbe A. IVM. dominabantur. Quis unquam sibi persuasum velit, e Romano genere, ac non potius Langobardico e Campanorum Principum effluxisse illos, qui ab iisdem ad Aquini Gastaldatum (quae tunc temporis urbs procul dubio Campanae Dynastiae suberat) fuerant destinati? Ostiensis insuper de hoc *Atenolfo Summucula* disserens, haec habet: *cum ei*

ad aures pervenerit, Mansonem Caß. Abbatem Pandulfi Capuae Principis consobrinum (quippe Teani Comitis germanum) *contraria factione obcaecatum detineri, illico hilaris effectus, Roccam Siccam, quam idem Abbas paulo ante construxerat, funditus evertit*. Idem quoque deinde subdit: *Abbatem illum ob supradictae Arcis constructionem maximum sibi invidiae, atque odii fomitem in Principatu Capuano accendisse*, quod non quasi solam Abbatiam, sed etiam Principatum sibi vindicare satageret, & *ob ea valde Capuanis infestum fuisse*. Nec profecto tam de infortunio Abbatis Summucula gavisus esset, nisi etiam ipse Campanus fuisset, atque ex illorum Principum genere, quorum tanti erat ex oculis spinam illam novae Arcis evellere, in quam deinceps offendere facile illis erat, atque in eas regiones Principatum extendere.

Ex eadem quoque progenitus familia Atenulfus ille Aquinas Cajetae Dux ad A. MLIII. constitutus, nepos fortasse Summuculae, non autem filius, ut quidam opinantur: ejus inscriptio sepulcralis a Capaccio, & Peregrinio ita refertur:

Dormit, Aquine, tuus Comes hic; Cajeta, tuus Dux
Magnus Atenolfus, Capua quem genuit.

En manifestam Aquinatum Comitum originem e Capuae Dynastis a coëvo Scriptore confirmatam, dum ait: *Capua quem genuit*. Clarius id ex Reg. Petri Diac. fol. 159. a t. colligitur: *Principes* (Capuae) *Pandulfum patrem anno Principatus XVI. & Pandulfum filium anno XIII. prid. Id. April. Ind. XV.* (epocha isthaec Pand. IV. & V. Principatus annos designat, & ann. MXXXII.) *Capuae jurejurando firmasse Abbatiam Caß. Abbati Teobaldo ad preces, & cum interventu Atenolfi Comitis, filii quondam Landolfi* (fortasse illâ jam obierat aetate Summucula, aut ejus filius) *Johannis Comitis filii quondam Landulfi, Petri Comitis* (de Albeto) *filii quondam Landonis Comitis, Adenulfi Comitis filii quondam Landonis Comitis, qui clamaba-*

mabatur Caputo dilectis nostris parentibus; *& qui sunt Aquinenses Comitibus &c.* Si igitur hac in Chartula a Capuae Principibus Comites Aquini *dilecti parentes* adpellantur, eccur praesumendum ex Aniciorum, & Frajapanum genere illos effluxisse, qui nunquam se ex Langobardorum stirpe deductos aut consanguinitate conjunctos somniarunt?

Praeterea F. Guilelmus a Tocco Conventus FF. Praed. Capuae Prior, ut vocant, indeque Beneventi, atque unus ex Deputatis in recensione vitae processus pro canonizatione D. Thomae Scriptor ejus vitae ante alios fuisse perhibetur, quam in Actis SS. Bollandianis insertam legimus, ac testis advocatus, aperte adserit (quod etiam Barthol. e Capua magnus Regni Protonot. testis in eandem causam adductus confirmat) *S. Thomam ex Aquini Comitibus a Campanorum Principum stirpe progenitum*. Post hos Jo: Ant. Flaminius ejusdem Praed. Ord. qui vitam ab eo descriptam Cl. Viro Leandro Alberto dicavit Bononiae A. 1529. in eandem sententiam discedit. Johannes Antonius praeterea Campanus in Latina oratione, quam in Sanctum habuit, de hujus parentibus disserens: *Landulfus*, inquit, *D. Thomae pater in Campana Urbe fundos habebat gentilitios* (ii adhuc seculo XIV. ab Aquinis possidebantur, ut infra). Et tandem in funebri oratione in oppido Fossaenovae recitata a F. Reginaldo Privernate suo tum discipulo, tum comite in D. Thomae naeniis scriptum legimus: *In praeclarissima Patria, in vetusta & primaria Volscorum urbe Aquino* (eosdem Barrius putavit Volscos, qui Frentani in Samnio) *ex clarissimis parentibus, iisque Principibus ..... magnus hic Doctor natus est*. Inde de ejus corporis habitu haec habet: *Fuit statura procera & recta, mentis illius rectitudini maxime congruens: colore triticeo, temperata corporis qualitate, grandi capite, modicum habente calvitium, molli carne, quae acumen ingenii, & excellentiam indicaret*. Haec ad unguem retuli, ut quae minutim de patria, moribus, genere, corporis forma, totiusque oris habitu Orator hic, cum de D. Thoma loqueretur, expendit, firmissi-

missimum argumentum est ad Barrium convincendum, ejusque Scholiastem Acetum, & Calabros omnes, confingentes S. Thomam non ex Aquini Comitibus, sed Belcastri (quod utique aetate illa in Divinae id Sapientiae *erat mente repositum*, ut infra videndum) ortum duxisse. Haec enim eo tempore, quo pretiosa Divi mors accidit, omnibus perinde cognita erant; confirmata proinde fuerunt in Canonizationis processu, ac a Calabris duntaxat Scriptoribus ignorata. Hoc quidem fortasse pacto Belcastrum urbem illustrare satagunt.

Miror sane, & aegrius fero, in tam clarae veritatis fulgore vel ipsum insignem antiquitatum nostrarum investigatorem Bartholomaeum Chioccarellum caecutisse, qui in suum Neap. Episc. Catalogum fol. 166. D. Thomam adscribere contendens (ac profecto validioribus utendum sibi argumentis erat) affirmat: *iste Sanctus, Patritius fuit Neap. de insigni Aquini Comitum familia Landulfi Belcastri Comitis filius*. At nondum plane expenderat Chioccarellus publicum Neap. Civitatis monumentum, quo Sanctum in Patronum eligi postulatum fuit, quod is affert fol. 169. in quo Breve Clementis PP. VIII. adnectitur, ibique habetur: *Cumque superiorum temporum memoria S. Thomas . . . ex antiqua, & nobili Comitum de Aquino familia oriundus similiter in eodem Regno tum sanctitatis, & miraculorum gratia, tum doctrinae laude clarus extiterit, laudabili consilio cum aliis Patronis suis adjungendum statuit*. Hoc profecto Pontificium Diploma haudquaquam de Neapolitana S. Thomae patria duntaxat loquitur, sed communi totius Regni nomine conceditur; nec Landulfus Aquini Comes, aut ejus filii ad Neapol. Patriciatus dignitatem se unquam admissos somniarunt. Imo Landulfus ille de Belcastro (quem Chioccarellus nimis oscitanter S. Thomae genitorem adpellat, & qui in Ecclesia S. Dominici sepultus quiescit) vix sanguinis ratione cum ipso conjunctus fuit multos post annos, quum Divus diem suum clauserit. Excusandus profecto hujus Auctoris error est, qui Pauli Regii Historiae nimium credidit, quam fa-

bel-

bellis innumeris commiſcet, ac Sanctum e Langobardorum primum ſatum ſanguine adſerit, dehinc ex *Apuliae Comitibus*, qui Northmanni. Neque excuſatione tamen digni Mazzella, & Engenius in Neap. Sac. cenſendi ſunt, qui etſi Barrii errorem minime adprobarint, in alium tamen inciderunt, Neapolitanum Civem S. Thomam exiſtimantes; decepti fortaſse quod ſua aetate in Aquinae familiae Sacello Neapoli exſtructo aliquot e Belcaſtri familia monumenta obſervarint. Sed nullius fortaſse culpae expoſtulandi; ſacellum enim, & ſepulcrum poſt ann. Chr. MCCC. conſtructa fuere; quo tempore jam D. Thomas multo ante defunctus erat, & apotheoſim conſecutus.

Atque ut retro aliquantulum ſermo redeat, Scip. Ammirati errorem detegendum heic arbitror, qui de Atenulfo Summucula verba faciens, Summaculam familiae ſuae eo cognomine vocitat, contra omnium Scriptorum ſententiam: *quam* (ſubdit) *familiam, ex Aquini conceſſione Atenulfo facta de Aquino vocitari coepiſſe, Summaculâ relicta*. At pace Cl. Viri Summucula cognomen fortaſſe, ſeu perſonae adjunctum erat, non gentilitium. Quis enim unquam ante, aut poſt hunc Atenulfum, Summucula cognominatus? Temporum quidem illorum conſuetudo erat, ut eximiae Langobardorum familiae a Feudis cognomen acquirerent (ut ex iis omnibus, quae e Campanorum Principum ſtipite ortum habuere, conſtat, *Galluccia* nempe, *Cajanellia*, *Roccaromana*, *Marzana*, *de Petruro*, *de Calatia*, *de Preſenzano*, aliaeque quamplurimae): hinc duo germani aliquando diverſa ſortiti ſunt cognomina. At nullibi omnino memoria exſtat loci alicujus in Principatu Capuano, qui *Summucula* ſit vocitatus. Eccur ergo dubitandum, quin hujuſmodi cognomen perſonae fuerit, cum id genus in Chartis Caſſinenſibus, quae Capuae adſervantur, non deſint exempla; ut *Atenolfus* (in eodem Aquinatum ſtemmate) *cognomine Riſellius*; *Lando, cui cognomen Caputo*; *Landolfus Mauri cognomine*; *Landolfus item, cui nomen Sadi*, aliique permulti? Immo ejuſdem Summuculae filius, aut Nepos Atenulfus alter,

poſt-

cit. Marra optime novit, quum ipse primus Acerranorum Comes fuerit: ab eoque Adenolfus, & Gubitosa; & ab hoc Adenolfo II. Thomas alter procreatus. Alii Atenolfi illius filii nedum Aquinenses Comites fuere, sed novam deinde Castri S. Johannis Marchiam adepti sunt. Ab eodem Raynaldo Pandulfi germano Aquini Comitis, Landulfus, ac Raynaldus alter progeniti, ut refert Riccardus a S. Germ. ad ann. MCIIIC. quem sequitur Campanilis contra opinionem Constantii in Hist. Neapolitan. hos fratres Landulfum, & Raynaldum Thomae I. Acerrarum Comitis filios fuisse, asserentis. Errat tamen Constantius. Thomas enim primus Acerrarum Comes ab Atenolfo Pandolfi filio natus est, qui Pandolfus supradicti Raynaldi germanus fuerat; ut patet ex Charta donationis, quae Capuae adservatur in Monasterio S. Mariae, in qua legitur: *Pandolfus & Rainaldus germani Comites de Aquino filii Landonis Comitis Aquinensis . . . donant . . . Monasterio S. Mariae*, A. MCLVI. Ille igitur primus Acerrarum Comes, Pandulfi nepos, patruum Magnum Raynaldum I. habuit, qui pater, ac D. Thomae avus fuit, ut e stipite nosces. Hinc est quod Sancti nepos non fuerit, sed in quarto collaterali gradu, a Landone Pandulfi & Raynaldi patre exordiendo, conjunctus. Hujus rei studiosi cit. Riccard. Sangerm. adeant ad Annos MCIIIC. MCCI. MCCX. MCCXXI. & MCCXXIX. Quod si de cunctis tam latae tunc temporis familiae surculis ordine sermo nobis esset instituendus, nimium fortasse temporis esset insumendum, atque laboris, quamvis pro distincta eorum genealogia, compertaque diversorum ramusculorum divisione certi essemus; nec nobis scriptae Chartulae, ac necessaria scitu deessent; magnum tamen conscribendum esset volumen. At mihi S. Thomae originem, eorumque, qui cum eo magis conjuncti fuerunt, quoad clarius, breviusque fieri poterit, illustrare sufficiat.

Primus cum B. Thomae familia propinquior ramus (post Cajetae, Arcis, Roccaesiccae, Alveti parvos

Comi-

Comites ex primario Aquinensis Dynastae stipite eductos) Acerrani Comitis fuit, a quo exordium duxit Thomas Atenolfi filius, ut sup. dixi; qui A. MCCXXI. celeberrimum illum Comitatum, aliaque oppida, dignitatesque a Federico Imp. Aug. consecutus est; atque hac de causa puto, Landulfum S. Thomae patrem insolens in familia nomen ei imposuisse, ut memorati Thomae Acerrani nomen renovaret. Ex hoc Comite Atenolfus genitus, cujus idem Ricc. meminit A. MCCXXIX. quum narret, illum brachio sauciatum in praelio Imperiales inter, ac Pontificios. De eodem Chartae Monasterii S. Mariae passim verba faciunt (ubi sepulcra etiam Acerranorum Comitum exstabant) ex quibus constat, ipsum A. MCCXL. donasse ipsi Monialium Monasterio „ in quo Agnes ger- „ mana sua sancte degebat, agros quosdam, ac domos Ca- „ puae sitas pro redemtione animae suae, & animae Tho- „ masii patris sui, & Fredesinnae matris suae. „ Atque haec quidem ignota Ammirato fuere, qui se nunquam uxoris ac filii Thomae I. Acerrarum Comitis nomen invenisse, palam confessus est. Atenolfus hic Thomam alterum genuit, qui A. MCCLXIX. solvit F. Margarito Syndico Xenodochii S. Johannis Hierosol. Capuae pro legato a quondam Thoma de Aquino I. Acerr. Com. ejus avo constituto, annuas uncias quinque, ut ex Arch. lit. D. fol. 42. Idem Thomas feuda alia in Agro Campano, Nolano, Atellanoque, ut in fasc. 12. Reg. Sicl. fol. 136. Ann. MCCLXXII. possidebat; ex quo Atenolfus alter procreatus, qui A. MCCLXXXIV. paucos post S. Thomae decessum annos cum Carolo II. Andegavensi Neap. Rege in celebri navali victoria, quam Rogerius e Loria Aragoniae Regis Classis Praefectus reportavit, in captivitatem redactus fuit. Atenolfo II. Acerr. Comiti Thomas III. ejus filius successit, qui post sui genitoris obitum A. MCCVC. Comitatu exspoliatus, vix ob singulare beneficium in Regno domicilium obtinuit. Huic Thomae III. A. MCCVIIIC. Sibylla de Sabrano in conjugio copulata, Ermengardi militis filia, ut legitur in cit. Arch. lit. A. fol. 16. a t. cum

annuo reditu unciarum 120. Hujus Thomae consanguinei Capuae aliquandiu tanquam privati cives sub cognomine *de Acerra* vixere. Plura de his Thomae jam dictis consanguineis, praecipue germano Landulfi, ibi in Chartis exstant monumenta: *Laudolfus de Aquino Thomae Acerrarum olim Comitis frater, dicti de Acerra*. Alibi: *in praesentia Jannucii de Aquino, cognomento de Cerra*, A.MCCCVI. Et in alia A.MCCCXIX. *Margarita de Aquino dicta de Acerra, relicta quondam Leoisii de Galluccio de Capua militis*. Atque ita omnino ramus iste Aquini Comitum ad A. circ. MCCCXXV. Capuae, e qua suum nactus erat initium, recisus omnino deperiit.

Heic etiam Lector opportune monendus videtur; quod sicuti ad distinctionem Aquinorum stipitis ex Acerrarum Comitibus, *de Acerra* ipsi denominabantur: sicuti & alii *de Alveto*, *de Arce*, *de Crypta* &c. ita quoque a Casertae Comitatu, quem Aquinates usque ad Manfredi Regnum obtinuere, *de Caserta* dicti sunt, ut clare ex Arch. Reg. Siclae deducitur A. MCCLXVIII. lit. O. fol. 85. a t. ubi de *Thoma de Caserta* verba fiunt, *qui olim tempore Manfredi Regis Justitiarius Siciliae erat*: & alibi legitur: *Gentilis de Aquino, qui dictus fuit de Caserta* lit. C. fol. 2. Et in Capuano Thesauro habetur Charta A. MCCC. *Thomasius de Aquino dictus de Caserta testis*; aliique passim.

Alter Aquinorum ramus ex Acerrano dissectus, fuit Comitum Asculi, ut docuit Ammiratus. Originem a Christophoro Atenulfi II. fratre, tertio Accerrarum Comite ad A. MCCXCII. sortitus est, quum Asculum ob merita sua a Carolo II. Rege, ut idem adfirmat, obtinuisset, privilegio Aquis expedito, quo Rex Provinciam tunc incolens, se oppidum illud, quoad viveret, Christophoro concessisse, ait; quod deinde ad suos filios, atque heredes propagavit. Uxor ejus Margarita de Sangro Theodorae Comitis filia fuit, ex qua Christophorus alter, Atenulfus, & Berardus (a quo Laureti Comitibus nomen, omenque concessum) nati; qui Christophorus uxorem nactus

Theo-

Theodoram Sanseverinam, atque ex his III. Christophorus, & Margarita progeniti, quae tamen, fratre praemortuo absque liberis, Comitatum in virum suum Riccardum Marzanum transtulit. Berardus Christophori I. filius natu minimus, Laureti Comitatum adeptus est. Hic Capuae ut plurimum moratus, Clericali militiae adscriptus invenitur A. MCCCIX. & MCCCXVI. In Charta A.MCCCXXVIII. die 23. Maii se primum Laureti Comitem adpellat, quum Metrop. Capuanae Eccl. pro patrimonio gentilitii Sacelli, suis a majoribus jampridem exstructi, *domos* quasdam *cum pomario, & piscaria ultra Casilini pontem* adsignaverit. Quare eam circa aetatem Lauretum Samnii Oppidum a Roberto Neap. Rege *ob praestata Regi servicia* eum adsecutum puto; qui Regium quoque *Cambellanum* Florentiae Neapolim regressus creavit, ut Jo: Villanus Hist.Lib.XI. Berardus & Thomasia de Molisio conjuges Thomam filium procrearunt Laureti Comitem II. qui pro Ludovico Hungariae Rege contra Johannam Reginam militavit Vill. Lib. XII. plurimaque illi Castra (Trentula, Loriano, & Ayrola in Capuano agro jam obtentis) alibi sita, dono data sunt, ut in Reg. Arch. fasc. 48. fol. 152. a t. At cum prolem nullam suscepisset a prima uxore Catharina de Montibus (Capuana illustri familia) Aloysii & Johannae de Aquila filia (ut ex quadam concordiae publica Scriptura inter virum suum, & Johannam socrum colligitur, quae Capuae in Thes. majoris Eccl. servatur A. MCCCLXXX.) Elisabetham de Sanseverino Tricarici Comitis filiam conjugem accepit; quae Franciscam, Berardum, & Cerbum illi peperit. Cerbus natu minimus Clericali quoque militiae addictus reperitur A. MCCCLXIX. & MCCCLXX. quo partem feudorum Alveti, Montis S. Johannis, Campuli, Septemfratrum, aliaque bona germano Francisco lubens cessit. Berardo etiam filia fuit Catharina, Roberto de Leonissa secundo nuptui tradita, quae in Chartis *Domestica Cambellana*, & *familiaris Reginalis* vocatur; nupserat namque primo Gezolino de Amygdolia, cui aliqua Aversani Agri oppida Johanna

hanna Regina adjudicavit Reg. R. Cam. lit. A. fol. 186. a t. & lit. C. fol. 157. An. 1306.

Defuncto interim sine liberis Francisco Jacobus ejus nepos, Berardi germani filius, in Comitatu suffectus fuit. Ipse cum Ursulina, filia atque herede Angelae de Capua Satriani Dominae, ut ex Ammirato, Comitatum hunc Lauretano adjunxit Anno circ. MCCCC. Jacobo Franciscus alter filius successit, cujus uxor Johannella de Burgo, illustris Francisci seu Checchi filia, Monderisii, & postea Piscariae Marchias suae Aquinati familiae adjecit. Alphonso de Aragonia Regi tum gratissimus, tum fidelissimus perpetuo fuit, quin etiam, ut Capua urbs Regi suo dederetur, curavit; eo quod ibi permultos Franciscus amicos, familiares, conjunctosque coluerat; insignisque civis, ac praecipuus fuerat patronus, omnium aestimatione, ac studio excultus, ut in parvo MSS. Codice Leonardi Rossi synchrono legitur, & in Actis Cancell. ejusdem Urbis. Hinc magnus Senescallus, ac demum magnus Regni Camerarius fuit, aliosque ad honores viam sibi stravit. Ex Ammirato, germanum alterum habuit Franciscus, nempe Berardum III. At ex Guardiensis Ducis Marrae, & P. Borrelli sententia in Vindic. contra Aelium Marchesium in Latris p. 29. habuit hic Franciscus Comes germanum alterum, nomine Robertum, qui in veteribus Chartis appellatur etiam Comes Laureti, & Satriani, quum Aquinatum Familia *more* semper *Langobardorum* vixerit. Uxorem duxit Dianoram Moriminam, seu *Mormile*, Minervini Comitis viduam, ut ex Charta Reg. Sicl. A. MCCCCXLIX. Reg. Alph. lit. D. n. 17. Ipse A. MCCCCXX. vendidit Roberto Latro militi de Neap. feuda Pennonis, Cancellariae, aliaque in Nuceriae Agro existentia; Borrell. ut sup. quam quidem urbem, Jesunum, eorumque Casalia possederunt aliquando Aquinates Laureti Comites ita, ut quum ibi defuncta fuerit Ursulina de Yola hujus Roberti, Francisci, ac Berardi mater, ibidem tumulata fuerit, ut habet Ammir. To. II. in fin. Ejusdem Roberti meminit quoque Charta in fasc. A. MCDXXXIX. fol. 53. in eaque memorantur

tur Landulfus, & Margarita ejus filii. Sed de Roberti hujus ramo; e quo Aquinatum Tarentinorum progenies fluxit, mox dicendum erit. Ad Franciscum revertamus. Hujus Francisci filius Berardus Gaspar VI. Laureti, Satriani, & Monderisii II. Comes fuit. Hic ad An. MCDXLIII. a praedicto Alphonso Rege Piscariae Comes creatus est, cum ipse in publicis Regni Comitiis ad Berardum Gasparem, quippe Checchi a Burgo avi ejus materni heredem, Marchiam illam pertinere declararet. Uxorem habuit Beatricem Cajetanam Honorati Fundorum Comitis sororem, cujus Jordanus frater Campanus Archiepiscopus, Bonifacius Magnus Capuae Prior S. Johannis Hierosol. atque Agnes soror altera Raymundo de Leonissa Campano nuptui data, quae quum filios non procreasset, germanos suos heredes scripsit A. MCDXLIX. Berardus igitur Franciscum Antonium, & Antonellam genuit, quae Indico Avalo matrimonio conjuncta fuit; & defuncto sine filiis germano, integram Aquinatum Dynastiam, & Laureti, Satriani, Monderisii, & Piscariae suis filiis cumulavit A. circ. MCDLXXXVI. eorumque feudorum investituram a Ferdinando Rege obtinuit (ut ex Processu in Sac. Reg. Conf. cui titulus: *Pro Antonella de Aquino cum Universitate Tocci A. XXVIII. penes Actuarium Cioffum, fol.* 104.) quo ex tempore ad nostram usque aetatem ab Avalis possidentur.

Defecto jam in Antonella praecipuo Comitum Aquinatum stipite, superfuit ramus alter Roberti Antonellae patrui, ut superius innuimus, qui Neapoli degebat cum Dianora Mormile conjuge, ejusque nato Landulfo. Hic in famosa Baronum Neap. conjuratione post obitum Alphonsi Aragoniae Regis A. MCDLVIII. quum se Ursinae familiae Dominis obstrictum nimis agnosceret, & praesertim Tarenti Regulo, Ferdinando Alphonsi Regis filio hosti infensissimo, cum eodem foedus junxit, Johanni Andegavensi suppetias laturus, cui etiam favebant Piccininus, Marzanus Suessae Dux, Caracciolus Melphiensis Dynasta, Aquavivius Tarentini Principis gener, aliique quamplu-

plurimi, quos habes apud Constantium, Carapham, Portiumque, aliosque Neap. Hist. Scriptores. Succrevit deinde divisionis hujus incendium inter Aragoniae, atque Andegavensis partis fautores post cladem a Ferdinando prope Sarnum acceptam; qua ex clade is, arreptâ fugâ, Neapolim contendit, & castra, totumque commeatum Andegavensi hosti diripiendum reliquit. Attamen defuncto inde in senectute maxima Tarenti Principe, qui belli caput, fomesque incendii fuerat, Suessae Duce, aliisque in carcerem detrusis, reliqui Nobiles aut Ferdinando se Regi submittere, vel extra Regnum aufugere coacti sunt, proscriptis palam eorum bonis, feudisque. Ex horum numero unus vel fortasse praecipuus, Landulfus de Aquino e Laureti, & Satriani Comitibus Roberti filius (jam cum Rita de Castellis a Tarenti Principe matrimonio junctus, quae ob germani fratris obitum Castrum S. Martini, in Hydrunti Provincia situm, hereditario sibi jure vindicarat) cui multos post annos vix Neap. Regnum ingredi permissum fuit, atque in ejus uxoris feudo degere, bonis aliis exspoliato. Quod fortasse ansam dedit Tristano Caracciolo *(a)* adfirmandi, Aquinatum ramos Laureti, & Satriani in Antonella excisos. Sed quoniam ob Landulfi exilium, quod utique diuturnum fuit (complures enim non Italiae dumtaxat; sed & Galliarum Provinciae sibi peragrandae fuerunt, quoad rebus in Regno Neap. omnino compositis, in Hydruntinam Provinciam reditum tandem impetravit) extinctus communiter crederetur; inde Tristanus Aquinates omnes Laureti (qui revera solummodo tunc supererant ex Aquinatum praecipuo stipite) in Antonella defecisse censuit.

Landulfus igitur ab illustri gente de Avalos maximo in honore semper habitus fuit, utpote iis sanguinis adfinitate conjunctus. Ac ut hujus Landulfi decus magis elucesceret, suorum feudorum Vicarium, supremumque mode-

(a) *In Collect. Ital. Muratorii Tom. XXII.*

deratorem in Monte Caveoso oppido residentem legarunt, ut ex Patentibus literis, variisque Avalorum ipsorum ad eundem Landulfum missis epistolis, in quibus suum consanguineum appellant, apertissime colligitur. Quas Chartas in quodam genuino Processu Sacrae Religionis Hierosolymitanae Anno MDCX. exarato, observare licet. Eo enim anno ejus pronepos Johannes Paulus, ut infra dicam, sacrum illius Religionis communi omnium Equitum consensu habitum induit. Landulfus vero duos filios Franciscum, & Henricum e Rita conjuge suscepit. Henricus secundogenitus Olimpiam *de Selvaggi* ex veteri, nobilique Tarentinae Urbis familia uxorem duxit, quae Michaëlem Angelum unigenitum superstitem sibi reliquit A. MDVII. Ipse jamdictus Mich. Angelus Elisabetham Protontinam conjugem accepit, e quibus Guido ortus est egregius eo tempore Dux, qui ex Aurelia Manresia conjuge Johannem Paulum filium procreavit. Hic, praemortua uxore Fulvia Cotugno nobilitate Patricii sanguinis, virtutumque praestantissima, spretâ seculi licentiâ, Melitensi S. Johannis Hierosf. militiae adscribi voluit, in qua praeclara ejus virtutis merita, gestaque adhuc emicant. Unigenitus Franciscus Antonius e Protonobilissimorum sanguine principem matronam sibi matrimonio copulavit, e quibus Guido alter natus est, conjugio cum Agnete Lucretia de Ponte conjunctus, quibus superfuit Thomas absque liberis defunctus, & Franc. Antonius nobilis feminae ex familia de Capitignanis vir fuit, in quibus non multis abhinc annis Aquinatum Tarentinorum ramusculus extinctus est, gentilitio ejus in S. Augustini Aede Sacello Aquinatibus Casulensium Ducum primogenitae Landulfi stirpis, suisque posteris restituto: quum usque ab A. MDCXXXIV. ex Sacri Regii Consilii Neap. decisione decretum fuerit: *Aquinos Casulensium Duces Landulfi Primogenitos fuisse, & esse de eadem nobili familia de Aquino Civitatis Tarenti*.

Ad hanc itaque primogenitam Francisci sobolem sermo revertatur. Ille postquam aliquo temporis intervallo

in materno S. Martini Castro privatam degerat vitam; Neapolim se contulit, ubi Johannae de Aquila matrimonio copulatus est, ut e monumentis MSS. hujus familiae Petri Vincenti eruitur. Genuit ille Matthaeum, cujus filius Franciscus Johannam Mastaram, sive Nastaram e sedili Montaneae, ut vocant, nobilem feminam (quam familiam P. Carolus Borrellius in Vindic. ut supr. agnomen fuisse adserit Caracciolis quibusdam adjunctum) uxorem duxit A. circ. MDLXX. Ex iis Thomas primogenitus ortus est Dux I. Casularum, qui A. MDCXXX. nobilem S. Didaci Aram in Sacello S. Jacobi de Marchia Ecclesiae S. Mariae *de Nova* nuncupatae Neapoli adquisivit, & instauravit, suaeque ibi insignia familiae exsculpi mandavit. Ejusdem pietas pro Puellarum S. Nicolai ad Nidum Gynecaeo, cui bona quam multa dono dedit, mirifice eluxit. Bartholomaeus germanus alter I. Caramanici Princeps factus est, cujus quoque eximiam pietatem Neapolitana Civitas admirata fuit, quum sua Aede relicta, sponte A. MDCXL. Orphanis virginibus S. Januarii in Platea Olivetana non tam ad refugium, quam ad alimoniam cessit. Jacobus item natu minimus, conjugem, e Tuforum familia accepit, e quo Casarani postmodum Duces effluxere, ut ex adnexo postremorum horum Aquinatum stemmate agnoscitur. Thomas I. Casularum Dux Hieronymam Nastaram ob sanguinis decorem, feudaliumque quorumdam jurium (a) in Scalensi urbe dominium, praestantissimam feminam sibi connubio adjunxit; a qua, viro e vivis sublato, Castrum Francolisii in Campaniae Provincia, aere suo emtum filiorum suorum Jacobi, Andreae, Aloysii, ac Prudentiae patrimonio adjicere studuit. Jacobus Laurae primum de Tufo, e Marchionibus Lavelli, & Matinae conjunctus, hac defuncta, alteri nupsit, nempe Catharinae Guevarae e Bibini Ducibus. Andreas Episcopus Tricaricensis electus. Aloysius Rev. Cam. Apostolicae Auditor, dum

(a) *Ex Lib. Relev. Reg. Camer.*

dum ſacrà Purpurâ ſe decorandum ſperabat, diem obiit ſuum. Prudentia Duci Capracottae Piſcicellio nuptui tradita. Bartholomaeus Thomae natu poſterior conjugem quoque duxit Barbaram Stampa, e Soncini in Inſubria Marchionibus; ex eoque ramus Caramanici Principum: ſicuti & Jacobus natu poſtremus, e quibus Caſarani Duces, ut diximus, qui adhuc exſtat. E Caramanici Bartholomaei ſobole, Antonio nempe, ac Dominico, primus Catharinae de Dura Neap. Patriciae matrimonio junctus eſt, quae poſtumum illi Antonium peperit, in infantia tamen defunctum; quod cauſae fuit, ut Dominicus Antonii ſenioris germanus uxorem duceret Thereſiam de Mignanellis, quo ex connubio, quum nulli eſſent poſteri, heredem perpetuo ipſe ſcripſit ſecundogenitum Caſulenſium Ducum, & alterum ab altero ramo ſemper divulſum ſuis in tabulis cavit.

Caſularum Dux II. fuit Jacobus, uti innuimus, a quo Franciſcus ortus eſt, qui conjugem duxit Iſabellam de Mignanellis, Eminentiſſimi Cardinalis Fabii neptem A. MDCLXXXII. Filios procrearunt Thomam IV. Caſularum Ducem, conjugio adjunctum cum Lucretia *del Verme*, e Bobienſium Comitibus Mediolanenſem Patriciam, Comitis Caroli Borromaei Regni hujus olim Proregis neptem, qui tamen nullam prolem ſuſcepere. Jacobus nunc VI. Caramanici Princeps (diſfecto in ejus patruo Dominico, ſicuti ſuperius dictum eſt, primo eorum ramuſculo) Regis noſtri Caroli Borbonii, quem Deus Opt. Max. diu ſervet, ac ſoſpitet, intimus Cubicularius conjugem duxit Thereſiam *del Verme*, Lucretiae antedictae ex fratre neptem, quae poſteris etiam caret. Aloyſius ad Caramanici ſucceſſionem vocatus caelebs occubuit. Quare Antonius natu minimus cum uxore Hippolyta Pignatella, e Montisroduni Principibus Aquinates Caſularum, Caramanici, ac Palenae Dynaſtias obtinebit, ac viros, heroaſque novos ſua e ſobole, qui generis tam illuſtris ſplendorem, nomenque conſervent, exſpectat, quod faxit Deus Opt.Max.

CAPUT III.

De Aquinatibus Capuae.

QUum de gentilitio Aquinorum familiae facello in Majori Capuae Ecclesia exstructo superius differuerimus; deque altero D. Petri ad Monteronem Fratrum Minorum Conventualium ejusdem urbis mox dicturi, satis compertum idcirco est, ex Aquinatibus quamplurimos Capuam immigratos habitasse. Quod quidem ex Scriptoribus nostris neminem inficiatum cognoscimus. In eo tamen res omnis versatur, ut quisnam primus fuerit, qua de caūsa illuc transmigraverit, ac ne brevi quidem, nedum diuturno Capuam ipsi incoluerint tempore, investigemus. Nodus utique inextricabilis, & in cujus solutione Scipio Ammiratus, aliique nostrates Genealogistae, quibus parum Capuae veteres Chartas pervolutasse datum fuit, hallucinati sunt. Ex iis nihilominus, quae in Campanis Tabulariis, antiquorum praesertim Monasteriorum Monialium S. Mariae, & S. Johannis plené transcripta sunt, res aliquomodo facilior, clariorque patuit. Et quidem quod ad hanc rem attinet, breviter explicare aggredior, ne orationem in longius protrahendo, lectoris animum taedio afficiam.

Antequam autem ad rem disputandam progrediamur, sciendum omnino est, nullum Aquinensium Comitibus hostem magis infensum fuisse, quam Rogerium Northmannicum I. Neap. Regem, qui, quo ad vixit, iniquissimis illos persecutionibus affecit. In eandem etiam sententiam discessit ejus filius Guilelmus Malus Rex: anno enim MCLXXX. Aquinum urbs, universusque Comitatus, ut Rex praeceperat, ab Andrea de Rupecanina diruitur, ut Ricc. a Sang. perhibet. Conceptum jamdiu in Aquinates Capuae Northmanni Principes odii fomitem perpetuo deinceps foverunt, quod ab iis Langobardos; eorumque consanguineos Capuae Dynastas defensos viderent. Praesertim, ut consuevit, & a natura quidem inditum est,

ut

ut Principes omnes de iis summopere male mereantur ; & opprimant magis, qui res suas usurpandas tentarunt, aut suos hostes futuros aliquando verentur. Patet hoc proculdubio ex synchronis Scriptoribus, & Tabulariorum Chartis, Cassinensis praesertim, Cavensis, & Aversani Coenobiorum sub Instituto S. Benedicti. Hinc facile conjiciendum, Aquinos, ne Northmannis Regibus majorem tunc aemulationis fomitem accenderent, in eorum Feudis liberius degentes, Capuam (ubi eorum tunc temporis Campaniae Vicarii residere solebant) transgressos incoluisse. Et revera XIII. hoc seculo Capuae Aquinensis familiae praeclarissima prostant monumenta, quae Scriptoribus nostris, non tamen cuncta, nec ignota fuere, ut ex eorum descriptis genealogiis satis liquido apparet. Quamobrem quae ab iisdem cognita fuerunt, vix innuam ; quae vero iis aut incerta aut obscura, satius aperiam.

Qui primo fortasse Capuam incoluerit, aedes certas, fundosque possederit, is profecto Raynaldus de Aquino fuit, ut ex pluribus Campani Thesauri, & Monialium S. Mariae Chartis probatur. Is hujusce nominis secundus, Landulfi frater, & S. Thomae patruus, Raynaldi I. Aquini Comitis filius, ac Pandulfi nepos, ex quo Acerranorum Comitum ramus. Ejusdem, Capuae degentis, meminit Riccardus Sangerm. *Anno MCCIII. ab Alifredo, & Hamberto de Murrono aedes quasdam in Paroecia S. Erasmi ad Judices* (nunc diruta) *emit*, quae tandem ab Acerrarum Comitibus possideri coeptae, Instr. Thes. A. MCCLXXI. In A. MCCVII. a Monasterio S. Mariae eidem Raynaldo *in emphyteusim* conceditur *fundus quidam paludosus foris Portam S. Angeli, ubi dicitur ad S. Castrensis modiorum 35. sub annuo canone solidorum quinque aureorum quolibet anno in Festo S. Mariae Dominae Coelorum* (hoc nomine Assumtionis Deiparae Virginis Festus dies describitur) *mense Augusto, quae quidem terra* &c. Incertum tamen omnino est, de hoc ne, an alio Raynaldo vetus Monialium S. Mariae Kalendarium, seu Necrologium meminerit, sic : *Idibus Februarii Raynaldus de*

Aqui-

Aquino ʘ (idest *obiit*). Hujus Raynaldi uxor fuit Ricca de Basarico, cujus memoria in Charta ejusdem Monasterii A. MCCXIII. Alterius Raynaldi (al. Reginaldi) Landonis de Aquino filii militis meminerunt Scriptores, cognomine *Gualae*, „ qui Cosmae de Rigio militi de Capua „ (familia hinc Panormum translata) solvit uncias 60. „ pro pretio tertiae partis feudorum Sarzani, & Vignanelli, cum consensu uxoris Adrianae de Marra.

Huic Raynaldo Jacobus, Johannes, & Cerbus filii nati sunt: Jacobi plura exstant in Reg. Arch. ad A. MCCLXIX. lit. O. fol. 106. monumenta, MCCLXX. F. 32. necnon A. MCCLXXI. E. 53. a t. quo bona aliqua a se, & Johanne germano suo, qui *milites de Capua* appellantur, emta memorantur. Postremo A. MCCXCIV. A. 164. a t. Carolus II. Rex dictis fratribus partem quandam Roccaesiccae, S. Donati, Postae, Insulae Pontis scelerati, aliaque dono dedit, *quae utique ab eorum majoribus possidebantur*. Johannis seu Jannucii mentionem facit Ammiratus, & Tabulae R. Siclae A. praesertim MCCCI. B. 73. a t. sic: *Johannes de Aquino miles de Capua fidelis, & familiaris Regis*; & in altera Charta A. MCCCIII. lit. A. fol. 134. a t. etiam *Consiliarius Regius* adpellatur. A. MCCXCVIII. sibi restitui petit bona sua Carinulae posita, quibus eum exspoliare tentaverat Nicolaus de Rigio de Capua lit. A. fol. 149. quod item confirmatur A. MCCCI. lit. B. fol. 41. a t. Uxorem habuit Johannes Philippam de Fossis, *Marini de Ebulo de Capua relictam*. Decessit ille A. MCCCXXV. heredem instituens *Johannem filium*, & *Tutores* destinavit *Berardum de Aquino Laureti Comitem consobrinum suum, ejusque conjugem Philippam*. Johannes iste ex Agnete . . . . uxore Franciscum (al. Checcum) procreavit; ex eoque Johannes, seu Jannucius alter genitus est, qui A. MCCCXLII. Sikelgaitae Pandoni conjugio copulatur, ob cujus dotem lis exorta, ibique testatur, eam fuisse filiam Nicolai Pandonis militis de Capua. Obiit haec A. MCCCXLV. Pippam ejus filiam tantummodo heredem relinquens; quare Jannucius secundo

uxo-

uxorem duxit Margaritam Galganam, ut ex Charta Thes. Cap. A. MCC CLIII. Jannuccius fuit *Comes Crispani, & Casalis, in pertinentiis Aversae, & Reginalis Cambellanus*, ut testatur Charta A. MCCCLIX. Ejus soror *Beatrix de Aquino relicta quondam Andreae Cumini de Capua Juris Civilis Professoris Locumtenentis Protonotarii Regni Siciliae*, memoratur A. MCCCXXX. lit. C. fol. 70. a t. Defunctus est, filios relinquens Franciscum alterum (al. Checcum), & Salvatorem, ut ex variis Thes. Cap. publicis Scripturis adparet. Franciscus A. MCCCLXVIII. interfuit cum Petro, Cerbi de Aquino consanguinei sui filio, testamento Masellae de Franco de Capua, Caesaris de Argentio Campani militis viduae. Conjugem duxit Mariam Salvacoscia, Petri Bellantis Comitis filiam, qua viro praemortua, cum Carolo cognato suo vir idem publicâ scripturâ, quae in Thesauro Capuano adservatur, pactus est, sibi uncias 50. solvendas, quod reliquum dotis erat. A Checco Thomas genitus, qui A. MCCCXCI. testamentum suum Capuae fecit, heredem patruum Salvatorem scribens, & testamenti curatorem *Ricardum Caracciolum de Capua militem Priorem S. Johannis Hierosf. Capuae*.

Salvator uxorem duxit Margaritam Caracciolam de Capua Jacobi filiam, ex qua Philippam, Mariam, & Antonium Johannem filios suscepit, ut ex testamento ejusdem Margaritae A. MCCCXCI. 29. mensis Maii. Salvator heredem reliquit unigenitum Antonium Johannem in omnibus tam allodialibus quam feudalibus bonis, in quibus pars etiam Montis S. Johannis, de qua supra. Philippa Salv. filia Julio Caesari de Capua nupsit; Maria optimam partem eligens Christo desponsata est in Monasterio S. Mariae ejusdem Urbis A. MCCLXXXIV. Eodem testamento cavit Salvator in Eccl. S. Petri Fratrum Minor. Convent. in antiquo suorum Sacello se tumulandum deferri, cui duas annis singulis uncias adscribit ad sacrificia ibidem celebranda. Hujus sacelli mentio est in testamento Riccardi de Aquino militis de Capua, Guglianelli Domini, a quo fortasse exstructum; quaedam enim bona ille A. MCCLXVII. illius

illius doti addixerat. Antonio Johanni Maria de Gerardis conjux data, de cujus dote A. MCDXXX. de satisfactum fatetur, atque A. MCDXXXIX. privilegium obtinet a Francisco de Aquino Laureti, ac Satriani Comite, suo consanguineo, socioque, ob praestita auxilia, concessionis feudi Torisii prope Teanum. Ann. MCDXLIX. Capuae testamentum fecit Kal. Junii, quo heredes instituit ipsum Franciscum Laureti Comitem, & Berardum Gasparem Piscariae Marchionem ejus filium: in quo testamento memoratur etiam Thomas de Aquino Abbas Monasterii S. Mariae de Ferraria, & Belisandra ejusdem Ant. Johannis filia, uxor Fabricii Leonissae de Capua, post quam, ex Scipionis Ammirati sententia, Aquinatum Capuae linea duci desiit.

At pace Cl. V. a vero quidem is plurimum abhorret. Nam praeter distinctas duas lineas Aquinorum Capuae a Raynaldo descendentes, quas novimus, alter profecto ramus extendebatur, a Landone scilicet, Domino Nucelleti, & S. Martii prope Carinulam quod testatum habemus in Charta Thes. Capuani A. MCCXXVII. in qua legitur: *Domini Aimonis de Aquino Militis de Capua filii Landonis Domini Terrae Nucelliti, & S. Marczii in Calinio*. Aimoni filia fuit *Odolina filia quondam Aimonis Aquini de Capua uxor Odonis de Braya*, ut habetur in R. Sicla A. MCCLXVI. lit. A. fol. 15. Itidem Petrus (al. Petrucius) qui ad A. MCCXLVII. cum *Adenolfo Marzano de Capua Aimonis genitoris sui creditore conventionem iniit, quaedam illi allodialia in pertinentiis Suessae cedens, loco dicto Puczano, & Grypta*. Quaenam ejus uxor fuerit, aut filius, desideratur. Thomam tamen illum fuisse suspicor, de quo Charta R. Cam. A. MCCXCIV. lit. A. fol. 125. a t. in ea habetur *Thomas fil. quondam Pitrucii militis, & Carolus de Leonissa de Capua conventionem agunt cujusdam terrae sitae in Pellusa, loco qui dicitur Cellarium*. Imo A. MCCLXXIV. habetur: *Thomasius de Aquino de Capua miles, Dominus Castri S. Martini de Valle Caudina cum Thomasio de Ebulo de Capua,*

& aliis

& aliis in guerra Campaniae lit. B. fol. 135. & 181. De altero demum Aimone A. MCCCIX. ſcriptum invenitur (ex eodem fortaſſe ramo), quod *die* 18. *April. ſimul cum Jacobo filio Monaſterio S. Johannis Monialium* bona quaedam adſignat *pro dote Johannae ejus filiae*, quae A. dehinc MCCCLXXXIV. Abbatiſſa eidem Monaſt. praefuit, ut ex publicis monumentis ibidem exſtantibus. An idem ipſe Aimo Aquinas fuerit, aut filius ejuſdemmet nominis, aut ex alia Aquinorum Capuae linea, qui in Thraciae expeditionem ſub Carolo II. Rege A. MCCLXXII. miſſus fuit, omnino ignoratur.

Supradeſcriptus igitur Jacobus Aimonis filius conjugem duxit Theodoram *Galluccio* filiam Riccardi nobilis viri de Capua, ex qua Thomam, Landulphum, Johannem, & Simonem filios habuit, itemque Thomaſiam, ſeu Maſellam, uxorem Johannis de Urſono de Neapoli, ut ex Charta Theſ. Cap. A. MCCCL. & Monialium S. Mariae A. MCCCLII. Thomas (quum aliorum fratrum progeniem nullam invenerim) Berardum, & Franciſcum genuit, matre prorſus mihi ignota. Berardo Julia de Capua Palenae Domina nupſit A. MCCCXCVIII. in ejuſque matrimonialibus capitulis (quae Capuae adſervantur) interfuere Comes Venafri, Comes Laureti, Dux Sueſſae, Riccardus & Liſolus Caraccioli de Capua, Comes Palenae, & Johannes de Capua ejuſdem ſponſae patruus, Campani Dynaſtae. Ab iis filii geniti ſunt Bartholomaeus, & Philippellus de Aquino, qui A. MCDXXXI. „ diviſionem egerunt bonorum aliquot ſibi remanſorum „ in hereditate Johannis de Capua eorum patrui, quae „ erant in pertinentiis Garzani, Marczaniſi, & S. Caeſarii, ibique ipſi adpellantur nobiles, & egregii milites de Capua. Philippellus cum Domicella Magdalena de Aquino Beliſandrae ſorore conjugio copulatus eſt, quae Johannis Antonii filiae fuerunt; in quo, ut dixi, ramus hic diſſectus eſt. Julia de Capua Neapolim ſecedens, Bartholomaeum primogenitum ſecum adduxit, cui Liſettam *Barile* uxorem dedit, ſed ſine filiis deceſſerunt. Philippellus

lus Capuae simul cum Thoma suo consobrino vitam egit, u perhibent plura Thes. Cap. & Monasteriorum monumenta Annorum MCDXLII. MCDXLIX. MCDLIII. & MCDLXVII. quo defunctus est, heredem creans Balthasarem filium, qui Capuae quoque mansit usque ad annum MD. (& praeclara ejus incolatus monumenta exstant), quo ex tempore Neapolim demigravit, patriae suae ab exercitu foederato Ducis Valentini sub Alexandro PP. VI IX. Kal. August. MDI. commissum excidium, commiseratus, ibique vixit, bona Capuae possessa vendens, aut donans, ut ex publicis Scripturis A. MDXI. MDXVI. & MDXIX. in quibus adseritur: *Balthasar de Aquino; Philippelli filius de Neapoli*. Neque ex hac unica stirpe posteros alios ortos cognoscimus. Hinc facilis conjectura, quod aut caelebs, aut absque filiis Neapoli decessit.

Falsum igitur omnino est, quod Ammiratus Raynaldi familiam de Aquino Capuae exstinctam adfirmat: quum perinde constet, & alios Capuae ramos extitisse, & in eadem urbe usque ad XVI. seculi exordium domicilium indubie habuisse. Haud secus Genealogistarum fuit hallucinatio, qui Aquinates Acerranos, Laureti, aut Cryptae sive de Crypta, aut Neapolitanos fuisse, aut Beneventanos dixere. Ii enim, qui Neapolim demigrarunt, Neapolitani vocitati; sicuti & alii de Crypta, qui Beneventum incoluere, Beneventani sunt appellati, postquam Johannae de Aquila, in eadem tunc urbe degenti, matrimonio junctus fuit Cryptae Comes Aquinas, ut ex tabulis Cancell. Benev. notissimum est; sicuti & Tarentini, qui diu in eadem urbe domicilium fixere. Capuanae ipsi perpetuo civitatis originem ostentabant, ubi ejusdem familiae plurimorum nomina in Capuae Tabulariis inscribuntur, quorum utique genus, aut posteritas ignoratur. Aliquos tantummodo ex iis seligam, ne legentes fastidio afficiantur. Tafurus de Aquino memoratur A. MCCVII. Jonathas A. MCCXXVII. Nobilis Obriza de Aquino, relicta Jacobi de Adenulfo de Capua A. MCCXL. Abbas Stephanus de Aquino de Capua Custos, & Rector Eccle-

siae

siae S. Stephani in Capua Veteri A. MCCXVI. Jacoba uxor Rainaldi Gallardi de Neap. A. MCCLXXXIII. Constantius filius quondam Riccardi de Aquino de Capua A. MCCXCIV. Landulfus, & Atenulfus de Aquino, dicti de Caserta A. MCCCXXII. Guilelmus filius Paldi de Aquino de Capua miles A. MCCCXXX. aliique pene innumeri; ex quibus haud dubitandum, quin ex Aquinatum Capuanorum origine defluxerint, ac illorum plerisque Capuam semper incoluerint, quod utique certum ex llatis a Peregrinio Campani privilegii verbis, quae fusus infra exponemus. Imo in uno Monialium S. Mariae Necrologio, Ecclesiaque tot adsunt hujus familiae monumenta, ut vix ambigi possit, quin ii ex urbe illa exorti sint, bique quamplurimi habuerint posterorum seriem. Adhuc ibi nobile sepulcrum cernitur Thomae II. Acerr. Com. a Gubitosa ejus filia exstructum, quae ejusdem Coenobii Monialis, indeque Abbatissa fuit, pauloque post defuncta Kal. Maii MCCXCIX. Ibi legitur;

„ Nobilis hec mulier Acerrarum Comitis nata
„ Fieri fecit opus hoc Gubitosa vocata .
„ Thomas secundi dicti de Aquino facundi
„ Anno Dom. MCCLXXXI.
„ Hoc opus fieri fecit Domina Gubitosa filia quondam Thomasiii de Aquino II. Accerrarum Comitis.

CAPUT IV.

De Aquinis Alveti, & de Crypta appellatis, deque iis, qui Beneventi fuere.

QUum satis superque ostensum sit, Aquinorum ramum Acerrarum arcto consanguinitatis vinculo adjunctum cum primo illo stipite, unde Landolfus Aquini Comes S. Thomae pater recta e linea processit ab Atenulfo Summucula hujus amplissimae stirpis antesignano: quumque minutim expenderimus, tam ipsos, quam Lau-

Aaa 2 reti

reti Comites, aliosque quamplurimos Capuae Aquinos eodem e sanguine fuisse procreatos, atque ab iis gentilitias domos, feuda, aliaque allodialia, sepulcra, sacellaque eadem in urbe continenti serie possessa; ibique aliquando cunctos, saepe ex iis nonnullos immoratos; reliquum est, ut de duobus aliis ramis (qui utique unus bifariam partitus dici poterit) nempe Comitum Alveti, & Cryptae sermonem instituamus, ac quonam tempore sedem suam Capuae aliquando fixerint, quove deinde illinc transmigrarint: cum tamen compertum sit, cunctos ex eodem antiquorum Aquini Comitum stipite propagatos; quod satis cumulate ab Ammirato, aliisque probatum est.

Aquinates Alveti Comites cognomen suum ab illius oppidi dominio accepisse, nemo est, qui ambigat. Primus qui Alveti cognomine proditur, Landulfus fuit, Pandolfi filius, qui patrem novit Landonem in VI. gradu rectâ lineâ ab Summucula descendentem. Landulfus igitur A. Aerae Christianae MCLX. Alveto dominabatur, ut ex Charta apud Ammiratum colligitur, in qua ipsi pignori dedit Atenulfo filio *partem illam sibi pertinentem Montis S. Johannis, paucis ante annis in excambium*, ut dixi, acquisiti, *pro pretio CC. unciarum auri, quae a Gregorio, & Aimone de Insula, Ottolinae*, ejusdem Atenolfi conjugis, germanis, *Landulfus ipse ejus pater in dotem acceperat*. Hujus Landulfi mentio habetur in Charta Thes. Cap. A. MCLXII. in qua legitur: *Landulfus primus Alveti Comes ex Aquini Comitibus, Pandoni de Burro de Neapoli procuratori suo territorium in Calvo* adsignavit *pro serviciis sibi, & domui suae praestitis*. Ammiratus Landulfi de Alveto filios Atenolfum tantummodo, & Andream adnotavit, & ab ipso Riccardus reticetur, qui A. MCLXXXVII. (ut habet Marra fol. 39.) in feudum tenere dicitur a Riccardo de Aquila Fundorum Comite oppidum *Tortini*; hinc pro eo duos equites, & quatuor pedites Regi Guilelmo II. (*Bono* nuncupato) dedit pro expeditione Terrae Sanctae. Alia ejusdem anni Charta Capuae

puae adservata, de eodem Riccardo Landulfi Alveti Comitis filio agit, qui *simul cum Umberto de Presenzano & Meolo de Castronovo emtioni* intersunt Capuae peractae *Feudorum Briani, & Brianelli a milite Taffuro de Aquino ejusdem civitatis a Coluccio de Surrento milite de Capua, atque armatorum hominum conductorio*. Quod vero in Charta illa ab Ammirato producta duorum solummodo fratrum, non etiam Riccardi mentio fiat, eam ob rem accidisse fatendum est, quod aut Riccardus ipse nondum natus fuerat, aut alio quidem profectus. Atenolfus Andreae germani filio dono dedit, quod ad se ex paterna in Alvetum portione spectabat, Campulum nempe & Montem S. Johannis. Ex Landulfo hoc Comites Cryptae (vulgo *Mainardae*) dimanarunt; quod sane oppidum ante annum MCCXXIX. adquiri debuerat, quum illius aevi Scriptores tradant, Landulfum de Alveto ab Imp. Federico petiisse, ut seipsum, atque oppidum Cryptae cum adnexis feudis e servitute, ac tributo Comitatus Gesualdi eximere dignaretur, suoque sub patrocinio recipere; cui petitioni benigne Augustus Barlettae degens, annuit. Hujus Landulfi frater Atenolfus A. MCCXXXI. quum quod ad successionem Montis S. Johannis, Canneti, & Strangulagalli aliquando contenderet, discordia amicorum consilio statim fuit composita. Atenolfi hujus progenie, quae latuit Ammirato, ipse tamen reperi, scil. *Rugerium filium Atenulfi de Alveto, qui die 29. Decembr. MCCXLVII. pretium* cujusdam feudi solvit *Andrae de Crypta suo consanguineo, qui fuerat Landulfi Comitis filius*. Rugerio natus est Aloysius, cujus exstat memoria A. MCCLXIII., quo nomen quoque Sichelgardae Pandonae ejus matris legitur, & Gualterii alterius filii, qui A. MCCLXXXI. Campaniae Justitiario cum aliis Terrae Laboris Baronibus praesentari debebat, ut in Regesto R. Sicl. lit. A. fol. 107. Neque post hos de Alveto, seu de Crypta germanos aliam Atenulfi de Alveto progeniem invenire potui. Capuae sedem fixisse suspicor post jam dictam divisionem cum fratre Landulfo, Cryptae Comitem. In

Ne-

Necrologio tamen Monast. S. Johannis Capuae adscripta legitur: *Domna Rita de Aquino dicta de Crypta* A. MCCCXCVII. Alibi memoratur *Jacobellus de Aquino dictus de Crypta* ad A. MCCCXCIX. Et postremo: *Salvator, & Cubellus de Crypta de Capua* A. MCDIII. Verum si dubiis in rebus aliquando divinandum, non abs re conjicere licet, Aloysium illum de Alveto Capuanum; de quo meminit Charta A. MCCCLXXXIV. ex hoc Atenulfi surculo propagatum, in quo innovari fortasse poterat (ut mos erat) idem Leoisii nomen, quo Rogerii olim filius adpellabatur; alter etiam *Clericus Leoisius de Alveto de Capua A. MCDXXI. Thius nobilis mulieris Johannellae de Patritio* &c. *donat eidem suae nepoti domos* &c. Atque in hoc Leoisio ramum Aquinorum de Alveto, sive de Crypta Capuae excisum fuisse opinari licet circa A. MCDXXIV. In altera enim Charta Monast. Fratrum S. Augustini Capuae legitur: Die 27. Novembris A. MCDXXV. *Nobilis mulier Domna Johannella de Patricio de Capua neptis; & heres legitima quondam Leoisii de Alveto* &c. Leoisius hic patrem habuit Johannem de Alveto militem de Capua, cujus relicta uxor N. Gerarda iterum Nicolao de Antignano ejusdem urbis nupsit. Neque alii hujus generis viri inter multos tunc temporis Capuae feudatarios Cives defecere, qui Imperatorem sequi tenebantur in Thraciae expeditione A. MCCLXXII. dum in eorum serie inscribuntur: *Petrus de Alveto de Capua, & Nicolaus de Crypta miles de Capua*, de quibus nihil certi adhuc novimus; nec qui, vel cujus filii fuerint.

At ad Landulfum II. Cryptae Comitem sermo redeat: Tres ipse genuit filios, Andream, Thomam, & Atenulfum: Primogenitus, natuque minimus bonis omnibus se abdicarunt, quae ad se in Terra Beneventana, Aquini, Alveti, in Monte S. Johannis, aliisque in locis spectabant, undique Thomae cesserunt. Quibus feudis abunde locupletatus Lucas ejusdem Thomae filius A. MCCLXXXIII. (si Marrae in Famil. Hist. habenda fides) Juliam de Marra Ri-

sonis

foris filiam sibi despondit. Hujus Lucae filius; aut fort. nepos fuit Landulfus, qui A. MCCCXXXII. Cryptae dominabatur, obiitque A. MCCCXXXIV. & heredem Nicolaum filium suum reliquit, qui quum Johannae Reginae summa quidem fide inservisset, permulta ab eadem feuda consecutus est. Ex priori conjuge Catharina de Cabranis Ebuli Comitis, magnique Regni Senescalli filia Franciscum (al. Checcum) Antonium, & Donatum procreavit: ex altera Rosa Crispana Robertus natus est. Franciscus genitori praemoritur: Donatus Beneventi Archiepiscopus eligitur; eaque de causa nepotes in eandem urbem domicilium transtulere, quo etiam Aquini de Crypta alia in Terra Beneventana bona possidebant. Hinc apud Beneventanos Historicos, nuperosque quosdam Scriptores error irrepsit, ut Aquinos ab origine Beneventi fuisse adfirmarent, quod casu accidit, ut ibi sedem figerent. Antonius uxorem duxit Robertam Cajetanam e Fundorum Comitibus, cujus meminerunt Chartae Thes. Cap. A. MCCCXCIII. in quibus dicitur: *Robertella Gaytana uxor Antonelli de Aquino dicti de Grypta de Capua filia Goffridi Comitis* &c. Et in alia A. MCCCXCIV. „ in qua ut filiorum tutrix Leonardo Saraceno Capuae „ militi 50. uncias a viro suo debitas solvit. His filii Nicolaus, & Matthaeus nati sunt. Matthaeus quinque ex Francisca de Sanframundo filios suscepit, nempe Ladislaum, Antonium, Nicolaum, Johannem Carolum, & Franciscum. Ladislao Cryptae Comitatus obtigit, qui multos filios progenuit, ut adnotavit Ammiratus. De horum posteris nihil ad nos pertinet, ut de iis mentionem aliquam faciamus, quum post A. MCDL. nulla prorsus hujus familiae exstent Capuae monumenta, ut diximus. Nec diu deinceps Aquinatum de Crypta ramus, qui Beneventi, ac Neapoli virebat, prorsus exaruit exeunte pene hoc XV. seculo, ut omnes testantur.

Ex iis igitur, quae breviter sunt disputata, jam satis patet, Aquinos sive Alveti, sive de Crypta cognominatos, originem suam e Capua duxisse, ibique conti-

nen-

nenter habitasse; licet ex iis quidam vel Beneventi, vel Neapoli apud Reges aliquando sederint.

CAPUT V.

De Aquinorum Ramis Castilionis, & Belcastri in Calabria.

Quod ad Aquinatum profecto Castilionis, ac Belcastri ramos attinet, facilis quidem conjectura est, illos ob novorum feudorum comparationem e Capua, Neapoli, aut Benevento excisos, & in Calabriam illatos floruisse. Nam sicuti ii, qui Capuae domicilium fixerant, nihil dubii est, quin arctissimo necessitudinis vinculo cum Acerrarum, Aquini, Laureti, atque Cryptae Aquinensibus Comitibus fuerint conjuncti; (quamvis illi multoties ob munera, dignitatesque susceptas alio commigrarint) licet ex antiquis Capuae Chartis monumentum nullum nobis de hac in Calabriam Aquinensium commigratione praestetur, praeter illud Ann. MCCCIX. Cap. Thesaur. lit. Q. n. 22. quod Capuae adservatur, temporis edacitate pene consumtum; tamen ut Aquinae familiae in Calabriam translationem sustineamus, a conjectura non abhorret. At quoniam ramusculi isti vel ab Acerranis Comitibus, vel ab iis, qui Capuam incolebant, ubi eorum bona, gentilitia sacella, sepulcraque obtinebant, perinde ac alii succreverint; ipsi quoque Campani ex origine sua cognominandi sint, non autem Calabri, nisi fortuito ob feuda, ac munerum partas dignitates. Prodiisse tamen (ut Aceti, Sirleti, aliorumque hujus surfuris Brutiorum Scriptorum sententiam non improbemus) e Consentia Citerioris Calabriae principe urbe Aquinos quosdam, qui adhuc in iisdem Provinciis existunt, aut alio illinc transmigraverint, nullo pacto inficior. At quae vera sunt, minime rejicienda puto, licet inviti accipiant, & oculo irretorto ipsi aspiciant. Arma & ipsi nobis nolentibus praebuere: Et veritas Historico non insimulanda, aut retegenda est, sed

ſed inquirenda potius atque adprobanda ; cum aeque malum ſit, aut illam ſilentio praeterire , aut mendacibus fucis medicari . Aquinos hoſce nuperos Calabriae , non ex Aquini Comitibus, aut quibuſcumque eorum virgulis prodiiſſe ſatis compertum eſt; ſed ex Agulinis Conſentiae, qui in Aquinos permixti ipſi cognomen ſuum iis inſeruere , qui ad ſuam utique nobilitatem divitias cumulantes hanc Neo-Aquinorum familiam extollere conati ſunt. Quae quidem ſuſe , clariſſimeque probant veteres Calabriae Chartae, & Neapoli monumenta adſervata, ut & Calabri quidam Scriptores , qui MSS. adhuc deliteſcunt.

Verum ad propoſitum argumentum orationem noſtram convertamus . Ammiratus igitur, qui multum induſtriae, ac laboris ad hujus praeclariſſimae familiae genus denudandum inſumſit , quum horum ramuſculorum Caſtilionis, & Belcaſtri praecipuam partem contingat, in eorum initiis conſtituendis anceps judicii haeret . Putat nihilominus, Caſtilionis ramum primo in Calabrias invectum fuiſſe. At non conſonat Campanilis, qui multo ante Belcaſtrum conceſſum adfirmat , ſcil. A. MCCXCIII. a Carolo Rege Roberti Calabriae Ducis patre, qui ob merita Atenulfi in Calabriae praelio trucidati , Thomae de Aquino germanum ſuum Belcaſtri Comitatu munificentiſſime donavit ; ſicuti legitur in Tabulario Reg. Cam. ad A. MCCXCII. lit. A. fol. 115. Ait vero cit. Campanilis, Belcaſtrum Atenulfo Thomae filio Ann. MCCCVI. primum a Rege Carolo II. dono datum , a quo Eques etiam , ac Familiaris filii ſui Roberti Calabriae Ducis fuit inauguratus, annua illi penſione conſtituta 40. unciarum in Salina quadam Vallis Cratis prope Conſentiam una cum oppido Caſtilionis, ad Regalem Curiam devoluto ob mortem Guilelmi Caſtilionaei , qui ſine heredibus deceſſerat. Quod ut aptius comprobetur , in Tabulario Reg. Cam. lit. A. fol. 38. legimus , Atenolſum de Aquino *familiarem Roberti Ducis Caroli Regis Neap. Primogeniti ex cauſa contracti matrimonii cum Yſolda filia*

Andreae de Monteflascone militis constituit illi dotarium uxori super Castro Castilionis in Valle Cratis eidem concesso : de quo feudo assensum petit ; qui statim a Rege impartitus est. Hinc est quod Castilionis concessio annum quidem MCCCVI. praecedere oportuit ; quinetiam A. MCCCIV. ut ex supraenunciato monumento compertum est. At ex alia Charta ejusdem Tabul. R. Cam. legimus, A. MCCXCII. fasc. 12. fol. 120. a t. (quae Scriptorum nostrorum oculos forte fugerat) parum ante MCCXC. Aquini familiam Castilione , & Belcastro potitam fuisse : quum in eo ita adferatur: *Atenolfus de Aquino tenet Castrum Castilionis in feudum novum ; & Comes Belcastri tenet Civitatem ipsam de novo feudo, & Baroniam Barbari cum Casalibus, & alias Terras.*

Atenolfus hic (pergit Ammiratus) ob virtutem suam , ac merita , quibus effulsit A. MCCCVIII. Justitiarii munere in citeriori Calabria decoratus est . Cum igitur quod ab hujus Cl. Scriptoris testimonio discimus, verissime sit tenendum , facili conjectura adsequemur , quinam Aquinensium primus Castilionem obtinuerit , & quo ramo eductus. In Charta quippe illa superius Cap. II. allata, ubi de Acerrarum rami extinctione disseruimus, illiusque lineae Comites fuisse, ab aliis aliquandiu distinctos , assumto cognomine *Aquinorum de Acerra* , inter ejusmodi generis primos adnotari dicitur *Margarita de Aquino dicta de Acerra Thomasii militis de Capua filia , relicta quondam Riccardi de Galluczio nob. viri de Capua . Ibi explicatur tutelae filiorum suorum abdicatio a Marino de Galluczio* eorum patruo , atque *Atenulfo de Aquino avunculo* susceptae. Marinus idem praesens adfuit, at pro *Atenulfo Calabriae Justitiario Castilionis Domino, & S. Donati , ac Regis Familiaris intervenit Abbas Johannes de Olibano Canonicus Capuanae Eccl.* ejusdem *Atenolfi Margaritae germani procurator* ad assensum praestandum , quemadmodum Rex ipse praescripserat, atque *expresse disposuerat*, ut ab pupillorum *matre tutela exerceretur* : quod *nec ipse Atenolfus absens*, neque

neque Marinus, qui *jussu Regis Romam, indeque Florentiam proficisci debebat, exercere poterant*. Id postrid. Id. Octobris A. MCCCIX. peractum. Clare igitur ex hac Charta, quae in Capsa Mon. S. Johan. Cap. sign. n. 3. custoditur, Castilionis ramum ex Acerrano processisse colligitur; atque Thomam illum Margaritae atque Atenulfi parentem, eundem fuisse oportuit, qui Atenulfi filius postremi Acerrarum Comitis fuit, ac defectionis ejusdem Patris causa, secum a Regno Neap. aufugit, & aliquando post ex speciali Regis indulgentia regressum obtinuit; hinc Capuam tunc temporis se recepit cum aliis simul ejusdem cognationis, qui ibi sub Acerrarum cognomine sunt demorati. Qua de re utique exploratum id esset, quod olim Ammiratus in dubium revocaverat, Atenulfum nempe I. Castilionaeum Thomae filium fuisse, cujus Atenulfus alter ejus filius postremus Acerrarum Comes.

Huic Atenulfo de Castilione Thomas filius natus est, qui ad A. MCCCLVII. legitur: *Regius, & Reginalis Cambellanus, Consiliarius, & Familiaris*: cujus (ni fallor) Johanna de Capua uxor censenda est, magni Altavillae Comitis soror, ut habetur in Charta quadam A. MCCCLI. in Tabular. Regalis Domus B. V. Annunciatae urbis Aversae. Ex ipsis ortus est Jacobus: e quo filii Angelus, & Raynaldus progeniti. Angeli progenies producta; cujus posteritatem Aquini alii, sive Agulini Consentiae per Castilionaeam quandam feminam domus, ac familiae superstitem, & heredem superiori seculo propagatam fuisse, non ignoramus. At ad Belcastri Comites describendos accedamus.

Thomam primum Belcastri Comitem fuisse pene omnes conveniunt Scriptores; quamvis de ejusdem inaugurationis tempore inter se minime consentiant, quum Campanilis id A. MCCXCIII. sub Carolo Rege; Ammiratus post Ann. MCCCXX. sub Rege Roberto accidisse adfirmant. Confusionem quidem gignit nominum similitudo, cum plures Aquinae familiae viros eodem nomine nun-

nuncupatos scimus. Ex his multi *Thomasiorum* praecipue adpellationem adepti; ac postquam primo Acerrarum Comiti *Thomasii* nomen inditum fuit, plures deinde eodem vocitatos nomine legimus. Post hunc quidem primus S. Thomas suo nomine generis sui splendorem adauxit; quod & alii deinceps Acerrarum, Laureti, Alveti, aliorumque locorum Aquinenses Comites praestitere. Hinc difficile omnino est, quinam ex una, vel altera prodierit linea, nisi divinatione aliquid assequi velimus. Itaque quo ex ramo Thomas hic I. Belcastri Comes primum originem duxerit, omnino ignoratur. Quod vero investigando consecuti sumus, illud profecto est, fruticem hunc a Thoma de Aquino, exeunte fere seculo XIII. prodiisse; qui nec diu post, Anno scilicet MCCCLXXV. atuit, quum Belcastrum a Regina Johanna I. ob mortem sine heredibus Dominae de Belcastro, Urbs illa Henrico de Sanseverino concessa fuerit. Non improbanda tamen conjectura, Thomam hunc, qui Atenulfi filius appellatur in Charta Monast. S. Laurentii Cassin. Aversae A. MCCCXXXVIII. pene detrita (in qua legitur: *Thomas de Belicastro filius Atenulfi . . . . qui a Roberto Rege Fundos mittebatur* &c. *protestatus est contra A. Abbatem, qui bona aliqua ejus quondam Patris in Gaudo, & Patria occupare temptaverat*) e linea Thomae I. Com. Acerrarum, & Pandulfi S. Thomae abavi, nepotis (sicuti nosces ex familiae stemmate) eductum fuisse; & erui posse credo ex Charta quadam Tabularii Reg. Siclae Neap. A. MCCCXXV. relata in quodam Camilli Tutini MSS. Cod. qui in Biblioth. Brancaciana adservatur, ibique Thomas de Aquino suus filius Belcastri Comes, & Dominus feudi Silvaecandidae, Atenulfi nepos memoratur. Quam quidem conjecturam nemo facile contemnat, quippequae rationi minime adversatur.

Verum Ferdinandus Marra in aliam sententiam discedit, ac Belcastri Comitatum figit ad A. MCCIIC. die 10. Junii Carolo II. Andegavense Rege, Tarascone in Provincia immorante, cujus munificentia urbem illam Tho-

Thomae de Aquino concessam constat, illuc etiam convenientibus Atenolfo Acerrano Comite, ac Bartholomaeo de Capua Regni Logotheta ex Reg. MCCCVII. B. fol. 227. a t. Thomas iste (subdit Marra) fuit filius Atenolfi, & germanus Landolfi parentis S. Thomae, atque Aimonis de Aquino, qui Capuam incolebat. At, salva pace Scriptoris, qui parum utique in suis Genealogicis Collectaneis diligentiae, & sedulitatis impendit, a veritate prorsus aberrat. Atenolfus enim penultimus Acerranorum Comes Comitatu jam dudum spoliatus fuerat. Nec Atenolfus hic germanus fuit Landulfi D. Thomae patris, neque item Aimonis, qui Capuae degebat. Imo Atenolfus jam dictus, Sanctoque cognatione propinquus extra Regnum obiit, Regi Neap. infensus hostis; unusque Thomas, aliique sui filii, ut diximus, ex praecipua Regis liberalitate in Regnum regressi sunt. Neque Atenolfus idem fuit germanus, sed consanguineus Landulfi S. Thomae parentis: neque Aymo ex Aquinatibus Acerranis, sed potius ex Aquini Comitum tertia stirpe, ut alibi innuimus. Verum ne Marrae sententiam omnino improbare videar, dici posse putarem, Atenulfum hunc, quem Acerrarum Comitem ipse adpellat, Atenolfi alterius filium fuisse, quemadmodum Thomas fuisse dicitur. Sed nunc nepos ipse, non autem frater Landulfi D. Thomae genitoris appellandus foret. Utcumque tamen sese res habeat, mendacii semper reus erit, aut saltem negligentiae citatus Marra, adfirmans, id accidisse A. MCCVIIÇ. Tarascone in Provincia Atenolfo Acerrae Comite praesente, quam diu Rex rebellem expulerat.

Hujus Thomae I. Belcastri Comitis (qui Neapoli defunctus, & in sacello Aquinatum in Monast. S. Dominici tumulatus est) nepos fuit *Christophorus Cambellanus*, & *Regis familiaris*, cujus monumentum exstat in dicto Tab. Reg. Sicl. lit. B. fol. 185. A. MCCCXXXVIII. in quo Regale legitur beneplacitum, eidem Thomae benigne impertitum, ut *bona sua feudalia inter filium suum Atenulfum & Christophorum*, *atque Thomasellum de Aquino*

quino

quino ejusdem ex filio nepotes divideret.

Ex hactenus dictis indubie quidem censendum; quocumque Aquinates Belcastri, & Castilionis tempore, vel a quovis ipsorum ramo emerserint, semper post A. MCCLXXIV. quo S. Thomas in coelos evolavit, feuda illa obtinuisse fatendum erit. Quî inepti quidam Brutiorum scioli credant S. Thomam Belcastri natum A. MCCXXIV. quo tempore neque Calabriam fortasse adhuc inviserant Aquinates; & Belcastri urbem alii Belcastrensi cognomine possidebant, a quibus in Aquinos transvectum? At hae commentitiae Calabrorum nugae, quae cachinnum sane movent aptius infra recoquentur.

CAPUT VI.

De D. Thomae Parentibus, Fratribus, ac Sororibus.

Aquinorum ramis ad vivum resectis, ac minutim quae ad illorum cognitionem pertinebant, distinctis; quo pacto in varias urbes, aut loca fuerint propagati, quae obtinuerint feuda, in proclivi est colligere, Landulfum D. Thomae patrem ex Aquini Comitum familia omnino ortum; ac sublata cum antiquissimo stipite ejus dependentia, neque Acerrarum, neque Cryptae, aut Alveti, neque Laureti, aut Castilionis, sive Belcastri demum Comites sunt cum ipso confundendi. Nunc de ejusdem D. Thomae parentibus, germanis fratribus, ac sororibus orationem instituamus, ut quae in ejus vitae Actis observantur, ad trutinam revocentur; ut quod Calabri Scriptores falso prodidere, omnino explodatur.

Landulfus igitur ex Aquini Comitibus S. Thomae parens fuit, quod quidem inficiari nemo ausus est. Majorem natu fratrem Raynaldum appellatum fuisse nemo itidem est, qui in dubium revocaverit. Natus est Landulfus Anno circ. MCLXXVII. (Ricc. a S. Germ. habet A. MCIIIC.) Hic cum fratre suo Raynaldo in oppido Roccaesiccae se communierat, atque Imperialis Henrici Aug.

ci Aug. exercitus, Duce Odone Diopoldi Acerrarum Comitis fratre, obsidionem tamdiu sustinuere, quoad mortuo in Sicilia Augusto, obsidio sublata fuit. Hinc ipsum adulta satis aetate tunc temporis, atque ad munera obeunda, praeliaque committenda idoneum valde fuisse colligimus. Idem Chronologus ad A. MCCX. & MCCXXIX. de eodem Landulfo verba facit, qui simul cum nepotibus suis Comitatum Aquinensem omni, qua par erat, diligentia ac sollicitudine tutatus est, ut hostes ultra fines suos numquam egredi ausi sint. De eo quoque Atinense Chronicon meminit, quod ea tempestate Atenolfus ex Aquini Comitibus cum filio Pandulfo in vivis agebat, uberrimaque monumenta a P. Abb. Gattula in Hist. Cass. edita exstant, e quibus ramorum varietas evincitur Dominorum de Arce, de Alveto, de Roccasicca, de Aquino; licet ex eademmet omnes gente processerint.

Dubitat tamen Marra, idemne Landulfus hic fuerit, qui juxta Juvenacii Diarium, jam a Muratorio editum, ad extremam pene desolationem a Conrado Imp. A. MCCLI. adductus fuerit, ac biennio post Neapoli cum Innocentio PP. IV. diversatus, cui Cassin. Abbas perinde, ac alii sui consanguinei usque a Federici Aug. aetate favebant. At parcat precor heic etiam Cl. Scriptor. Quî fieri potuit, ut Landulfus hic S. Thomae parens fuerit, quum ille ante ann. MCCXXXIX. dies suos morte complesset, quo tempore Religionem Fratrum Praedicatorum S. Thomas ingressus est? A conjectura tamen non absonum puto, hunc Marrae Landulfum D. Thomae germanum fuisse, Summi etiam Pontificis fautorem, quemadmodum pater, & alii fuerant sub Federico Aug. Quamvis ex ipsamet Aquini progenie alii Augusto suffragati fuerint, ut evidenter ex pluribus Chartis ap. Gattulam loc. cit. ex Atinae Chronico, Ricc. Sang. aliisque. At neque in veteribus monumentis, neque in synchronis Scriptoribus, hunc Landulfum Sancti germanum uxoratum unquam fuisse legimus. Id a me adnotatum rite putetis

tetis velim, ne Calabri Scriptores ex Landulfo hoc fortaſſe S. Thomae germano originem duxiſſe ramos vel Belcaſtri vel Caſtilionis in Calabria praeſumant.

Verum a Cl. Brutiis mihi objici poſſet, quo pacto Landulfum hunc ex Aquini Comitibus patrem D.Thomae fuiſſe conſtet? Cur alium ab eo fuiſſe haud liceat affirmare, qui ex alio Aquinorum trunco eductus, idemque nomen ſortitus talem filium genuerit? At quis unquam, niſi e Calabrorum grege nuperus Scriptor aliquis deneget? Nova quidem, quae vera ſunt, procul dubio placent, ſecus fabuloſa. Et quidem quis ſine temeritatis nota negare auſit quod firmiſſimis argumentis conſtat? An non ſola Canonizationis D. Thomae Acta ſufficerent? Haec ſi cui legendi otium dabitur (uti mihi olim datum) in Tabul. Conv. S. Dom. Neap., & in Actis SS. Bolland. To. I. menſ. Martii die 7. ſibi plane conſtare affirmabit. Teſtes ibi omnes unamini plenoque conſenſu ipſum ex Aquinenſium Comitum ſanguine, in eoque Comitatu ortum habuiſſe teſtantur, qui Angelicum Doctorem, ejus patriam, parentes, conſanguineos, alioſque ſibi conjunctos agnovere. Adde Scriptores omnes ejus aevi, qui Acta ejuſdem deſcripſere; ii uno pene ore, e Landulfo Aquinatum Comitum conſanguineo, eorumque in Comitatu illum natum adfirmant: uno duntaxat Barrio, ſive Sirleto, excepto, poſtque hos ceterorum Calabrorum grex pecudum more gradientes in meridiana luce coecutiunt. At Barrii, Barrianorumque adſentatorum omnium pace, quinam Landulfus alter alius ab eo, quem pronunciavimus, eo item tempore, dum is degebat, aperiant? Aquini quidem tum Comites, quorum memoria exſtet, Atenulfus & Pandulfus erant, qui vel in Arce, vel Atinae morabantur. Aquini Comites etiam Lando, & Landenolfus, qui Alvetum incolebant. Thomas atque Atenulfus Acerrarum Comites ex Aquini Dynaſtis: Rainaldus, Aimon, Johannes, qui Capuae domicilium fixerant; nondum Aſculi, Cryptae, Laureti, atque alii jam ſupra deſcripti Comites diviſi fuerant. Qui

nam

nam igitur D. Thomae pater dicendus erit, nisi ex Aquini Comitibus Landulfus hic, qui unus hoc nomine vocitabatur, & Roccaesiccae Castrum incolebat? At dum ipsi quid respondeant, Brutiosque Scriptores percontantur, ulterius nobis progredi liceat, & D. Thomae matrem, quaenam ea fuerit, investigemus.

Matrem S. Thomae Theodorae nomine adpellatam fuisse omnes norunt. Eam Scipio Ammiratus e Theatensibus, sive Marsorum Comitibus (eodem quippe progeniti sanguine) ortam credidit. At similiter Marra, Campanilis, Nicolinus, Peregrinius, Monachus, aliique Ammirato adversantur, asserentes, filiam quandam Teani Comitis a Landulfo desponsatam: quod etiam confirmat P. Jac. Echardus Ord. Praedic. in vita hujus S. Doctoris praefixa editioni Operum S. Thomae Venetiis A. MDCCXLV. To. I., inquit, *Ex illustri ac praepotenti in Regno Siciliae Comitum Aquini gente originem duxit Thomas, Landulfum Aquini Comitem, Castrorumque S. Johannis, & Rupisiccae Dynastam, & hujus paris nobilitatis conjugem Theodoram e Comitibus Teanensibus oriundam parentes habuit*. Sed nec fortasse Ammiratus ex proposito erravit; at e veteribus MSS. monumentis ea quae reperit, transcribens, deceptus est, Comitatum Theatensem cum Teanensi confundens. Nemo quidem inficiabitur (quae & Ammirato latere nequiverant) Marsorum Comites, suosque consanguineos ab Aquini Comitibus eo temporis diffidere, quod in Chronologis Cassinensibus, Atinensi, & Sangermanensi passim occurrit. Aquinenses vero Dynastae, ac Teanenses, qui ambo e Campanorum Principum sanguine ortum ducebant, foederis; & concordiae nodis conjuncti erant; ideoque verosimilius tenendum, hacce ex stirpe Theodoram, non ex Marsorum sanguine prodiisse. Animadvertendum heic etiam, quod ad Lugdunense Concilium S. Thomas profecturus A. MCCLXXIV mortisque suae jam praenuncius, e consanguineis suis Neapoli, & Capuae degentibus discedens, neutiquam expeditiore, vulgarique via Romam versus

 iter

iter arripuit, sed Teanum prius abiit, ut ibi vale propinquis suis diceret, postea Fundos eadem de causa declinavit, ac tandem Magentiam oppidum se contulit; ut ibi neptem suam Franciscam de Aquino inviseret, conjugem Annibaldi de Ceccano illius oppidi, aliorumque Domini (ut legitur in Regesto Caroli Regis A. MCCLXXII. lit. B. fol. 170. *Nobilis mulier Francisca de Aquino uxor Annibaldi de Ceccano neptis venerabilis viri F. Thomae de Aquino Ord. Praed.*) ibique quum stomachi languoribus, quibus diu afficiebatur, nimium cruciaretur, diem sibi ultimum propinquare sensit. Id ex virulenta quadam potione sibi propinata accidisse quidam addubitant. Quod exploratum profecto est, D. Thomam paucos ibi dies immoratum, ad Sinibaldum de Ceccano neptis suae avunculum Monasterii Fossaenovae Cisterciensium profectum fuisse, in eoque Coenobio Nonis Martiis, Ann. MCCLXXIV. ad Coelorum Regnum avolasse. Quare verisimillimum prorsus putandum est, Angelicum Doctorem, mortis suae praescium Teanum, Fundos, Magentiam perrexisse, ut vale consanguineis dicto, aeternae salutis monita ad singulare suae caritatis argumentum iis postremo relinqueret. Neque amor idem eum ad Marsos, aut Theatenses, vel Sangrinos, aliosque ejusdem familiae viros visendos impulit, quos sibi conjunctos non habebat.

At vel e Teanensibus, vel e Theatensibus Comitibus Theodora D. Thomae parens prodierit; illam ex Caracciola familia, ut ineptissime aliqui fabulati sunt, ortam fuisse, neutiquam credendum est; neque Calabram fuisse, ut Scriptores aliqui Brutiorum Provinciae somniarunt. Haec siquidem in Actis Canonizationis legenda erant, in quibus neque de Caracciola, neque de Calabra omnino familia verbum ullum. Imo Theodoram hanc e Campaniae nostrae Dynastis progenitam, non autem Aprutinam, aut Calabram memorant: illuc fortasse ductam, ut S. Thomam Calabriae incolam pareret, quod Calabri extorquere vel ab invitis exoptarent. Acta ejus vitae,

quae-

quaeso, evolvant, & omnis ambigendi locus deerit. Ibi Theodoram in Castro Roccaesiccae praegnantem cognoscent, quae Solitarium quemdam convênit, ut nasciturae sobolis indicium aliquod sibi praeberet; eùmque (ut creditur) divino afflatum numine, Divi Thomae ortum praesagiisse, qui Ordini Praedicatorum aliquando nomen daret, & scientiarum splendore omnium praefulgeret. Natus itaque est, & Baptismi aqua renatus in Castro Roccaesiccae Comitatus Aquinensis; aedesque illa, in qua ortus est, Deo sacra dedicata, atque hactenus communi omnium venerationi patet: quod ibi is adhuc puer, decidente fulmine, incenso cubiculo, incolumis evaserit; quo tanti viri virtus ad Ecclesiae emolumentum coelitus servati aperiretur. Haec omnia in Castro Roccaesiccae contigere; nec excogitari quidem poterit, si natus in Calabria fuisset S. Thomas, haec, ipso adhuc lactente, in Campania accidere potuisse. Insuper vix quinquennis a parentibus Landulfo Sinibaldo ejus avunculo Cass. Abbati oblatus, ut sub ejus disciplina instrueretur, diu inter Monachos illos versatus est. Ex quo aliqui S. Thomam Cassinensem Monachum crediderunt, quod a veritate profecto abhorret. Is enim ibi solummodo alumnus, & convictor, non autem Monachus (licet Monachi habitum detulerit) censendus est. Ibi itaque primae Grammaticae, & humanarum literarum rudimenta addidicit; tum cognito pueri ingenio ad Philosophicas, Theologicasque disciplinas comparandas Petro de Ibernia, & Martino de Neapoli Cassinensibus Neapoli traditus est. Quid igitur est, ut Thomam Calabriae natum credamus, & Cassinum a parentibus missum, ibi morum disciplina, ac scientiis imbuendum? Non deerant profecto in ea Provincia alia vel Cassinensium, vel Basilianorum, vel Cistercienfium, a quibus tum humanae, cum divinae literae comparari poterant, illustria Coenobia in Regione, inquam, illa, in qua, ex Barrii sententia, *illustrior tota Italia est, demto Latio, quod ibi Roma sit*. Sed quae primum Calabro Geographo ignota erant, nunc

plane perspecta confiteatur, & obmutescat. Ulterius interim properemus.

Duos se natu majores germanos habuit Thomas; Raynaldum scilicet, atque Landulfum, qui quum pro Apostolicae Sedis defensione in Hetruria ad Aquaependentis oppidum militiae incumberent, fratrem Thomam ibi, jam in Praedicatorum Ordinem cooptatum, retinentes in Castrum S. Johannis, vel Roccaesiccae, genitrice etiam annuente, in custodiam detrusere, in quo ad biennium fere detentus, sororem Mariam (al. Maroctam) a seculi pompa avocavit, quae in Virginum postea Monasterio Capuae castitatem Deo illibatam servavit. Ibi etiam ejus pudicitiâ ab impudenti muliere exagitatâ, nobilem de ea triumphum retulit; quo sibi ab Angelis sibi constringi lumbos visus, in posterum incontinentiae labe fuit omnino servatus. At ad Barrium, & Calabros regrediamur. Si D. Thomae genitrix, sorores, aliique de familia Belcastrum tunc incolebant, ut gratis asseritis, cur in S. Johannis, vel Roccaesiccae Castro illum incluserunt, secus in Arce Belcastri, ut arctius custodirent? At reponent fortasse Calabri, Arcem Belcastri adamussim Roccamsiccam adpellari, aut S. Johannis Castrum, soli Brutiorum Geographo notum, quodque alii *valde rudes Geographi* ignoraverunt. At nugantur. Raynaldus natu major, qui in manus Friderici Imp. Sanctae Sedis perfidi hostis inciderat, in carcerem detrusus fuit, aerumnisque confectus occubuit, ita ut fere Martyrem praedicent S. Vincentius Ferrerius, & S. Antoninus Archiep. Flor. Hist. Part. III. tit. 23. c. 7. apud Prierium (a) aliosque: *quia mors ei illata sub tyrannide Friderici Imperatoris fuit eidem ad martyrium deputata propter causam Ecclesiae, quam defendit, & patientiam, quam habuit in tormento*. Fueritne conjugatus Raynaldus, dubitant Historici. Crederem profecto uxorem habuisse (cujus nomen, familiamque desideramus), & Franciscam illam

(a) *Part. I. v. Eucharistia n. 4. Prierius.*

illam de Aquino Ceccani Dominam, quam supra memoravimus, ejusdem fuisse filiam, ut alii quoque Scriptores adfirmarunt. Landulfus quidem caelebs defunctus est, quem Fridericus etiam insectatus est, quod a se abalienatus, pro Pontifice militasset. Quare Aquinum, ejusque Comitatus ab Augusto eversus est; nec diu post civitas illa veniam impetravit ex praecipua Caesaris indulgentia, ut habetur in Epist. Petri de Vineis To.II. Heic etiam obiter advertendum, errasse quosdam Auctores, Landulfum hunc primogenitum existimantes, non vero Raynaldum: quod quidem evincitur ex Charta Thes.Cap. A. MCCXL. in qua legitur: *Rainaldus de Aquino Comes filii quondam Landulfi Comitis de Aquino; necnon Landulfus germanus frater dicti Rainaldi . . . pro assecurutione dotarii Adelasiae sororis* &c. & ex altera Monasterii Monial. S. Mariae A. MCCXXXIV. in qua memorantur: *Landulfus Pater, Reginaldus, & Landulfus filii dicti Landulfi Comites Aquinenses* &c.

Sorores S. Thomae etiamnum ab omnibus fere Scriptoribus tres tantummodo enumerantur, Marocta nempe, Theodora, atque Maria (al. Maruccia). Quartae Adelasiae, praeter Marram, (quamvis etiam obscure) ex Auctoribus nemo mentionem facit, qui aut hujus familiae, aut S. Thomae Acta descripsere. Nodum solvit Charta Thes. Cap. quam nuper adduximus, in qua apertissime de dote Adelasiae (quae inter sorores primogenita) differitur: ibique soror adpellatur Raynaldi, & Landulfi filii quondam Landulfi Comitis Aquinatis. Nuptui tradita fuerat, vivente genitore, Rogerio de Aquila Fundorum Comiti ante A. MCCXXXIX. Occubuit, dum in vivis agebat S. Thomas, nec diu Adelasiae supervixit vir ejus Rogerius, qui obiens ipsi D. Thomae in testamento mandavit, ut suae voluntatis vota perficienda curaret. Qua de causa multoties se Capuam contulit (quod ibi Regia aderat Curia) ut testatur Barthol. de Capua in praecitatis Canonizationis Actis, & in Charta R. Sicl. Neap. A. MCCLX. lit. A. fol. 113. in qua legitur: *Fra-*

Frater Thomasius de Aquino Ord. Praedic. dilectus, & amicus Regius institutus exsecutor testamenti quondam Rugerii de Aquila Comitis Fundorum &c. Altera soror Marocta fuit, quae in Monasterio S. Mariae urbis Capuae S. Benedicti Regulam professa est A. circ. MCCXLII. fratre hortante; & eidem Coenobio praefuit Abbatissa, ut ex Monasterii Necrologio, A. MCCLVII. & MCCLVIII. ibique sanctissime vitam agens meritis cumulata ad sponsum evolavit, ejusque sepulcrum post veteris Ecclesiae ruinam A. MCCCLXXXIII. communi infortunio deperditum, vix traditione servatur in Monialium Regesto. Tertia ejusdem soror Theodora conjugio copulata est Rogerio Sanseverino Marsici Comiti, patri Thomae illius, qui Salerni cum ejus genitrice Theodora sepultus est in Sacello a se exstructo, in quo brachium D. Thomae, a Monachis pridem Fossaenovae sibi concessum, deposuit, Monasterio Fratrum Praed. Sacelloque in eadem Ecclesia posito. Ultima natu Soror Maruccia, sive Mariuccia fuit, quam in matrimonium collocarunt cum Torani, & Marani in Samnio Domino, de quo apud Ammiratum, aliosque Genealogistas exstant monumenta.

Age nunc ad nostrorum adversariorum proterviam conterendam redeamus. Ex hujusmodi S. Thomae sororibus nullam alicui familiae, quae tum in Calabria florebat, collocatam, neque Maroctam illustre quodpiam illius Regionis Coenobium (ubi multa fortasse exstabant) ingressam legimus, ut ibi Deo dicatam virginitatem custodiret. Cur igitur Calabriae Aquinenses, ut Barrius, ejusque Scholiastes somniarunt; e Belcastro sorores suas Capuam, vel in ejus Principatum transmissas vellent (Regionem profecto proculdubio dissitam, & sibi fortasse minime conspectam, vel ob coeli inclementiam inamabilem, aut saltem intervallo ipso satis incommodam!) quae tam a se dissitae suis obstitissent commodis? Si Capuae, Aquini, ac in aliis Campaniae locis Aquinatum familia vigebat, quod certissimum quidem est, ibi sorores nubendas curarunt germani; quo eorum decus, amplitudo, opes

con-

conjugiis vicinorum sibi Dynastarum augerentur, suisque ita commodis, atque utilitati consulerent. Quorsum ergo Calabri cum Aquinis D. Thomae, Belcastrenses immiscent, qui seculo XIII. Dei *manebant alta mente repositi*?

Ac ut argumentum aliquod etiam, quod a verosimili non abhorreat, in medium adducatur; illud profecto est, quod a Patriae amore usurpare licet. Amor quidem Patriae nobis natura insitus animum ad eam honoribus, beneficiisque afficiendam impellit; hinc Ovidius:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Belcastri natum D. Thomam Barrius obstinato adserit. Anne ingratum colonum, & suae Patriae immemorem omnino putas, Barri? Ibi ortum Angelicum Doctorem praedicas, qui sibi nunquam animum induxerit, ut suos aliquando inviseret, Monasterium aliquod exstrueret, aut aliquod pietatis argumentum ibi relinqueret. At non ita in Campaniae urbibus factum legimus. Saepe Capuam, Teanum aliquando, Fundos, S. Germanum, Aquinum, Neapolim frequenter adiit. In Casinensi urbe a Bernardo Abbate LIX. D. Thoma exorante, Fratribus Praedicatorum Monasterium exstrui concessum fuit: quod ejus precibus Cassinenses annuerint, qui ab iisdem optimam educationem, virtutum exempla, scientiarumque cognitionem ebiberit. Idem in Capuam amoris specimen praebuit. Monasterium ibi exaedificandum voluit, quod licet, impendente morte, non confecerit, paulo post ejus obitum tamen ob tanti viri pietatem, sorori, familiaeque (quippe quae ex ea urbe originem trahebat) debitum officium Campani cives absolvendum curarunt. Qui poterunt Calabri amorem aliquem vel levissimum S. Thomae nobis ostendere, ut hoc pacto evinci quoquomodo possit, illum in Calabria ortum habuisse? Monasterium Fratrum istius Ordinis praeferunt; sed quando idem constructum? Anno circiter MCDXX. nempe post seculum, & am-

& amplius, quo S. Germanum, & Capuam urbes Fratres Ordinis incolebant, sacras D. Thomae reliquias jam adservabant, Patronumque honorifice extollebant. Imo jam & Salernum illius Ordinis Fratres, sororis cura studioque, invecti erant, quod gratum Fratri suo fore crederet. *Obmutescant igitur*, Barrii ipsius verba usurpare liceat, *& digitum ori apponant maligni obtrectatores, & mentiri desinant*. *Magna* enim, inquit Seneca, *est vis veritatis, quae contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, & contra ficta, insidias hominum facile per seipsa defendit*.

CAPUT VII.

De vera S. Thomae Patria tum quoad nativitatem, tum familiae suae originem.

SUpervacanaeum fortasse plerisque videbitur, de D. Thomae patria, ac origine aliquid addere, cum ex dictis satis superque Lectori compertum sit, illum ex Aquini Comitum sanguine ortum. At nequid omnino Calabris desit, quo eorum error, ac pertinacia funditus refellatur, silentio haud praetereundum existimo, quod de hujus S. Doctoris patria, ac origine peculiariter differendum videtur.

Etsi triplici ratione, ex Jurisconsultorum sententia, alicujus loci quis Civis dicatur; vel fortuito scilicet ortu, quem is alicubi sortitur; vel ex majorum suorum origine; vel ex diuturna demum mora, aut domicilio, quo quisque in aliquo loco immoratur ex legum municipalium praescripto, & consuetudine; re tamen vera communi omnium consensu receptum est, illum vere alicujus loci Civem universim dici, in quo in lucem editur, & sacro Baptismo abluitur, ac per longum temporis intervallum illic inhabitet, licet aliquando alio immigraverit. Habitatores enim, *qui in aliquo loco domicilium conduxere, incolae*, seu *cives ad tempus appellantur*, ut docet Glos-

Glossa in L. Cives in fin. Cod. de Incol. apud Nicol. Boerium Decis. 13. num. 51. Ibi Ictus egregie sustinet, *proprie civem dicendum originarium, secus qui ortum obiter in aliquo loco duxerit: Originarius non dicitur quis loci, in quo natus est transeundo, ut dicunt Doctores in textu L. cives Cod. de Incol.* & num. deinde 53. filium ibi in lucem editum, ubi nec moram, nec domicilium mater figere exoptasset, originis illum majorum suorum jus, sive civile munus retinere contendit. Consonat Card. de Luca qui in Mantissa, To.IV. dec.8. Lib.XIII. n.23. adfirmat, *verum jus munusque civicum originis ab ortu simul, atque origine dependere*: ex quibus plane verbis colligitur, fortuitum ortum ad verum absolutumque civitatis jus adipiscendum haud satis esse. Quam communem sententiam amplectuntur Icti; licet non desit (a) qui verum civem illius loci, in quo fortuito quis nascitur, adpellet; ut supra notatum. Ex communiori igitur Doctorum sententia, illos vere alicujus civitatis jura consecutos dicimus, qui praeter ortum, majorum etiam originem adjungunt. Quamvis enim alibi quis aliquando nascatur, illius loci civicum jus non amittit, ex quo is originem trahit. Hinc Neapoli Nobilium filii, ubicunque nati sint extra urbem, *censentur tamen veri cives Neapolitani, quia non amittunt in feudis nascendo civilitatem originis*, ut ostendit Reg. de Marinis in suis Resol.

His profecto positis, nullus omnino relinquetur ambigendi locus, quod ad D. Thomae Patriam spectat. Si enim illius ortum spectemus, Roccamsiccam ejus Patriam dicemus, oppidum nempe in Aquini Comitatu, & Campaniae Provincia situm, ubi natus est, atque ab Aquinensi Antistite Romani Pontificis vices gerente A. MCC. XXIV. (vel initio A. MCCXXV. ut Bollandus contendit) sacro fuit Baptismate ablutus, quod Parthenius Etyrus (seu Petrus Aretinus) testatus est, Francus, & Ar-

(a) *Vid. Gratian. cum Luc. Disc. Forens. c. 75. n. 11. Tom. 1. Luca de Praem. disc. 37.*

riaga apud Marchesium in Diar. Dominic. 7. Martii; & Prierius loco sup. cit. Haec quidem illius Oppidi, Dioecesis, ac Provinciae constans est traditio; nec unquam a primis vitae S. Thomae Scriptoribus, aut meritorum suorum praeconibus, infirmata, cujus rei qui pleniorem cupiet cognitionem, praecit. consulat Bollandum. Quod si ad locum familiae originarium attendere velimus, Capua itidem ejus Patria adpellanda erit, e cujus Langobardis Dynastis Aquini Comites profecti sunt, ibique inhabitarunt consanguinei pene omnes, & praecipue Landulfus ejus parens, qui fundos, domos, sacella, ac gentilitia sepulcra ibidem habebat. Itaque vere Capuae Cives ex Aquina Familia progeniti adpellandi sunt, uti apertissime contestatus est Alphonsus Rex Neapoli in privilegio illo, huic urbi concesso, & in aureo libro adservato, ubi de Aquinis Capuae verba faciens, haec ait: *Tamquam antiqui majores Cives* (Aquinates), *& benefactores Civitatis Capuae*.

Nec ignoro, testes aliquot mihi opponi ab Calabriae Historicis, qui tam oppidum Roccaesiccae, quam Capuam Divo Thomae, vel ortus sui vel originis ratione, Patriam fuisse contendunt. Cantipatrensem profecto primum, qui Lib. I. c. 20. n. 10. *de nobilibus Parentibus de partibus Romanorum* ortum fuisse adserit; idque confirmat Auctor Actor. Mag. Sac. Ord. Praedic. Lib. IV. c. 17. Sed huic futili argumento sup. Cap. I. satisfecimus. Nec profecto ab Historico non Italo res Italicas bene digestas expectasse sperandum est. At fortasse neque Cantipatrensis hallucinatus est in iis verbis: *de partibus Romanorum*: quum de Aquinate Comitatu, qui in finibus regionis Romanae, & Campaniae Regni Neapolitani interjacet, locutus quidem videtur. Ignorabat fortasse Historicus certam D. Thomae Patriam; idcirco locum tantummodo innuit, Aquinorum Dynastiam circumscribens, quae Romanae regioni erat contermina. Quare *τὸ partibus* pro *finibus*, fortasse ex Cantipatrensis sententia intelligendum. Sicuti & innumera alia prostant exempla in Chronol. Saxon. ap. Leibnit.

nit. in Chron. Ostiens. Vulturn. Farfens. in Anastas. Biblioth. aliisque, in quibus, quum Romanae Provinciae fines cum Neapolis Regno describantur, *de partibus Romanorum* formula perpetuo usi sunt, *e Romae partibus*, *a Campaniae Romanae parte* &c. ad designanda loca Neapolit. Regno finitima, vel ipsius Romanae Campaniae proxima.

Opponunt & verba Brevis Apostolici Clementis PP. VIII. quo Neapolitanorum precibus D. Thoma in suum Patronum adsumto, Neapolitanus is Civis adpellatur: ibi enim: *Cive vestro*. Non igitur alibi natus, nisi Neapoli, cujus urbis Civis a Pontifice affirmatur. At & hoc etiam argumentum futile est. Et quidem an simplex Brevis Apostolici adsertio veritatem hactenus dubiam infirmet, cum illud Principis indulgentiâ petenti concedatur, ut asseritur, nihil prorsus addito, vel imminuto, aliis in judicio inauditis, nihil moror expendere. Nobiles enim tunc Neapolitani Decuriones, qui se ex Aquinorum familia suis in Sedili adgregata jactabant, S. Thomam etiam Neapolit. Civem credebant, & hoc in supplici libello Pontifici porrecto proculdubio fuit exponendum. Verum haec a veritate quidem aliena erant, cum neque S. Thomas, neque germani fratres, neque alii consanguinei in Neapolitanas Sedes sint cooptati, nisi ineunte seculo XIV. quo S. Thomas, ejusque germani fratres e vivis jam excesserant. Verum illorum petitio Sancti fortasse Familiam spectabat, quae deinde Civitate Neapolitana donata fuit ob diuturnum illius, ac S. Thomae ibi domicilium. Hoc profecto verissimum, quum & Aquinates in Neapolitani Decuriones creati A. circ. MCCC. & S. Thomas diu hac in Urbe permansit tam adolescens Cassinensium in Monasterio S. Severini discipulus, quam in Cathedra Magister Sacras literas docens, cui *Rex Carolus pro lectura* (ut in Reg. lit. B. fol. 1. (*unciam unam per mensem ponderis generalis sibi solvendam de Doanae fructibus donat* &c.

Acetus tamen Cl. Barrii scholiastes urget, Freherum,

Quenstedium, Nicolosium, Sirletum, aliosque nobis objiciens. Me miserum! Nec Hercules contra duos. At veritatem minutim expendamus. Freherus in Th. vir. Ill. To.III. p. 1419. haec ait: *Thomas Aquini natus est Chonae Calabriae urbe, bodie Belcastro dicta A. MCCXXIII. patre Landolfo Comite de Aquino . . . . . . & spreto patrimonio, Italia excedens, Coloniam Agrippinam primum accessit, ubi S. Dominici Ordinem suscepit.* Obiit in Coenobio Fossaenovae *inter urbes Neapolim & Romam sito VII. Martii MCCLXXIV. & 50. aetatis suae.* Quot verba, tot sphalmata! Nec Historicum omnino sapit, nec Geographum; ac praesertim, quoad Geographiam attinet, de locis nostratibus Germanicos Scriptores parum instructos fuisse novimus, quamobrem nullius momenti illorum testimonium omnino reputandum. Et quidem Barrius ipse e Frehero mutuatus est, quod falso asseruit, Choniam urbem Calabriae sitam fuisse. Quod ut aliquo argumento firmare contendat, absurdius quiddam obtrudit, Nascarum amnem, qui Belcastrum alluit, Sirim (qui Tarentinam oram interfluit) vocitatum adfirmat Lib. IV. de Sit. Calabriae: *Chonam autem*, inquit, hoc est *Belicastrum, Nascarus fluvius, Sirus olim dictus, adlabitur*. At quidquid sit de Chonia regione, expendamus cetera. D. Thomae nativitatem Ann. MCCXXIII. Freherus assignat; amanuensis lapsus fortasse hic. Ceterum Scriptores pene cuncti (si Bollandum excipias, qui ad Ann. MCCXXV. eam reponit) Anno MCCXXIV. affigunt. Coloniae Agrippinae Praedicatorum Ordinis habitum suscepisse, ait. Ubi haec tam recondita hausit monumenta Freherus? Quisnam haec unquam somniavit? Coloniam jam Monachus professus adiit, ut sub Alberto Magno sanctissimo, ac doctissimo praeceptore divinas scientias addisceret: in haec omnes S. Thomae Acta describentes consentiunt. Germanicus noster nova commentitia prorsus & absurda nobis obtrudit. Quid etiam de illa tam praecellenti Fossaenovae *inter Neapolim, & Romam* definitione dicendum erit, quum ab oppido illo Neapolim

lim

lim, pluribus interpositis urbibus, trium fere dierum iter excurrat? At longum esset Freheri hallucinationes, atque mendacia explodere: quae quisque facile advertet. Hunc sane Scriptorem pro Calabrorum defensione ceteris Italis Historicis anteferre studuit Acetus.

Sollicitus Quenstedium legere cupiebam; quem minime invenire valde displicuit. At in Freherum laetus incidi, ejusdem profecto furfuris virum illum credidi; sicque ad Nicolosii doctrinam discutiendam animum adjeci. Haec ille in Herc.Siculo, sive Geograph.Part.III.fol.108. *Jactat se* (ait de Belcastro verba faciens) *exstructam esse super cineres Petiliae* (non amplius *Chona* Freheri; sed nec fortasse *Petilia*, quae *Strongoli* fuisse creditur), & natalibus *Angelici Doctoris S. Thomae gloriatur*; nota verba illa *jactat*, *& gloriatur* (ignorat sane Nicolosius *jactandi* vocabulum saepissime in malam partem ab Auctoribus accipi, unde *Miles Gloriosus* Plauti Fabula inscribitur); *& forte potiori jure quam Neapolis* (omnino falsum quod uti indubium heic reponit): *Sanctus enim Doctor se Calabrum fatetur*. En optimum Geographi nostri testimonium, qui vel quod scripsit nesciebat, vel omnino, quae legerat, animo excidère. Quorsum isthaec, amabo, Nicolosius? Dubius loqueris primum, ac postremo male concludis. Cur cum Neapoli comparationem effingis, si haec quidem urbs nunquam se D. Thomae ortum praebuisse jactata est? Ostendat nunc nobis Cl. Auctor, quonam loco e multis S. Thomae Operibus *se Calabrum fassus sit*. Testor omnes qui D. Thomae volutarunt Opera; anne in iis fere quatuor seculorum spatio horum quicquam invenire contigit? Gratis haec Calabri adserunt, gratis habeant; atque quoad locum istum nobis non ostenderint, eos convicii, doli mali, & falsi criminis merito sunt expostulandi. Sed infra aptius.

Reliqua Cardinalis Sirleti diluenda esset objectio; quam quidem sequenti Capite propositam nullo negotio confutabimus: *sententias eorum prodiisse superasse est*, ut D. Hieronymus ad Ctesiphontem.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

Brevis discussio rationum, quae in hac re a Calabris adducuntur.

UT quibus innixi fundamentis monstruosum sententiae suae aedificium Calabri Scriptores exstruxerint, eruditus Lector optime cognoscat; congruum profecto hoc ultimo capite mihi rationes expendere visum est, ut si pro iis, aut pro me causa steterit, definiatur. A Card. Sirleto exordium sumo, qui huic fabellae initium dedit. Ipse enim in Opusculo de Emendat. Breviarii Rom. ad Calabriam suam magis illustrandam omnem adhibuit industriam, qua de re D. Thomam Calabrum fuisse contendit, ex Belcastri Comitibus natum: quam quidem fabellam Barrio suo postmodum communicavit; inde hauserunt & Ananias, & Nicolosius in sua Geographiae descript. & Freherus, & recentiores aliquot, quos memorare pudet. Novum orbi, ad hoc confirmandum argumentum, Sidus detexit Sirletus, Sidus illud nempe fulgentissimum, „quod quotannis a primis S. Thomae Festivi„tatis vesperis per totum insequentem diem noctu diu„que (nisi tamen densa nebula, aut imber aërem obum„bret) clarissime resplendeat super Arcem Belcastri, in „qua ejus ortus praeclaro hoc signo praemonstrari adse„ritur.

Celeberrimum quidem, totoque in orbe evulgandum esset miraculum (quamvis parum ad nostram rem) si id inficiari minime liceret. At ego, qui nec libenter populari famae, nec Calabris nimium credulis fidem habeo, ad trutinam illud revocabo, ut aurum ab aurichalco secernatur. Sirletum interrogemus, utrum Belcastrenses, qui eum aetate praeiverunt, ad hocce tam illustre phaenomenon ac mirabile supra Belcastri Arcem conspexerint aliquando. Si illud minime advertisse affirmarint; ut quid illud affulsisse adserit Sirletus sequioribus temporibus? At si revera illud adverterint, cur in publicis Tabula-

bulariis, in Actis saltem privatis, monumentisve Scriptorum mirabilem hanc Epiphaniae renovationem minime descripserunt? Innumerabilium quippe tubarum strepitu hoc insigne prodigium a Calabris canendum merito erat. Cur ergo nec a nativitate ad obitum usque S. Thomae, nec post ejus mortem A. MCCLXXIV. ad aevum usque Sirleti Calabri, tria nempe post secula, obmutuere Brutii, in re tam nota caecutientes, aut stupidi? Scripsit utique Barrius, ejusque adnotator *Quattromani*: Tum Nicolosius, & Ananias coëvi, qui vicissim eadem de S. Thoma exscripsere; atque de hoc novo Sidere verbum nullum. Postremo Freherus, aliique recentiores, qui nec Sirleto manus dedere. Tot Cl. viri ejus vitam descripserunt; testes in Canonizationis Actis examinati; Calabriae Regesta, tam memorandum portentum haud profecto reticuissent, si sui oculis se spectandum praebuisset. Hoc profecto condimentum ad Cl. Acetum spectabat pro novo Barrii ferculo, pro Sirleti fama acescenda; quamvis etiam eum praeiverit Frater Elias de Amato Carmelita in suo Pantopologiae Calabrae Opere A. MDCCXXV. typis dato Neapoli. Ipsi pugnent pro laurea, alterutri a Sirleto praebenda, in cujus verba uterque juravit, & cum iis Brutii omnes, qui phaenomenon istud perinde credunt, atque in Paula oppido accensae facis prodigium supra cubiculum, ubi natus est D. Franciscus, quod profecto Ecclesiae oraculis adprobatur.

Sed Stellae hujus arcanum detegamus aliquando! Legerat fortasse in Bibliothecae Vaticanae Codic. MSS. Sirletus relationem quandam obitus S. Thomae in Fossaenovae Monasterio (quod & Paulus Regius in Vit. SS. Neap. confirmavit) in qua narratur „ Monachum quemdam, „ dum ibi oraret, levi sopore captum Sidus aspexisse „ mirifico splendore circumdatum, quod supra Coeno„ bium illud excurrens, duobus aliis se conjunxit, simul„ que inde Caelos ascendisse; eodemque temporis momen„ to e somno excitatum fuisse a tintinnabuli sonitu, qui „ obitum S. Patris annunciabat . . . . . . Item: triduo

„ an-

„ antequam vita ipse excederet ; Sidus quoddam supra „ claustrum effulsisse, quod cum obitum Principis Theo„ logorum praemonstraret, in ejus exspiratione evanue„ rat. Haec utique enarratio Sirleto, ac Regio ansam praebuit, Sideris hujusce adparitionem credendam; Regius quidem in Fossaenovae Monasterio id accidisse contendit; Sirletus vero in Arce Belcastri, ut Calabram fabulam caneret. Nam concessa etiam hac Belcastri adparitione in obitu D. Thomae, anne jurare nos etiam in ejus verba debemus, quum nemo hactenus, praeter Sirletum, isthaec adfirmaverit? Imo si semel, eo moriente, Stella visa est, neque amplius adparuit, cur Belcastri quotannis inspicitur, nondum ab ejus obitu (testes enim deficiunt, ac solida monumenta), sed post annos fere CCC. & a cerebro Sirleti conficta? F. Elias Amatus, qui Acetum in scribendo praecessit, dubius opinari videtur: *in cujus nativitatis domo hactenus Stella, uti dicunt, pro sua memoria festiva miraculose refulget*. Sed Amatus quoque alio pacto in veritatem peccavit. Ipse enim postquam recte addidit: *uti dicunt* (qua non certo adfirmare commentitiam Sideris adparitionem testatur) adjicere non erubuit: *Hac pro veritate stat antiquitas, traditio non absona Civium* (ubi est traditio haec, cum post tria pene secula Scriptores, Chartae, Cives nullatenus isthaec adfirmarint? fabula quidem post CCC. annos conficta) *proprio ore confirmata Aquinatis* (tace calumniator) *dum in I. Metaphys. Aristotelis, Pythagoram Philosophum Calabrum, & suum conterraneum vocare minime erubuit*. Quorsum haec, Amate clarissime, expiscatus es? I. Metaph. librum pervolutavi lubens, quo Aristotelem (qui ad miraculum fortasse illum inter Calabros non adnumeravit, quum tot veteres Graecos Philosophos, Pictores, Architectos, Statuarios, Pontifices, Cardinales, etiam Augustos, aliosque insignes viros inter suos ad nauseam usque adscripseris, Magnam eorum Graeciam cum praecipua Graeciae Regione confundens) S. Thomas est commentatus., nullum omnino verbum eorum, quae gratis adseris, solemnique menda-

cio

cio effingis, ibi licuit animadvertere. Acetus hanc fictionis inventionem in Amato suo insimulare neutiquam formidavit, apertissime inclamitans: *Hoc nullatenus reperitur in exemplaribus Lib. D. Thomae*.

Ceterum quos, quantosque pene innumeros errores, fabulasque protulerint Sirletus, Barrius, Amatus, Acetus, aliaque Calabrorum turba, nationis suae decora jure vel injuria ad fastidium usque exaggerantes, non refert huc in medium afferre, ut ea refellamus. Ea tantum, quae ad D. Thomae Patriam spectabant, quam Belcastrum falso praedicant, rejecisse satis fuit. Quod potissimum in iis omnino videbatur, ad vivum prorsus resectum est; quae futilia sunt, ac nullius momenti argumenta, silentio praetereunda putavi, ne legentem taedio afficerem. Unum duntaxat ad Chronologiae ordinem heic adnotare visum est, Thomam scil. de Aquino primum Belcastri Comitem, ejusque filium Christophorum (quod omnino non liceat in dubium revocare) Neapoli in Ecclesia S. Dominici Majoris tumulatos. Patrem quidem Ann. MCCCXXXVII. Filium vero Ann. MCCCXLII. Quorum sepulcrales inscriptiones refert Engenius in sua Neapoli Sacra fol. 279. (hic etiam erravit, qui Neapolitanum Civem D. Thomam putavit) ibique hactenus visuntur in ejusdem Sancti Sacello. Qui contingere potuit, ut A. MCCXXIV. (scil. Annos CXIII. antequam Thomas I. Belcastri Comes moreretur) S. Thomas Belcastri natus fuerit, quum nondum Aquinenses ea aetate civitate fuerant donati? Immo etiamsi Thomam hunc haud primum Belcastri Comitem, sed alterum, filium nempe Landulfi, ut Calabris placet, cum iis adfirmemus, quo pacto poterat D. Thomas e Landulfo Belcastri nasci A. MCCXXIV. ejusque frater usque ad A. MCCCXXXVII. vitam produxisse? At nepotem Thomam Belcastri Comitem, secus vero germanum S. Thomae nunc Calabri vellent. Esto. Landulfus igitur Belcastrensis, avus Thomae esse debuit; sed quem filium, amabo, successorem habuit, quum Thomam nepotem teneamus? quando ille Landulfo successit?

ceſſit? quo tempore Belcaſtrum obtinuit? Inveniant alias, ſi poterunt, nugas; ſecula, rerum ac naturae ordinem, necnon Chronologiae leges invertant Calabri, & in medium nova ſemper in medium ponere non praetermittant, nec invitum ad reſpondendum invenient. Haec ſatis, ne nimium Lectoris patientiam offendam.

F I N I S.

IN-

INDEX TOMI II.

A.

B.

Guai-

Saler-

T.

V.

AD.

ADMONITIO.

Quod multi in hujus Tomi II. editione errores irrepserint, Lector humanissime, meae tantummodo infirmitati, quae animum aliquando mentemque ad Typographi vigilantiam, curamque excitandam distulit, adscribe. Tu interim in subsequentibus Tomis studium diligentius exspecta. Vale.

CORRIGENDA.

Pag. 23. lin. 18. ſuea. lege. ſuae.
p. 41. l. 19. Papa. l. Papam.
p. 51. l. 10. in not. Vet. l. Vat.
p. 66. l. 6. popolavit. l. propalavit.
p. 75. l. 1. Donna. l. Domna.
ibid. l. ult. in notis l. Algiſam (al. Aldechiſiam) hab. Bolvit.
p. 77. l. 5. ſtrenuſq. l. ſtrenuuſque.
p. 96. l. 24. die. l. diem.
p. 104. Nota XXVI. reponatur in pag. 109. initio Cap. XLIV.
p. 109. l. 9. meam riam. l. riam meam.
p. 116. l. 23. properavi. l. properavit.
p. 159. l. penult. in not. ſolidarent. l. ſaldarent. Bolv.
p. 175. l. 30. in not. percuſſut. l. percuſſus.
p. 182. l. 7. in not. Aricinae. l. Ariciae
p. 189. l. 17. dixerit. l. direxit.
p. 204. l. pen. Ammirandus l. Ammirandos
p. 212. l. 2. obſidionem. l. obſidem.
p. 216. l. 20. tollantur: *& Salernitana cum ingenti audacia*
p. 223. l. 31. Tam. l. Jam
p. 231. l. 9. Beneventani. l. Beneventi
p. 255. l. 2. not. lege: Rocca Montis Draconis prope Calenum.
p. 304. l. 1. quai l. quare.
p. 325. l. 11. DCCXL. l. DCCCXL.
p. 326. l. 20. aum l. tum
p. 332. l. 20. 21. Capuaeque Archiepiſcopus ejuſdem &c. l. ejuſque Eccleſiae Primicerius.
p. 354 l. 20. qui pater *def.* Landulfi.
p. 377. l. 29. Franciſcam. l. Franciſcum.





